



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
5 / G
5



DIRECTORIVM CONSCIENTIÆ,

Per Fratrem IOANNEM DE LA CRVZ, Talabricensem Theologum Sacri Ordinis Prædicatorum.

PROOEMIVM.



VM iuxta Psal. 33. teneamur declinare à malo fugiendo peccatum, & facere bonum, sectando virtutem, oportet intelligere, in quo stat bonitas virtutis, & malitia peccati. Peccatum, *ait August.* 22. *contra Faust. cap.* 27. est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, mediatè, scilicet, vel immediatè. *Et D. Thomas* 1.2.q.71. *art.6.* explicat sic. Peccatum est actus humanus carens debita commensuratione ad suam regulam, quæ est lex æterna. Sub qua intelligitur recta ratio, quæ deriuatur à lege æterna, & leges, & præcepta maiorum, quæ à Deo habent vim obligandi, iuxta illud Christi, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et de istis legibus aliqua præmittemus, vt clariùs intelligas in quo stat malitia peccati, examinanda à nobis iuxta ordinem præceptorum Decalogi.

DE LEGIBVS.

D. Thomas 1.2. quæst.90.&c.

SVMMARIVM.

1 NOTANDVM quòd præter legem æternam, quæ est summa ratio existens ab æterno formaliter in Deo ad omnia gubernandum, ex qua omnes aliæ leges deriuantur; lex primo diuiditur in naturalem, & positiuam. Lex naturalis, præter illa vniuersalissima principia, *bonum est faciendum, & malum vitandum*: &, *quod tibi non vis, alteri non velis*, continet decem præcepta Decalogi. Lex autem positiua diuiditur in diuinam, & humanam. Lex diuina continet præcepta fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ, seu contritionis. Et lex diuina, alia est vetus, quæ iam cessauit Christo resurgente: alia est lex Euangelica, quæ supra alia præcepta naturalia, & diuina, addit præcepta fidei explicitæ, & Sacramentorum. Lex autem humana alia est Ecclesiastica à capite Reipublicæ Ecclesiasticæ pro Ecclesiæ regimine edita: alia est ciuilis, à Principe Reipublicæ Sæcularis pro eius regimine edita.

2 Dub.1. *An lex humana obliget in conscientia*. 1. Conc. Affirmatiua de lege humana iusta. *Ita D. Thom.* 1.2. *q.* 96, *art.*4.

art. 4. Quia lex humana ab æterna per naturalem deriuatur, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*; ergo ex eadem lege æterna, & in quantum ei subditur, habet vim obligandi. Et quidem loquendo de lege Ecclesiastica, conclusio est definita in Concil. Const. sess. 8. Et colligitur ex illo Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit:* & ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, &c.* De lege etiam ciuili id negare est temerarium: cùm sit contra communem Doctorum consensum. Et patet ex illo ad Rom. 13. *Qui potestati resistunt, damnationem sibi acquirunt*. Ad sic enim obligandum non requiritur in Rege potestas spiritualis, sed sat est, quòd per suam legem ponat aliquid in genere virtutis, & obedientiæ; cuius subinde contrarium vitium erit.

2. Conc. Leges iniustæ bono humano contrariæ, etsi de se non obligent; ligant tamen aliquando ob vitandum scandalum. Leges tamen diuino bono repugnantes, nullo modo seruentur. *Ita D. Thom. loco cit.*

Dub. 2. *Quando lex humana, vel præceptum superioris obligat sub peccato mortali?* 3

1. Conc. Lex de re graui in se, vel ad bonum commune maximè conducente obligat sub mortali, aliàs sub veniali. Primùm patet in lege iubente ne triticum, arma, vel alia à regno extrahantur, cùm ex hoc graue damnum Reipub. sequatur. Secundum patet in lege statuente quibus vestibus sit vtendum.

2. Conc. Lex præcipiens aliquid sub excommunicatione, vel alia censura statim incurrendis, aut sub pœna capitis, exilij, aut alterius pœnæ grauis, obligat sub mortali. Grauitas enim pœnæ arguit grauitatem rei præceptæ. Nisi aliàs constet rem præceptam esse leuem, nec aliàs exponas te periculo subeundi dictas pœnas. *Ita Caietan.* verb. *præceptum, Armilla* verb. *lex, & Soto* 1. *de iust. q.* 6. *art.* 5.

Dub. 3. *An metus excuset ab obseruantia legis?* 4

1. Conc. Sic *D. Thom* 2. 2. *q.* 19 *art.* 3. Omnis metus etiam leuis excusat à peccato, magis, aut minus iuxta eius qualitatem. Ita *cap. Sacris, de his, quæ vi, &c.* Et patet, quia talis metus minuit voluntarium, vt dicitur 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. ergo & peccatum. Non tamen excusat omninò à peccato metus leuis. Quia cùm sit leuis, facilè potest vinci.

2. Conc. Metus etiam grauis, & cadens in virum constantem non excusat omninò peccatum contra præceptum naturale negatiuum; v. g. fornicationem, furtum, &c. cùm ista sint intrinsecè mala. Imò nec excusat omninò peccatum contra præceptum naturale affirmatiuum mandans maius bonum, quàm sit quod timetur amitti. Sicut lex, quæ iubet aliquid pro conseruando bono communi, vel vita spirituali proximi, seruetur cum metu mortis. Item, dictus timor incussus in contemptum legis diuinæ, aut humanæ, saltem Ecclesiasticæ, non excusat omninò ab obseruantia talis legis, vt si Tyrannus in contemptum legis minetur mihi mortem, si v. g. non frango ieiunium, teneor ieiunare, etiam cum illo periculo: quia bonum religionis præstat vitæ. Et ob hoc Eleazarus noluit carnes porcinas comedere. 2. *Machab*.6.

3. Conc. Metus grauis, & cadens in virum constantem, ab intrinseco, vel ab extrinseco incussus, excusat omninò; Primò ab obseruantia præcepti naturalis affirmatiui, etiam si includat negatiuum, vt præceptum restituendi, vel subueniendi extremè indigenti. Ista enim non obligant cum tanto rigore.

2. Excusat omninò ab obseruantia præcepti diuini, & à fortiori præcepti humani præcipientium minus bonum, quàm sit bonum, quòd timetur amitti. Et sic Dauid comedit panes propositionis, ne fame periret. Et Israelitæ ob hoc excusabantur à circumcisione in deserto, vt ait *D.Thom.3.par.q.70. art.4. ad* 3.

Dub. 4. *An ignorantia excuset?*

5 1. Conc. Sit. Ignorantia concomitans, quæ scilicet, non est causa peccati, nec accusat peccatum: cùm opus factum ex tali ignorantia non sit peccatum, cùm nec positiuè voluntarium; Nec excusat peccatum: quia non tollit voluntarium: cùm nec tollat scientiam, cum qua actus ille esset inuoluntarius, imò libentius fieret. Ita *D.Thom.1.2.q.76.art.3.& 4.*

6 2. Conc. Ignorantia directè volita, & affectata ad liberius peccandum ex parte affectationis auget voluntarium, & peccatum. Quia peccatum tunc oritur ex voluntate magis affecta, & inclinata ad malum, cùm affectet ignorantiam, vt liberiùs peccet, & magis directè, & principaliter fertur sic peccans in peccatum, quàm in ignorantiam: in istam enim fertur, vt in medium ad liberiùs peccandum. Ignorantia autem affectata proueniens ex errore existimantium se sic Deo

magis

magis placere, ficut fuit ignorantia D Pauli, minuit peccatum: cùm ista iuuaret Paulum, vt misericordiam allequeretur, iuxta illud 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Ita *D.Thom. art*.4.

3. Conc. Ignorantia vincibilis, vtpotè, eorum quæ quis potest, & tenetur scire; cùm aliàs sit indirectè voluntaria ob negligentiam sciendi necessaria, non tollit omninò peccatum; sed minuit voluntarium, & peccatum, cùm tollat scientiam vitantem peccatum. Ita *D.Thom. art*.4. 7

4. Conc. Ignorantia inuincibilis rerum etiam, quæ quis scire tenetur, sed non potuit faciendo totum quod in se erat, excusat omninò à peccato, cùm sit omninò inuoluntaria. Ita *D. Thom. loco citato*.

Si quæris, *qua diligentia sat est, vt ignorantia sit inuincibilis, & dicatur hominem fecisse totum quod in se est?* Ad hoc dico 1. Non tenemur ponere omnem diligentiam possibilem, vt orare, disponere nos ad gratiam, sed sat est ponere diligentiam moralem, & media proportionata, interrogando alios. Et idem est de inaduertentia. Si enim posita omni diligentia morali, non potuisti aduertere periculum, illa inaduertentia erit inuincibilis. Et etiam si secuta sit ex causa culpabili, euentus ex illa secutus non erit voluntarius. Vnde quando nulla præcessit cogitatio, vel dubitatio legis in communi, vel particulari, erit ignorantia, aut inaduertentia inuincibilis. Quia si non præcessit dubitatio, est impossibile interrogare alios, & vincere illam ignorantiam. Imò circa operationes omnibus communes, non sat est dubitare in communi, an sint aliquæ leges communes, vt ex hoc quæras, an sint aliquæ particulares circa tuam operationem, hic, & nunc, nisi aliàs habeas aliquam notitiam, ex qua dubites probabiliter esse aliquam particularem legem circa tuam operationem. 8

Dico 2. Circa operationes peculiares cuique ratione status, aut officij, statim se offert dubitare, an sint aliquæ leges circa talem statum, ex qua notitia tenemur quærere tales leges, aliàs ignorantia earum erit culpabilis, vt patet in Iudice, Aduocato, &c. Nisi sit officium carens legibus, aut si habet, sed non communiter notas, & aliàs qui habet ista officia nil de hoc cogitauit. Nam si probabiliter dubitet, tenetur si potest cessare ab illa operatione, aut quærere veritatem per se, vel per alios. Et si alicui ex officio incum-

bit quærere leges per se illius officij, tenetur esse ita dispositus, vt sciat leges communiter occurrentes, an dubitare, & inquirere in casibus occurrentibus. Patet in Confessore, qui tenetur scire peccata, & circumstantias saltem mutantes speciem, & prudenter dubitare circa peculiares materias, & censuras Ecclesiæ, vt consulat doctos. Aliàs istorum ignorantia erit culpabilis: & si in particulari errent, peccabunt. Si tamen sint satis instructi modo dicto, & in casu particulari deficiant per obliuionem rerum, quas sciunt habitualiter, non imputatur eis ad culpam. Quia moraliter loquendo non possunt habere in promptu omnes veritates occurrentes circa singula negotia.

9 An *verò detur ignorantia inuincibilis legum, & preceptorum naturalium*. Ad hoc dico. 1. Non admittitur ignorantia inuincibilis primorum principiorum naturalium, vt istorum; *bonum est faciendum, malum est vitandum*. Quia ista sunt coniunctissima naturali lumini intellectus practici: sicut prima principia speculatiua, v. g. *quodlibet est, vel non est*, sunt coniunctissima naturali lumini intellectus speculatiui. Imò nec datur ignorantia inuincibilis aliorum præceptorum naturalium, non ita vniuersalium, vt sunt præcepta colendi Deum, honorandi parentes, educandi filios, & similium. Quia ista facilè deducuntur ex primis principijs, nec vlla ratio ea ignorauit.

Dico 2. Admittitur ignorantia inuincibilis aliorum præceptorum Decalogi, sed ad breue tempus. Quia ista sunt conclusiones deductæ ex dictis principijs: ergo requiritur tempus ad discurrendum, in quo possit esse ignorantia: licet ad breue tempus, cùm deducantur immediatè ex illis principijs per euidentem consequentiam. Circa alia autem præcepta naturalia, quæ non immediatè, sed labore, & inquisitione deducuntur ex dictis principijs, potest esse ignorantia inuincibilis longo tempore: v. g. quod sit licita simplex fornicatio, aut vindicatio iniuriæ. Licet ignorantia de fornicatione, aut de habendo plures vxores raro admittatur inter Christianos: cùm de istis communiter doceantur. De alijs tamen, de quibus communiter non docemur, potest esse ignorantia inuincibilis longiori tempore, v. g. an aliquis contractus sit vsurarius. Et à fortiori datur ignorantia inuincibilis legis positiuæ, & cuiusuis facti in particulari, etiam contra legem naturalem.

Dub. 5.

Dub. 5. *An lex pœnalis obliget in conſcientia?*

1. Conc. Lex propriè pœnalis obligat in conſcientia, niſi oppoſitum exprimat. Pœna enim propria eſt ita connexa culpæ, vt iuſta non ſit, niſi culpæ correſpondeat, iuxta *D. Thom.* 1. 2. *q.* 87. *art.* 7. *&* 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. 10

2. Quia proprietas inſeparabilis à lege eſt obligare ad culpam: vnde leges ſub pœna vetantes venationem, ſciſſionem lignorum ex ſilua communi, non ſunt propriè leges, cùm non obligent ad culpam, ſed ſtatuta quædam.

An *pœna legum pœnalium incurratur ante Iudicis ſententiam?* Sit 2. Conc. Affirmatiua de pœnis priuatis, vt ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, priuatio vtriuſque vocis. Ita communiter *Thomiſtæ* 1. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 4. *& Bannes* 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *dub.* 2. Secus ſit de pœnis conſiſtentibus in actione, & paſſione, vt exilium, pœna pecuniaria. Et de pœnis conſiſtentibus in ſola paſſione, vt pœna capitis, abſciſſionis membri. Non enim tenetur reus iſta ſubire ante ſententiam declaratoriam criminis, etſi in ipſis legibus dicatur de tranſgreſſoribus, ipſo facto, abſque alia declaratione ſint priuati officio, &c. Intelligitur enim hoc abſque alia declaratione pœnæ: non tamen abſque alia declaratione culpæ, cui eſt impoſita illa pœna. Ita communiter cum *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 3. *& Bannes ibi dub.* 2. *Silu.* verb. *pœna*. Inhumanum enim eſſet, ſi reus occultus deberet ſe prodere, condemnare, & ſimul eſſe teſtis, iudex, accuſator ſui, & executor ſententiæ. Nec eſt idem de pœnis priuatiuis. Quia per iſtas v. g. per excommunicationem non priuamur bonis habitis, ſed ſuffragijs, quæ ab Eccleſia nobis prouenire poterant, & per ſuſpenſionem, & irregularitatem, non tollitur poteſtas iam habita, ſed ſolùm impeditur vſus talis poteſtatis: at per alias pœnas priuamur bonis iam habitis. 11

Dub. 6. *An legiſlator teneatur ſuis legibus?* 12

1. Conc. Legiſlatores particulares tenentur ſuis legibus vt directiua, & coercitiua. Patet in Canonicis facientibus aliquod ſtatutum, cui omnes ſubduntur: cùm cœtus Canonicorum ſit ſuperior ad quemuis Canonicorum in particulari.

2. Conc. Legiſlator, qui non habet ſuperiorem, non tenetur legibus non obligantibus omnes ex æquo, vt legibus veſtium. Bene tamen tenetur legibus obligantibus omnes, vt legibus taxantibus pretia mercalium, non vi coercitiua, cùm à nullo puniri poſſit: ſed vi directiua, vt ait *D. Thom.* 1. 2.

q. 96. *art.* 5. *ad* 3. Peccabit enim si violet tales leges. *Ita ea, confidimus,* 25. q. 1. & *l. digna, C. de legibus*. Quia Papa, aut Rex per suam legem ponit rem præceptam, v. g. ieiunium in specie virtutis: ergo, &c. Sed sicut Papa, aut Rex possunt ex causa rationabili cum alijs, sic & secum in suis legibus dispensare: Hæc de legibus summatim dicta sint: alia enim multa circa hoc passim occurrent in sequentibus tractanda. Et quia transgressiones omnium legum sunt contra aliqua ex præceptis Decalogi, per istorum ordinem examinabimus earum malitiam.

PRIMVM PRÆCEPTVM DECALOGI.

Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile vt adores illud.

IN isto præcepto mandatur nobis Deum diligere, & colere. Quod maximè fit per virtutes Theologales, quales sunt fides, spes, charitas. Quæ dicuntur Theologales, quia habent Deum pro obiecto immediato: fides credendo in eum, spes sperando in ipsum, & charitas illum diligendo. Item colimus Deum per virtutem religionis. Et sic de istis virtutibus, & vitijs contrarijs, suo ordine dicemus.

ARTICVLVS I. DE FIDE.

D. Thomas 2. 2. q. 1. &c.

SVMMARIVM.

Quid sit fides, num. 1.
An credere aliquid per fidem sit necessarium ad salutem? nu. 2.
In lege gratiæ tenemur omnes credere explicitè articulos fidei contentos in Symbolo, etiam ex præcepto diuino, num. 3.
Omnes Christiani ex præcepto Ecclesiæ tenentur scire memori-

ter

ter articulo fidei, & præcepta Decalogi, prout vnicuique est possibile, num. 4.
Quid agendum Confessario cum pœnitente, qui talia ignorat? num. 5.
Curati, Prædicatores, & Confessores tenentur explicatius scire mysteria fidei, num. 6.
An confiteri fidem sit necessarium ad salutem? num. 7.
An liceat Christianis in terris infidelium vti veste illorum pro saluanda vita? num. 8.
Quotuplex infidelitas, & an omnis sit peccatum? num. 9.
Quæ propositiones sint contra fidem? num. 10.
An blasphemia sit contra fidem? num. 11.

FIDES virtus Theologica est habitus supernaturalis, quo certò credimus veritates à Deo reuelatas Ecclesiæ. Ad credendum enim fidei mysteria non sat est lumen naturale; sed infunditur nobis aliud lumen diuinus, vtpotè, lumen fidei. 1

Dub. 1. *An credere aliquid per fidem sit necessarium ad salutem?* 2

1. Conc. D. Thomæ, q. art. 3. Adultus nequit saluari sine fide alicuius mysterij supernaturalis. Patet ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et declaratur statim, quæ sint adultis in omni statu necessario credenda explicitè, & distinctè, dum subditur. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator*. Ita *D. Thom. art* 8.

2. Conc. In lege gratiæ tenemur omnes distinctè, & explicitè credere articulos fidei, prout in Symbolo continentur, non solùm ex præcepto Ecclesiastico, *vt patet in Conc. Brac.* 2. sed etiam ex præcepto diuino. Et patet 1. Quia Apostoli ex præcepto Christi tenebantur docere explicitè omnes articulos fidei in Euangelio contentos, iuxta illud Christi, Mar. 16. ad Apostolos: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; ergo eodem præcepto tenentur fideles credere: aliàs frustra præciperetur Apostolis talium prædicatio. 3

2. Patet ex Symbolo Athanasij, vbi explicatis articulis diuinitatis, & humanitatis subditur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit*: sed de omni actu nostro libero necessario ad salutem habemus præceptum diuinum: ergo.

3. Patet de omnibus articulis sigillatim. De quatuòr pri-

mis diuinitatis patet. Quia Deus trinus, & vnus est obiectum per se nostræ beatitudinis. De 5. patet. Quia ex præcepto diuino, & naturali tenemur exhibere cultum Deo pro nostra creatione, ergo tenemur explicitè credere Deum esse omnium Creatorem. De 6. patet. Quia tenemur scire esse præceptum diuinum de pœnitentia: sed nullus potest pœnitere sine spe veniæ, ergo tenemur explicitè credere Deum esse iustificatorem, & Saluatorem, & sic etiam credere explicitè vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ est communio Sanctorum, id est, Congregatio fidelium, sub vno capite Christi Vicario, in qua est Sanctitas, non solùm quia in ea sunt multi iusti sibi inuicem in charitate communicantes: sed etiam quia habet Sacramenta sanctificantia. Tenemur etiam explicitè scire tria Sacramenta: vtpotè Baptismum pro remissione originalis, & actualium peccatorum ante Baptismum commissorum, & Eucharistiam credendo sub speciebus panis, & vini, Corpus, & Sanguinem Christi, & non substantiam panis, & vini contineri, & pœnitentiam pro remissione actualium peccatorum post Baptismum commissorum. Et patet. Quia habemus præceptum diuinum de recipiendo ista Sacramenta, vt dicitur in suis locis: ergo ex iure diuino tenemur scire ista Sacramenta, & dispositionem ad recipiendum illa. Imò & alia Sacramenta, virtutem, & dispositionem ad illa, quando sunt à nobis recipienda. De 7. articulo, quo credimus Deum glorificatorem, ad quem spectat carnis resurrectio, animæ immortalitas, beatitudo parata bonis, & pœna malis, patet. Quia sine istorum fide, & cognitione non instituitur rectè vita humana. Illi enim de quibus Sap. 2 quia negabant substantiam istius articuli, dicebant: *Comedebamus, & bibamus, cras enim moriemur*.

De articulis humanitatis idem patet. Et quòd sit præceptum diuinum credendi explicitè solùm Filium Dei esse incarnatum in vtero Virginis, & ex ea natum, mortuum esse, & surrexisse, est ita certum, vt oppositum sit hæresis. Et nota perpetuam Mariæ Virginitatem annecti articulo Incarnationis, & Natiuitatis, & sic eodem præcepto diuino est explicitè credenda, aliàs non ita acriter punirentur errantes in hoc, non admittendo eorum ignorantiam, & sic articulus Natiuitatis Christi ponitur ab Ecclesia cum ista explicatione Virginitatis Mariæ in partu, ante partum, & post partum. De alijs articulis humanitatis, etsi non sit ita certum esse de præcepto

cepto diuino illorum fides explicita; est tamen securius id sentire. Quia Apostoli, qui in primordio Ecclesiæ prædicabant rudi populo, quæ tenebatur explicitè scire, docebant omnia ista: vt patet ad Ephes. 4. De descensu animæ Christi Verbo vnitæ ad inferos: & de eius Ascensione, dum dicitur. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ?* Et de sessione ad dexteram Patris patet Act. 2. vbi ait D. Petrus de Christo, *dextera Dei exaltatus, &c.* De aduentu Christi ad iudicium dicitur Act. 10. *Præcepit nobis prædicare, quia ipse est constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum.*

Ex dictis sequitur. 1. esse erroneum, & damnatum in Direct. Inqui. 2. p. q. 10. quod sat est etiam in lege gratiæ credere in communi, quod credit Ecclesia. Et patet ex illo Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui non crediderit condemnabitur.* 2. Sequitur, omnes Christianos ex præcepto 4
Ecclesiæ teneri scire memoriter articulos fidei, sicut & præcepta Decalogi, prout cuique sit possibile. Quia d.4. de consecrat. *C. baptizandos*, & *C. non liceat*, præcipitur, quod nullus baptizetur, nisi sciat Symbolum Apostolorum, & memoriter reddat, ergo à fortiori ad id tenentur baptizati. Sicut Religiosi professi potiùs, quam Nouitij tenentur scire suas leges. Sufficiet autem pro memoriæ labilibus, cùm fecerint quod in se est, si interrogati, an talis, vel talis veritas sit de fide, vt si v. g. furtum sit contra aliquod præceptum Decalogi, sciant respondere veritatem. 3. Sequitur ignorantes ista non esse absoluendos, cùm sint in malo statu. Nec tenentur Confesso- 5
res eos docere tunc: cùm non sit facile in tam breui spatio: sed differatur absolutio quousque ita sciantur: nisi alias pœnitus sit in articulo mortis, tunc enim instruatur de mysterijs magis necessarijs ad salutem: qualia sunt mysterium Trinitatis, & Incarnationis: dum tamen doleat de tali ignorantia, vt de alijs peccatis. 4 Sequitur, Quòd licet detur ignorantia inuincibilis articulorum fidei in his, qui nec docentur in Ecclesia a Parochis, nec domi à parentibus, & si isti morerentur tunc, saluarentur cum fide mysteriorum primæ conclusionis: tamen ista ignorantia, maximè articulorum diuinitatis, & quatuor primorum humanitatis raró admittatur. Quia doctrina Christiana, maximè articuli ab Ecclesia celebrati, vbique satis prædicatur, & omnes habent aliquam notitiam, qua saltem suos maiores interrogent,

gent, quid credere, & scire teneantur.

6 3. Conc. Curati, Prædicatores, & Confessores tenentur explicatius scire fidei mysteria, cùm teneantur alios docere illa, non singulos in particulari, cùm hoc sit impossibile, vt ait *D.Thom.* 3.*par.* q.67.*art.*6.7.& 8. Sed in communi in Ecclesia per se, vel per alium, aut suadendo parentes, vt ista doceant filios, & famulos.

Dub.2. *An confiteri fidem sit necessarium ad salutem?*

7 1. Conc. Affirmatiua *D.Thom.q.*3.*art.*1.patet *ad Rom.*10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ex hoc patet, istam fidei confessionem esse in præcepto diuino: cùm de omni actu nostro libero necessario ad salutem habeamus præceptum.

2. Conc. *D.Thom.art.*2. Hoc præceptum est affirmatiuum, cùm non obliget ad semper, sed pro loco, & tempore, &c. vtpotè si periclitetur honor Dei, vel vtilitas spiritualis proximi, confiteamur fidem etiam cum vitæ periculo. Nec licet verbo tenus negare fidem, aut negare verbo tenus esse Christianum, & dicere esse alterius sectæ etiam in secreto, & à persona priuata quæsitus. D. enim Petrus à puella in secreto quæsitus negando se esse Christi discipulum, peccauit, licèt in corde veram retineret fidem. Ait enim Christus, Matth.10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Imò in secret. publica auctoritate quæsitus, cuius Religionis sis, si taces, peccas mortaliter, vt ait *Chrysost. homil.*25.*in Matth &* *D.Thom. ad Rom.*10.*lect* 2. Secus si à persona priuata quæsitus, taces. Quia tunc tacendo censeris paruipendere interrogationem: cùm non periclitetnr honor Dei, sicut in alijs casibus. Sed nota, quòd quæsitus etiam publica auctoritate, an sit Christianus, non in odium fidei, sed vt sciatur tua religio, & mores, potes tacere, imò & aliquando negare etiam sine mendacio. Sicut olim Hispani quæsiti ab Indis si erant Christiani, negabant. Quia per Christianum intelligebant Indi hominem rapacem, homicidam, &c. Ita *Bannes* 2.2.*q.*3.*art.* 2.

8 Dub. 3. *An liceat fidelibus in terris infidelium vti illorum veste, aut signo pro saluanda vita?*

1. Conc. Peccas mortaliter vtendo veste, aut signo instituto pro cultu alicuius sectæ, vt apud nos sunt vestes sacræ. Quia vtendo illa veste exhibes cultum auctori illius sectæ, etiamsi solùm exterius illud facias, sicut si metu mortis solùm exterius thurifices idolum, Nisi aliàs illa facias non ad protestandum,

etiam

etiam exterius, illam sectam, sed potius ad eam detestandum. Sicut in Comedijs licitè vtimur dictis vestibus, & thurificamus idola repræsentando Sacerdotes idolorum.

2. Conc Licet fideli vti infidelium signo, vel veste propria eorum ex more patriæ, aut ex lege instituta pro distinguenda religione, si aliàs non instat præceptum confitendi fidem. Quia ista nec significant religionem, sed nationem, nec qui talibus vtitur profitetur illam religionem. Sicut & licet nautis affigere suis nauibus vexilla Saracenorum ad decipiendum eos. Et licet exploratoribus vti ad idem veste, & lingua Turcarum. Ita communiter *Thomistæ, & Bannes*, 2.2.q art 2.

Dub. 4. *An omnis infidelitas sit peccatum?* 9

1. Conc. *D.Thom.* 2.2. *q.*10. *art.*1. Infidelitas sumpta negatiuè, vtpotè, eorum qui non audierunt Euangelium, non est peccatum. Patet ex illo Christi, *Ioan.*15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum*, scilicet infidelitatis, *non haberent* 2. Nullus tenetur ad impossibile, sed est impossibile cognoscere veritates fidei, sine reuelatione Dei: ergo.

2. Conc. *D. Thomæ ibi*. Infidelitas contrariè sumpta, vtpotè, non recipientis fidem sibi satis promulgatam, est peccatum mortale. 2. Qui deserit fidem in baptismo susceptam, aut discredit cum pertinacia alicui fidei articulo, sciens esse ab Ecclesia, vt de fide reuelatum, est hæreticus. Et est excommunicatus, ac incurrit alias hæreticorum pœnas, si explicat suum errorem verbis, aut signis externis etiam secretissimis. Secus sit contra Adrian. si retinet errorem in mente, tunc nec est excommunicatus, nec incurrit alias pœnas. Cùm Ecclesia non iudicet de occultis, vt communiter docent *Thomistæ* 2.2 *q.*11. *art.*3. *D.Ant.*3.*part.tit.*24. *cap.*4. *Caietan.* verb *hæresis*, *Silu.* ver. *excommunicatio* 7. Et idem de illo, qui ex metu fingit se hæreticum verbo, aut facto, vt est communis sententia. Quia excommunicatio, & aliæ pœnæ feruntur contra hæreticos; ergo non sunt extendendæ ad fictos hæreticos. Alias blasphemi essent excommunicati, dum verbis tribuunt Deo, quod ei non conuenit, & lenones dum vocant mulierculas Deos suos. 3. Qui cum plena deliberatione dubitat de veritate alicuius articuli fidei, est infidelis. Ita *C.* 1. *de hæret.* Secus sit si sine plena deliberatione titubauit, aut vacillauit in hoc, vel si tentatus in fide suspendit iudicium.

3. Conc. Inter propositiones contra fidem, vt patet ex 10
*Conc.Constant. sess.*8. Alia est hæretica, vtpotè, quæ clarè constat

ſtat contrariari fidei, vt iſta: *Chriſtus non eſt Deus*. Alia eſt erronea, quæ eſt contraria veritati fidei, ſed non ita clarè ex defectu euidentis teſtimonij, quo illud probatur, & in hoc ſunt gradus. In 1. gradu ſunt propoſitiones contrariæ concluſioni Theologicæ illatæ per euidentem conſequentiam ex fidei principijs, vt iſta: *Chriſtus non eſt riſibilis*, Imò iſtæ ſunt proximæ hæreſi. In 2. gradu ſunt propoſitiones contrariæ doctrinæ Catholicæ vniuerſaliter edoctæ in Eccleſia, vt iſtæ, *Monachi ſuo labore tenentur victum comparare. Orationes applicata per Pralatos, & Religioſos pro aliquo ſpecialiter, non plus illi proſunt, quam ſi in communi pro eo offeruntur*. In 3. gradu ſunt propoſitiones contrariæ doctrinæ, de qua ſapientes vehementer cenſent, quod ſit veritas fidei. In 4. gradu ſunt propoſitiones, quæ iuxta ſententiam probabilem, & quaſi neceſſariam iudicantur contrariari alicui veritati fidei, vt iſta, *Pueris in baptiſmo non datur gratia*, quæ videtur contrariari iſti veritati de fide, pueri mundantur in baptiſmo à peccato originali. Alia eſt propoſitio ſapiens hæreſim, quæ licèt poſſit habere bonum ſenſum, tamen ex circumſtantijs temporum, & perſonarum habet ſaporem hæreſis: vt iſta propoſitio, *fides iuſtificat*, in D. Paulo eſt Catholica: & prolata à Lutherano tenente ſolam fidem ſine charitate iuſtificare, ſapit hæreſim. Alia eſt propoſitio male ſonans, & piarum aurium offenſiua, de quo non datur certa regula, ſed arbitrio ſapientum relinquitur, vt iſtæ: *Imperatores errarunt dotando Eccleſias bonis ſuis. Magiſteria ſunt vana Gentilitate introducta*. Alia eſt propoſitio temeraria, vtpotè, aſſerens aliquid in materia fidei contra communem Eccleſiæ opinionem, ſine magna authoritate, vt quod Beatiſſima Virgo non ſit in cœlum cum corpore aſſumpta. Alia eſt propoſitio ſcandaloſa, quæ licèt poſſit habere bonum ſenſum, tamen generat ſcandalum in audiente.

4. Conc. Idololatra baptizatus credens idolum eſſe Deum, & vt ſic colens ipſum, eſt hæreticus, & incurrit hæreticorum pœnas. Quia cùm habeat errorem in intellectu, ſatis illum explicat illo cultu externo. Idololatra verò externus tantùm, qui metu mortis, vel curioſitate, vel ex quadam impia voluptate afficitur tali cultui, vt faciunt lamiæ, non eſt hæreticus, cùm non habeat dictum errorem in intellectu. Eſt tamen verè idololatra cùm voluntariè colat idolum, & incurrit excommunicationem latam à Ioan. 22. vt habetur in

Direct.

Direct. Inquis. 2 *par. q.* 34. & alias pœnas hæreticorum, præter confiscationem bonorum.

Dub 5. *An blasphemia sit contra fidem?* II

1. Conc. Peccat mortaliter contra fidem blasphemus tribuendo Deo quod ei non conuenit, vt si dicat, Deum pœnitere, aut tollendo à Deo quod ei conuenit, vt dicendo Deum non esse omnipotentem; aut per vitam Dei, idest, Deus non habeat vitam, aut tribuendo creaturæ, quod est proprium Dei, vt si dicas eam aliqua creasse. Ista etiam locutio, *hoc est verum, sicut Deus est veritas*, erit blasphema, si dictio, *sicut*, dicat æqualitatem: ita quod velis adæquare tuam veritatem veritati diuinæ. Secus si dictio, *sicut*, dicat proportionem, ita vt intendas, quòd sicut Deus est veritas, quod tu dicis, suo modo sit veritas. Illa etiam ocutio, *de Deo renego*, est solùm blasphemia. Quia etsi qui illam profert, videatur apostata, cùm totam fidem negare videatur: hoc tamen profert verbo tenus, & ex ira, nam in corde veram retinet fidem. Alia est blasphemia hæreticalis, quæ significat aliquem errorem contra fidem, vt si dicas, *Deus non habet prouidentiam, aut est iniustus, quia me fecit pauperem, aut similia*.

2. Conc. Blasphemiæ peccatum committitur in Sanctos, vel tribuendo eis, quod eis non conuenit, vt dicendo, pœniteat S. Petrum, aut negando eis, quod eis conuenit, vt dicendo, per vitam S. Petri, idest, non habeat vitam S. Petrus, si hoc ita non sit; aut nominando per modum conuitij pudenda membra Sanctorum.

3. Conc. *D. Thom.* 2.2 *q* 13. *art.* 2. Blasphemia est peccatum mortale, ex genere suo; & solùm fit peccatum veniale ex inaduertentia, & indeliberatione. Ita *D. Thom. ad* 3.

ARTICVLVS II. DE SPE.

D. Thom. 2. 2. q. 17.

SVMMARIVM.

Definitio Spei, & eius præceptum, num. 1.
Vitia opposita Spei, num. 2.

DVB. *Quid sit Spes?* I

1. Concl. Spes virtus Theologica est habitus, quo certò speramus beatitudinem ex auxilio Dei. Itaque spes respicit Deum, vt finem, quem speramus assequi, & vt causam

ſam efficientem, cuius auxilio ſperamus ipſummet aſſequi.

2. Conc De Spe habemus præceptum diuinum. *Pſal.* 4. *Sperate in Domino*. 2. Spes eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, vt dicitur in Conc. Trid. *ſeſs.6.c.6.* Sed omnis actus neceſſa. rius ad ſalutem exiſtens in noſtra facultate, eſt nobis præceptus: ergo & actus ſpei.

3. Conc. Præceptum ſpei eſt affirmatiuum; & ſic non obligat ad ſemper, ſed pro loco, & tempore, &c. Vtpotè cùm veneris ad vſum rationis, referes te in Deum, & ſperabis ab eo gratiam, & gloriam, & etiam in articulo mortis, & quoties inſurgunt motus deſperationis, & aliquoties intra annum, vt dicemus de Oratione in 3. præcepto

2. 4. Conc. Contra ſpem peccas primo deſperando impetrare veniam peccatorum, & gloriam. 2. Sperando in creatura, ſicut in primo mouente ad beatitudinem, dicitur enim Hierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Poſſumus tamen ſperare in creatura, vt in ſecundario mouente, & iuuante ad beatitudinem, & ad hoc inuocamus Sanctos: & Beatiſſima Virgo dicitur ſic ſpes noſtra. 3. Pecces contra ſpem per præſumptionem: quando putas tuis meritis ſine gratia Dei poſſe aſſequi beatitudinem, aut quando cum confidentia impetrandi veniam peccatorum perſeueras ſine pœnitentia vſque in ſenectutem, aut horam mortis.

4. Contra ſpem peccas non ponendo in laboribus confiden. tiam in Deo, aut ſi non ſperas quando inſurgunt tentationes deſperationis, & maximè in articulo mortis, tunc enim ſperanda eſt venia, gratia, & gloria.

ARTICVLVS III. DE CHARITATE.

D.Thomas 2. 2. q. 23.

S V M M A R I V M.

Quid ſit charitas, & quis ordo ſeruandus in charitate: num. 1.
Quando peccat homo contra dilectionem proximi, & quomodo debeat ſe gerere cum ſuo inimico? num. 2.

1 CHaritas virtus Theologica eſt habitus, quo Deum diligimus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, & proximum ſicut nos ipſos. Et eſt ordo in charitate. Primò, tenemur Deum ſuper omnia diligere, omittendo omnia ob ipſum, & ob obſeruantiam ſuorum mandatorum. De-

Deinde secundùm naturam spiritualem debemus nôs magis, quàm proximum diligere. Debes tamen ex charitate subire damna corporalia ob bonum spirituale proximi, iuxta *D.Tho.* 2. 2. *q*.26. *art*. 4. *ad* 2. Tenemur enim in extrema necessitate spirituali proximi exponere vitam periculo pro subueniendo ei: sicut deceptum ab hæreticis in articulo mortis, teneor si possum docere veritatem, etiam cum vitæ periculo: magis enim est à nobis diligenda vita spiritualis proximi, quàm corpus proprium, vt ait *D.Thom. art*.5. Sed extra extremam necessitatem non tenetur homo particularis exponere vitam periculo, aut magnam substantiam pro vita spirituali proximi: bene tamen pati aliquod damnum. Secus fit de Episcopis, & Curatis, qui extra extremam necessitatem tenetur sæpè subuenire subditis, cum periculo vitæ, & bonorum. Nunquam tamen tenemur exponere vitam pro vita corporali proximi, nisi aliàs proximus sit maximè necessarius pro Reip. conseruatione. Quia tunc exponitur periculo pars pro toto.

Dub. *Quando peccat homo contra dilectionem proximi?* 2

Conclusio: Homo peccat contra dilectionem proximi. 1. Odio illum prosequendo, iuxta dicenda in 5. præcepto. 2. Non exhibendo ei, etiam aliàs inimico, communia signa dilectionis. V.g. orationes, & beneficia impensa toti communitati, tunc peccas contra charitatem ob odium, & scandalum; & contra iustitiam distributiuam tollendo ab eo sic debitum. Quia vt pars communitatis habet ius fruendi beneficijs communibus: licèt enim non tenearis tuam substantiam distribuendam relinquere, si tamen facis, teneris seruare distributionis formam: nisi aliàs sis iudex, aut Prælatus, & illum excipis in pœnam delicti. Aut nisi beneficium sit multis de communitate, relictis alijs, nec amicis, nec inimicis. Ita *Bannes* 2.2. *q*.25. *art*.9. *dub*.3.

3. Peccas non exhibendo proximo signa honoris consueta ex more patriæ, si aliàs illa exhibeas, & modo ob inimicitiam omittis: Hæc enim, ait Bannes, censetur vindicta, & peccatum mortale. 4. Peccas mortaliter ob scandalum, non salutando inimicum salutantem eo modo, quo salutabas, quando non erat inimicus. 5. Teneris conuersari cum inimico ob vitandum scandalum breuiter in publico eum salutando, & cauendo à frequenti conuersatione, vt vites periculum peccandi, si adsit, vt ait *Bannes dub*.2. Secluso tamen scandalo, non teneris cum eo conuersari, etsi ante conuersa-

reris. 6. Inimico petenti veniam ostendes signa dilectionis, iuxta personæ conditionem. Non tamen teneris condonare pœnam pecuniariam iustam pro damno, aut aliter tibi debitam. Difficillimum autem videtur non condonare pęnam corporalem, & carere odio, seu appetitu vindictæ, nisi aliàs familia offensi sit infamata, si inimicus non punitur. Ita *Ban. dub.* 5.

ARTICVLVS IV. DE RELIGIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 81.

SVMMARIVM.

Quid sit Religio, num. 1.
Peccata contra Religionem, num. 2.
Regula ad cognoscendum pactum implicitum cum Dæmone in incantationibus, & veneficijs, num. 3.

1 DVB. *Quid sit Religio?*
1. Conc. Religio virtus moralis, & pars potentialis iustitiæ habet pro obiecto cultum Dei, & eius munus est colere Deum pro beneficio creationis, conseruationis, gubernationis, &c.

2 2. Conc. Peccas contra istam virtutem. 1. Colendo Deum cultu falso, vt cæremonijs Iudæorum, aut Saracenorum. 2. Colendo Deum cultu superstitioso, vtpotè superfluitatibus. Et licèt hoc regulariter sit peccatum veniale, tamen canere in Ecclesia turpes cantilenas est peccatum mortale. Ita *Caietanus, & Medina in Summa.*

3 3. Peccas incantationibus, & veneficijs. Et hoc peccatum est grauissimum, cùm in istis adsit pactum saltem implicitum cum Dæmone. Et vt hoc cognoscatur, ponit *Caiet.* verb. *incantatio* aliquas regulas, ex *D. Tho. 2. 2. q. 96. art. 2. & 4.* 1. Si ponitur aliqua conditio vana, vt necessaria: vt si ponitur virtus in verbis Sacris, si sint scripta in pelle, aut tali hora, & similia, quæ nec ad Dei cultum, nec ad rectam spectant rationem. Ista enim vana ponit Dæmon sicut cæremonias, quibus ipse colitur. 2. Si ad effectus naturales ponis signa, aut verba, nullam vim naturalem habentia ad illos effectus, talia verba, aut signa referuntur ad Dæmones illa intelligentes. 3. Si ponas nomina incognita, aut obscuræ significationis. 4. Si me-

dijs naturalibus intendas effectus mirabiles, aut excedentes virtutem agentium naturalium: sicut scire secreta cordium: sanare citò hominem, aut animal, tunc Dæmon comprehendens virtutem herbarum, &c. nobis nil videntibus, applicat actiua passiuis,& sic sanat. 5. Regula. Si intenditur finis vanus, & impertinens, vt motio annuli dicendo verba Sacra, virtus enim diuina non facit inutilia. 6. Si verbis veris miscentur falsa, aut res apocryphæ, & incertæ, & hoc peccatum veneficiorum semper est mortale ob dictum pactum. Excusabitur tamen quis ex ignorantia talis pacti credendo bona fide esse licitum, dum non monetur de veritate.

4. Peccas contra Religionem diuinando futura nullam cum causis naturalibus connexionem habentia. 5. Peccas tentando Deum, vt si petas à Deo miraculum sine necessitate: aut quòd faciat aliquid via extraordinaria, cùm possit via fieri ordinaria. Secus si petas à Deo, vt per bona media ostendat tibi suam voluntatem, vt eam impleas.

Vota, iuramenta, obseruantia festorum, sunt etiam actus virtutis Religionis, sed de istis dicetur in 2. & 3. præcepto.

SECVNDVM PRÆCEPTVM DECALOGI.

Non aßumes nomen Domini Dei in vanum, &c.

Hic vetantur iuramenta sine debitis circumstantijs facta. Et huc etiam reducuntur vota, de quibus agemus in hoc præcepto.

ARTICVLVS I. *DE IVRAMENTO.*

D. Thomas 2. 2. q. 89.

SVMMARIVM.

Quid, & quotuplex sit iuramentum, num. 1.

Quando iuramentum assertorium sit licitum, num. 2.

Iuramentum asser torium factum sine veritate semper est peccatum mortale, etiam in materia leui, num. 3.

Iuramentum verò promissorium, dum res promissa iuramento est parua, obligat solùm sub veniali, num. 4.

1 DVB. *Quid, & quotuplex sit iuramentum?*

1. Concl. Iuramentum est assertio diuino testimonio confirmata. Et iurare, est Deum in testem adducere, vel explicitè, vt dicendo, iuro Deum; vel implicitè, vt si iures per creaturas, tunc enim non iuras per illas adducendo eas in testes infallibiles veritatis, quasi tribuendo eis diuinitatem: quia sic iurare esset blasphemum, sed iuras per creaturas, vt in eis repræsentatur Deus, & sic implicitè inuocatur in eis Deus. Imò si iures per creaturas, sine respectu ad Deum, nec eas adducendo, vt obiectum in quod exerceatur diuina iustitia, nec vt testes infallibiles: sed vt tales quales ipsæ sunt, nec iuras, nec peccas, vt si dicas, *giuro al Soto*. Quia sic iurantes, potius id faciunt, vt vitent iuramenta. Ita *Nauar. cap.12. nu. 5. ex mente Diui Thomæ*.

Ex dictis patet, ista verba: *in bona fide, in mea conscientia, in mea anima*, iuxta aliquos non esse iuramenta, vt patet ex

sensu,

sensu, qui talis est, *iuro in fide boni viri*, idest, loquor vt decet bonum virum: iuro in mea conscientia, idest, loquor, quod scio esse conforme meæ conscientiæ. Imò nec ista verba, iuro per meam conscientiam, per meam animam, per meam fidem, sunt iuramenta: sed idem sonant, quod priora verba, nisi aliàs intendas Deum inuocare in istis creaturis. Ita *Ledesma tract. 11. de iuramento, cap. 1* contra Soto. Ista autem verba, *viuit Deus, Deus est veritas, coram Deo loquor, Deus scit*, sumpta enunciatiuè non sunt iuramenta, secus si sumantur inuocatiuè, vtpotè inuocando diuinam præsentiam, vel scientiam, &c. in testimonium asserti. Ita *Ledesma, & Caiet. 2. 2. q. 89. art. 1.* Et vt verè iures, non est necesse scire Deum adduci in testem per iuramentum, sed sat est, si intendas facere, quod alij faciunt, quando iurant.

2. Conc. Iuramentum, aliud est assertorium, quo confirmatur veritas præsens, aut præterita, aliud promissorium, quod respicit aliquid in futurum implendum; aliud, quo adducitur diuinum testimonium per simplicem contestationem; aliud execratorium, vbi inuocatur Deus per modum punientis, aut præmiantis, vt dicendo, Deus non det mihi vitam, si hoc ita non sit. Qui verò maledicit se in testimonium mendacij, solo peccato periurij peccat: cùm ibi non reperiatur vera maledictionis ratio. Sic enim iurans non habet animum, vt sibi eueniat maledictio, sed solùm peierat, iurando falsum.

Dub. 2. *An sit licitum iuramentum assertorium?* 2

1. Conc. Iuramentum assertorium, veritate, iustitia, & necessitate factum, licitum est. Patet *Deuter. 6. Dominum tuum timebis, & per nomen illius iurabis*. Patet etiam exemplo sanctorum. Abraham, *Gen. 21*. Iacob *Gen. 31*. Moyses *Exod. 2.* & D. Paulus in suis Epistolis sæpè iurarunt. Et aliquando tenetur homo iurare, vt pro bono communitatis, vel innocentis. Quia verò dictæ conditiones regulariter non reperiuntur omnes in iuramentis, non licet multiplicare illo. Et sic in Sacra Scriptura sæpè reprehenduntur iurantes. *Eccl. 23.* dicitur, *Iurationi non assuescat os tuum*. Et iterum: *Vir multum iurans, implebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga*.

2. Concl. Iuramentum assertorium ex defectu necessitatis est peccatum veniale, cùm tunc parua fiat irreuerentia Deo. 3
Sed ex defectu veritatis, semper est peccatum mortale, etiam si iuretur leuissimum mendacium, cùm in eo summa veritas Deus adducatur in testem mendacij, in quo ei maxima irro-

B 3 gatur



gatur iniuria. Ita communiter cum *D. Thom.* 2.2. *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 2.

4 Dub. 3. *An sit licitum iuramentum promissorium?*

1. Conclusio. Iuramentum promissorium veritate, iustitia, & iudicio, seu prudenti consideratione factum, est licitum, & obligat sub mortali ex genere, vt est communis sententia. Si tamen res iuramento promissa sit parua, etsi sit totalis materia iuramenti, obligat sub veniali. Ita *D Antonin.* 2. *part. tit.* 10. *cap.* 4. §. 1. *Silu.* verb. *Iuramentum* 4. *Soto* 8. *de iustitia q.* 1. *art.* 7. *& Ledesma cap.* 3. *de iuram.* contra *Caietan.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *& Nauar. in Man. cap.* 12. *num.* 10. contrarium asserentes de iuramento, cuius totalis materia est leuis, ob reuerentiam diuini nominis. Sed conclusio patet. Si res iuramento promissa est mala, tollitur omninò obligatio promissionis iuratæ: ergo si sit parua, minuitur obligatio. Aliàs mater iurans punire puerum, quando non multum expedit, aut dare ei pomum, peccaret mortaliter non implendo: cùm ibi interueniat reuerentia diuini nominis, quæ est ratio Caietani. Quod nullus admittit. Imò, qui vrbanitatis causa iurant, se non præcessuros alios in via, non peccant, etsi non impleant. Sic enim intelliguntur ista iuramenta, quòd quantum est ex affectu iurantis non præcedent in via.

5 Si arguas. Qui iurat soluere vsuras, tenetur sub mortali eas soluere ob reuerentiam diuini nominis, & non ob promissionem, vt dicitur *cap. debitores, de iureiuran.* ergo etiam ob reuerentiam diuini nominis, erit danda sub mortali res iurata aliàs bona, etsi sit parua, si sit totalis materia iuramenti. Aliàs enim qui iurauit dare centum, & soluit nonaginta, integrè solui moraliter, etsi non mathematicè. Ad hoc dico teneri istum soluere vsuras, non solùm ob reuerentiam diuini nominis, sed etiam quia voluntariè eas iurauit, & sic si vsuræ sunt materia grauis, erunt soluendæ sub mortali; & si sint materia leuis, sunt soluendæ sub veniali, cùm aliàs ex parte mutuatarij solutio vsurarum sit bona, licèt ex parte vsurarij sit iniqua.

6 2. Conclusio. Iuramentum promissorium ex defectu iustitiæ, est peccatum mortale ex genere. Nam si sic iurans non habet animum implendi iuramentum quando iurat, erit periurus mortaliter, cùm deficiat veritas iuramento, quæ est animus implendi. Et committit aliud peccatum mortale, quod est iurare promissorio rem, quæ est peccatum mortale inten-

intendendo se obligare ad illud. Et si res promissa sit peccatum veniale, erit pro hac parte peccatum veniale cum priori mortali. Si autem habet animum implendi, dupliciter etiam peccatum mortale, & intendendo obligare se per iuramentum ad peccandum mortaliter, & habendo intentum peccandi mortaliter; nisi aliàs res iurata sit peccatum veniale. Quia tunc peccabit duplex peccatum veniale; vt ait *Soto, & Caiet.* 2. 2. *q.* 89. *art* 7. Et si cum tali intentione iures rem indifferentem, vtpotè, nec bonam, nec malam, peccas venialiter, nec teneris iuramento, cùm res promissa sit vana, & impertinens.

3. Conclusio. Iuramentum promissorium de re impeditiua maioris boni, vt de ducendo vxorem, aut de non intrando Religionem, si fit Deo, est nullum, cùm ei non offerarur res grata. Secus si fit homini, vt si iures patri, quem alere teneris, non intrare Religionem, aut si iures, perpetuò seruire hospitali, intendendo eius vtilitatem. Quia verò hoc iuramentum fit regulariter ob reuerentiam Dei, potest sic iurans intrare Religionem: Quia intentio sic iurantis est, se velle seruire hospitali, dum non ascendit ad altiorem statum. 7

4. Conclusio. Iuramentum promissorium rei bonæ ob malum finem, vt eleemosynæ ob vanam gloriam, vbi malus finis intrat obiectum promissum, ita vt tota hæc eleemosyna ob vanam gloriam promittatur, est nullum & peccatum, cùm sit de re mala. Et idem est de iuramento rei bonæ ob assequendum malum finem, aut in gratiarum actionem, pro malo fine assecuto: vt pro occisione inimici. Sic enim iurans protestatur Deum esse auctorem peccati. Si verò malus finis habet se tantùm, vt motiuum ad iurandum, valet iuramentum, & obligat. Et idem de iuramento rei bonæ, cui malum iungitur, vt dicitur de simili voto. 8

Dub. 4. *An iuramentum metu cadente in virum constantem extortum, obliget?* Et idem de voto. 9

1. Conclusio. Iuramentum, sicut & matrimonium, & votum factum ex metu illato ab intrinseco, vtpotè ab infirmitate, vel à causa extrinseca naturali, vt à tempestate, obligat: Et idem est si fit ex metu illato iustè à causa libera. Vt si mulier deprehensa in adulterio cogitur iurare, aut vouere Religionem. Ita *Silu. & Med. in Sum.* contra *Soto, d.* 29. *q.* 3. *art.* 3. *& Ludou. Lop.* 1. *parte, cap.* 45.

 2. Con-

10 2. Concl. Votum sicut & matrimonium factum ex metu cadente in virum constantem illato iniustè à causa extrinseca, stando in iure naturali, aut diuino, valet, ob voluntarium simpliciter ibi repertum, & sufficiens ad omnem contractum, & ad peccandum mortaliter. Ita *Silu* verb *metus Suarez lib.1. de voto, cap.7. num.12. Aragon. & alij* contra *Soto 7. de iust. q. 2. art.1 ad 2.* nouissimè *Raphael de la Torre q.88. art.3. d.1. cum D. Bonau. Panor. Angl. & Nauar.* Sed stando in iure Canonico irritatur in cap. *Prælatum*, ca. *Abbas*, cap. *ad audientiam, de ijs, quæ vi, &c.* & in Conc. Trid. *sess.25. c.19. & Soto, & Medin. in Sum.* Non verò irritatur in iure iuramentum illo modo factum: sed ob reuerentiam diuini nominis est implendum, dum res iurata non est illicita, iuxtà *c. si vero, c. verum, de iureiuran.* vt si iuro, latroni minanti mihi mortem, dare centum, teneor implere iuramentum, dum non relaxatur. Ita *D. Thom. & communiter Theologi, & Iuristæ.* Illo verò iuramento impleto possum repetere donatum, etsi iurassem non repetere, aut non denuntiare de hoc, iuxta *cap. ad nostram 2. de iureiuran. cum glos.* cùm hoc iurare sit illicitum, vt ait *D. Thom. art.7. ad 3.* vergeret enim in deteriorem exitum; ait *D. Thom.* cùm sit contra iustitiam publicam.

11 Dub. 5. *An iuramentum sine intentione factum sit licitum?*

1. Conclusio. Iuramentum assertorium factum sine intentione iurandi est peccatum mortale ex genere. Ita *Silu.* verb. *Iuramentum 4. Ledes. tract. de iurament.* Deficit enim tunc finis iuramenti, vtpotè confirmatio veritatis. Et sic actus iste, vt ait *Caiet. artic. 7.* est perniciosus toti generi humano, in quo illuditur diuino testimonio, & tollitur conuictus humanus. Non enim daretur fides iurantibus timendo, ne iurent cum tali dolo: ergo sic iurans etiam coactè, peccat. Quia si tenearis iurare tunc, vtpotè iuridicè interrogatus, & iuras sine intentione, etiam verum, peccas mortaliter cùm non impleas præceptum Superioris respondendo sub vero iuramento, vt iussus es. Et si non tenearis iurare, & iures sine dicta intentione, solùm peccas venialiter. Cùm tunc parua fiat irreuerentia Deo, nec alicui sequatur notabile damnum. Ita *Ledesma, & Soto 8. de iustitia, q.1. art.7.* contra *Caietan. 2.2. q.89. art.7. dub.1.*

12 2. Concl. Qui voce tenus, & sine animo iurandi iurat promissoriè, peccat mortaliter si aliàs iurare tenebatur, vt ait

Soto.

Soto. Sed non tenetur implere, vt ait *Silu. Nauar. & Soto*, nisi adsit scandalum, aut damnum tertij. Quia si virgini iuras etiam fictè, aut etiam sine iuramento promittis nuptias, etiam fictè, vt ea potiaris, teneris implere. Ita *Diuus Thomas* 2. 2. *q*.89. *art*.9. *ad* 4. Qui verò iurat alteri aliquid dare, habens in animo, si illud debuero, nec peccat, nec tenetur dare, si non debet. Ita *Silu.* verb. *Iuramentum, num*.4. & *Nauar. in Manual. cap*.12. *num*.14. Et sic excusat iste, *num*. 18. illos qui quæsiti an habeant aliquam rem, etsi habeant, iurant quod non, intelligentes in animo suo non habere ad dandum illam, non enim peierant, contra *Silu. Ludou. Lop* 1. *par. cap*.42. & *Ledesma*, non admittentes talem æquiuocationem, cùm non sit in communi vsu hominum. + Et ille damnata ab Inn: xi.

3. Conclusio. Qui iurat promissoriè cum animo iurandi, sed non obligandi se, peccat mortaliter, etiam si iuret coactè, vt ait *Silu. Armil. & Ledesma*, cùm hic fiat iuramentum, & adducatur Deus in testem, & cum mendacio, vtpotè sine animo obligandi se. Ita *Caietan. iuxta cap. in dolo* 22. *q*. 2. *cum glos*. & tenetur implere promissum, si sit licitum; nisi aliàs ignoret obligationem esse intrinsecam iuramento. Quia tunc nec peccat sic iurando, nec obligatur iuramento, sicut idem dicitur de simili voto. Ex hac conclusione sequitur a fortiori, iuramentum promissorium de re bona factum ab aliquo cum animo iurandi, & obligandi se, non autem implendi promissum, obligare, etsi sit peccatum mortale sic iurare, etiam si aliàs res iuramento promissa sit mala mortaliter, ob defectum veritatis requisitæ pro iuramento promissorio: duplex enim veritas requiritur pro iuramento promissorio, vna intentio iurandi, & obligandi se, altera intentio implendi iuramento promissum. Ita *Caiet* 2. 2. *q* 89. *art* 7. 13

Dub. 6. *An consuetudo iurandi sit peccatum?*

1. Conclusio. Consuetudo iurandi indifferenter verum, aut falsum, non est peccatum, sed imputatur ad peccatum, si non vis eam retractare, cùm tunc velis saltem virtualiter permanere in occasione proxima peccandi, nec es absoluendus. An peccet, qui cum tali consuetudine iurat inaduertenter. sit. 14

2. Conclusio. Iuramentum falsum procedens ex ista consuetudine, etiam inaduertenter, erit peccatum mortale, in eo, qui per potentiam non retractauit illam consuetudinem. Ita *Caiet*. 2. 2. *quæst*. 93. *art*. 2. *ad* 2. *Victor. & Ledesma tract.*

de

de iuram. licèt enim iuramentum hoc non sit volitum in se, est tamen volitum virtualiter in illa consuetudine: sicut peccata ebrij præuisa, & volita in ebrietate. Secus fit si post pœnitentiam de illa mala consuetudine iures falsum inaduertenter, cùm iam illud iuramentum nec sit volitum in se, vt patet; nec in illa consuetudine, cùm feceris totum posse ad eam tollendam. Dixi, quando iuramentum falsum procedit ex consuetudine non retractata, quia si procedit ex motu naturali, qui est primo primus, non erit peccatum, cùm nec volitum vllo modo. Ita *Soto* 8. *de iustitia, quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *in* 3. *dicto*. Qui enim habet consuetudinem non necessitatur ad operandum semper ex illa, sed tunc consuetudo habet se concomitanter, & sic nec accusat, nec excusat, sed relinquit actum in sua natura.

3. Conclusio. Iuramentum verum procedens inaduertenter ex dicta consuetudine non retractata, est peccatum mortale in habente consuetudinem indifferenter iurandi verum, & falsum, ob periculum iurandi falsum. Secus in non habente consuetudine mentiendi, aut iurandi falsum. Ita *Ledesma cap.* 5. *de iuram. cum Soto*. Quia tunc nec adest periculum, nec virtualis intentio iurandi falsum ob istam consuetudinem.

15 Dub. 7. *An liceat petere iuramentum ab eo, quem scio periuraturum?*

1. Conclusio. Iudex potest, imò & tenetur petere tale iuramentum ad instantiam partis.

2. Conclusio. Persona priuata peccat mortaliter tale iuramentum petendo etiam per iudicem. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 98. *art* 4. *Soto, & Ledesma*. Quia sic inducit alterum ad peccandum sine vtilitate. Nec est idem de petente mutuum sub vsuris ab vsurario parato, nec de petente iuramentum à parato iurare per falsos Deos: Quia in his petitur aliquod bonum vtile petenti, vtpotè mutuum, & veritatis confirmatio, cui iungitur peccatum ex malitia mutuantis, aut iurantis, sine eo quòd à petente intendatur: at in periurio nil boni reperitur, sed totum est peccatum.

16 Dub. 8. *An iuramentum promissorium sit dispensabile, & à quo?*

1. Conclusio. Iuramenta votiua, vtpotè, quæ fiunt Deo, & intuitu colendi ipsum, eo modo, & ab eisdem relaxantur, dispensatur, ac commutantur sicut similia vota,

Ita

Ita communiter. Et de istis votis ita intelligitur *Soto* 8. *de iustitia quæst.* 1. *art.* 9. Et intelligitur conclusio etiam de iuramentis votiuis mediatè ordinatis in commodum tertiæ personæ, sicut iuramentum dandi eleemosynam, contra Sà, verb. *votum*.

2. Conclusio. Iuramenta non votiua, vtpotè facta in fauorem tertij, ab isto solo relaxantur, seu commutantur, aut ab habente super istum, aut supra iurantem, aut supra rem iuratam potestatem dominatiuam. Imò & Prælati, & Principes possunt indirectè relaxare iuramenta subditorum, vetando, v. g. aliquem contractum, & annullando iuramentum factum de illo.

3. Conclusio. Iuramenta non votiua aliàs non ordinata in commodum tertij, vt iuramenta ieiunandi, castitatis, aut Religionis, possunt relaxari ab Episcopo. Ita *Ledesma c.* 4. *de iuram.* contra *Caiet.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. quem *Torres ibi*, & Doctores communiter sequuntur, asserentes iuramenta absoluta perpetuæ castitatis, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ, sicut & similia vota, esse Papæ reseruata. Sed nostra conclusio videtur *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. absolutè asserentis posse Episcopum relaxare omnia iuramenta. 2. Ista potestas non est ab Episcopis ablata à lege, aut consuetudine: sicut est ab eis ablata potestas circa vota absoluta castitatis, Religionis, &c. Et aliàs ista limitatio pro votis non est extendenda ad similia iuramenta. Quia vinculum voti est maius, cùm immediatius respiciat Deum, & sit promissio facta Deo, & ponat materiam promissam in virtute Religionis: at iuramentum fit in confirmationem nostrarum veritatum. Ex his patet. 1. Quod quando in priuilegijs conceditur relaxatio iuramentorum, possunt etiam dicta iuramenta relaxari. 2. Patet. Quòd quando datur facultas circa vota, non possunt cum illa relaxari iuramenta non votiua: cùm sint distincta vincula, vt ait *Nauar. in Manual. cap.* 17. *num.* 272. *&* *Ledesma*. Quia etsi vinculum iuramenti sit minus vinculo voti: tamen vinculum iuramenti non clauditur in vinculo voti, & aliàs commissarius non potest excedere commissionem. 17

AR-

ARTICVLVS II. DE VOTO.

D.Thomas 2. 2. q. 88.

SVMMARIVM.

Quid sit votum, num. 1.
In dubio vtrimque æquali an voueris, non teneris voto, num. 2.
Quæ requirantur ad valorem voti, num. 3.
Votum de re mala mortaliter est nullum, & duplex pecc. mor. de re mala venialiter est etiam mortale, num. 4.
Votum de re indifferenti manente in sua indifferentia est nullum, imò est peccatum veniale, num. 5.
De re alias præcepta fit verum votum, num. 6.
Propria materia voti sunt opera consilij, num. 7.
An votum non peccandi sit validum, num 8.
Quænam, & quanta sit obligatio voti in materia graui, num. 9.
Quæ, & quanta in materia leui, num. 10.
Ad quid teneatur ille, qui vouit ingredi Religionem? num. 11.
Quo tempore vota sint implenda, num. 12.
An vota vnius obligent alium? num 13.
Quotuplex sit votum castitatis, num. 14.
Peccata contra votum castitatis quomodo in confessione explicanda, num. 15.
Quot modis votum tollitur, num. 16.
Quæ causa sit sufficiens vt fiat valida irritatio, dispensatio, commutatio, & interpretatio votorum, num. 17.
Parentes possunt irritare omnia vota filiorum emissa ante annos pubertatis, num. 18.
Quid possint circa vota emissa post annos pubertatis, siue personalia, siue realia, siue mixta, num. 19.
Quid possint domini circa vota suorum mancipiorum, num. 20.
Quid maritus circa vota vxoris, & vxor circa vota mariti? num. 21.
Quid Papa, & Prælati Religionum circa vota Regularium; quid Priorissæ, & Abbatissa circa vota monialium, num. 22.
In Ecclesia est potestas dispensandi, & commutandi omnia vota, excepto voto Monachali, num. 23.
Episcopus potest dispensare, & commutare omnia vota subditorum aliàs non reseruata Papæ, num. 24.
Vota visitandi Hierusalem, Peregrinationis Romanæ, Compostellanæ cum voto Religionis, & castitatis perpetuæ, sunt reser-

reseruata Papa, in illis tamen aliquando potest Episcopus dispensare, num. 25.
An & quomodo vouens possit commutare suum votum, n. 26.
Quomodo facienda votorum commutatio, & quæ circa illam sint consideranda, num. 27.

DVB. 1. *Quid sit votum?*

1. Con. D. Tho. ar. 1. Votum est promissio facta Deo, de his quæ ei magis placent. Sic definitur votum communiter. Et sic, vt dicitur ca. *litterarum de voto,* propositum religionis non est votum, cum hoc consistat in promissione, etiam mentaliter Deo ipsam intuenti, & acceptanti facta. Vbi nota, quod in dubio vtrimque æquali, an voueris, non teneris voto. Quia inter æque probabilia tuto sequeris quod malueris. Imo si posita morali diligentia non potes ferre probabile iudicium, quod voueris, non teneris voto. Quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. *Ita Soto 7. de iust. q. 3. art. 2. Med. in Sum. lib. 1. cap. 14. §. 7. Sanchez cum alijs lib. 1. de spon. d. 9. Torre. 2. 2. q. 38. art. 3. d. 3. & d. 4.* Idem ait: cum dubitas an esses rationis compos quando vouisti, quo præsumitur quisque carere toto tempore pubertatis, nisi contrarium certo constet, vt ait Soto art. 2. 1 2

2. Concl. D. Thomæ artic. 1. Ad valorem voti requiritur primò, vt fiat plena deliberatione, nec sateest semiplena. Quia cum votum obliget sub peccato mort. ex genere, petit libertatem necessariam pro peccando moraliter. Nec requiritur plenissima deliberatio, qua consideres omnes circumstantias in particulari, sed qua communes, & grauissimæ circumstantiæ rei, quæ vouetur, considerentur. Hæc enim deliberatio sat est ad omnes contractus. 2. Requiritur propositum voluntatis Quia si voues religionem sine animo promittendi, & obligandi te, non facis votum. Licèt in foro externo, dum non constat de animo, cogeris seruare votum, & ad id teneris ob vitandum scandalum. Imò si voues castitatem ex animo, sed sine animo obligandi te putans ignoranter obligationem non esse intrinsecam voto, non voues: cùm habeas ignorantiam circa substantiam voti. Sicut si contrahis matrimonium putans esse solubile, non manes vxoratus. Quia ignorantia circa substantiam matrimonij, aut voti, facit illud inuoluntarium, & nullum. Imò si voues aliquid cum ignorãtia circumstantiæ grauissimæ 3

rei promissæ, quam si scires meritò non voueres illud, non teneris voto. *Ita communiter, ait Torre. 2.2.q. 88. art. 3.d.2.* Et patet in vouente ire Hierosolymam putans parum distare: sed ignorantia circa substantiam est maior: ergo. Dixi, ignoranter. Nam si sciens naturam voti, & obligationem ab eo inseparabilem, intendas promittere, verum emittis votum, etsi per iniquitatem non habeas animum obligandi te. Quia qui vult causam, vult effectum quem scit esse in causa. Si verò voues castitatem cum animo promittendi, & obligandi te; non tamen seruandi promissum, à fortiori, verum emittis votum: cum iam saluetur vera promissio, etsi cum peccato, & mendacio ob intentionem non seruandi promissum.

4 Dub. 2. *An votum debeat fieri de meliori bono?*

1. Conc. D. Tho. art. 2. Votum de re mala mortaliter, est nullum, & duplex peccatum mortale. Tum ob animum peccandi mort. Tum etiam quia sic vouens protestatur Deo placere peccatum, & coli peccato. Imò ob hoc peccas mort. si voues videns, & sciens peccatum veni. *Ita Caieta.* ver. *votum Torre. art. 2. d. 1. & alij* contra Soto, *art. 3. Silu.* ver. *votum 1.D. Ant.2.p. tit.10.cap 4.§.1.& Nauar. cap.12.num. 28.& 34.* Nam peccatum veniale, etsi in se sit leuis materia: at vt offerendum Deo in cultum per votum, est materia grauis in specie irreligiositatis, sicut mendacium in se est quid leue, at si iuretur, materia grauis est pro iuramento. Nec est idem de iurante promissoriè peccatum ven. cum iste sic iurando non protestetur placere Deo peccatum ven. sed adducit Deum in testem suæ malæ promissionis. Et dictis patet, quid dices de vouente rem bonam ob malum finem, vt eleemosynam ob vanam gloriam. Nam si malus finis intret obiectum promissum, votum non valet, vt dixi de simili iuramento. Et idem est de voto rei bonæ ob assequendum malum finem: aut in gratiarum actionem pro malo fine assecuto. Si autem malus finis solum se habet, vt motiuum ad vouendum, vt si voues religionem militarem animo luxuriandi, valet votum. Quia talis animus non intrat rem promissam: sed extrinsecè ei vnitur. Et idem est de voto rei bonæ, cui malum iungitur, vt si voues rosarium, si habes filium ex adulterio.

5 2. Concl. D. Thomæ artic. 2. Votum de re indifferenti dum manet in sua indifferentia, sicut & votum de re necessaria, vt de non volando, non valet. Imò est peccatum veniale

niale ista vouere: cum votum debeat esse de re grata Deo, & non de inutili, & vana. Sed si tollitur indifferentia ab aliqua re, & ordinetur in finem bonum, votum de illa valebit: vt si voues non intrare aliquam domum, quòd alias erat indifferens, eo quòd ibi sit mulier incitatiua ad malum, dum est ibi illa mulier non potes illuc intrare, sed illa amota non teneris voto, etsi alia perniciosior succedat. Nam vt suppono, votum factum est ex motiuo primæ occasionis. Ex dictis patet, votum cessandi ab opere seruili in die, v. g. Sancti Thomæ, vt expeditior fias ad vacandum Deo tunc valere. Et idem de voto non ludendi cum aliquo, si sic vitatur occasio peccandi. Secus si in honorem sancti voues non laborare præcisè, aut non ludere cum aliquo, quia tibi displicet præcisè. Ista enim indifferentia sunt, & vana, & melius erit laborare quàm esse ociosum.

3. Conclus. D. Thomæ art. 2. De re alias præcepta fit verum votum. Patet ex vsu vouentium castitatem. Tunc enim rei alias præceptæ additur noua obligatio. Nam castitas ante votum solum pertinebat ad temperantiam, & per votum pertinet etiam ad religionem. Imò etsi promissum pertineret alias ad religionem, iuxta D. Thom. art. 5. ad 1. vt audire Missam in festo, per votum confertur ei nouus gradus in eadem specie, & noua obligatio alterius præcepti de implendo voto. De eadem enim virtute dantur plura præcepta explicanda in confessione. Nec est idem de furto verito lege naturali, & diuina, vbi fur non peccat dupliciter contra duplex præceptum formale; quia secundum præceptum est prioris explicatio, nec addit nouum gradum in eadem specie. Sicut si cum eadem solemnitate voueas iterum, quod iam voueras, non inducis super te nouam obligationem: sed secundum votum firmat primum. Illa enim sunt plura præcepta materialiter, non formaliter, cùm procedant ex eodem motiuo præcipiendi, aut prohibendi, iuxta dicta 1. 2. q. 72. art. 6. 6

4 Concl. D. Thomæ artic. 2. Propria materia voti sunt opera consilij. Ista enim sunt Deo grata, & absolutè voluntaria. Vnde votum de contradictorijs consilijs Euangelicis; vt de non mutuando, de non intrando religionem, est nullum, & peccatum veniale; cùm sit de re inuisa Deo, in qua ponitur obex Spiritui Sancto mouenti semper ad meliora. Alias si illud votum valeret, moueret Deus simul ad duo contradictoriè opposita. Votum autem de incompossibilibus 7

bilibus cum consilijs dum durant, vt votum seruiendi hospitali, valet; cum sit de re bona, nec impeditiua maioris boni; quia sic vouens potest intrare religionem. Votum autem de incompossibilibus cum consilijs, & simul eorum impeditiuis, vt de nubendo, quando alias non instat præceptum de hoc ob commune bonum Regni, aut ob legitimandum filium ex concubina, & eius honori consulendum, &c. est nullum, etiam in patiente vehementissimas carnis tentationes: quas vix nisi vsu matrimonij vincere potest. *Ita Soto 7. de iust. qu. 1. art. 3. Aragon. & Torre. 2. 2. qu. 8. art. 2. dub. 9.* contra *Caiet. ibi, Sanchez lib. 1. de spon. d. 4. num. 7. Ludou. Lop. tom. 1. cap. 44. cum Cano.* asserentes quod isti erit opus consilij, & materia voti nubere, & quod isti consulit Paulus 1. Cor. 7. *Si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quam vri.* Sed nostra doctrina patet. Nam vt aliquid sit materia voti, etiam respectu alicuius in particulari, non sat est, quòd respectu illius sit melior, sed debet esse melior ex natura sua, & absolute: sed nubere non est sic: cum impediat religionem, quæ est melior. Nec Paulus dixit, melius est nubere, etiam isti non valenti se continere, quàm intrare religionem. sed quàm vri, id est, quàm tentationi succumbere, iuxta D. Tho. ibi.

8 Dub. 3. *An valeat votum non peccandi?*

1. Conc. Votum non peccandi mortaliter valet. *Ita Soto 7. de iust. q. 1. art. 3. & communiter Thomistæ. 2. 2. qu. 88. art. 2.* cum sit de re moraliter possibili, & grata Deo.

2. Conc. Votum non peccandi absolutè, aut non peccandi venialiter, vel vitandi aliquod veniale, quod vix vitatur à perfectissimis, vt diuagatio mentis in oratione, communiter reputatur nullum, & vt de re moraliter impossibili, quidquid sit de voto vitandi peccata venialia, quæ à multis vitari solent, vt mendacia, &c. cum hoc sit possibile, & Deo gratum. Sed probabilius reputo valere votum de vitando saltem diuisiuè, & in particulari omni peccato, etiam veniali. Quia alias secluso voto tenemur vitare singula venialia in particulari: ergo hoc est possibile moraliter. Alias obligaremur ad impossibile Et sic potest esse materia voti, & possumus obligari præcepto, quo tenemur implere vota sub solo peccato ven. cùm votum hoc sit de re parua. 2. Religiosus peccat contra votum castitatis venialiter in actibus luxuriæ non plenè deliberatis: ergo potest quilibet facere speciale votum vitandi istos actus, &

alios,

alios, qui sunt peccata venialia ex defectu plenæ deliberationis.

Dub. 4. *An votum obliget?*

1. Concl. *D. Thomæ art. 3. & 10. ad 2.* Votum obligat sub mortaliter ex genere, ex lege diuina, *Eccles. 5. quodcumq; voueris, redde*, & ex lege naturali. Ita communiter, quia promissio homini facta ab eo acceptata obligat sub mortali ex genere: sed promissio voti validi statim acceptatur à Deo: ergo obligat sub mortali ex genere, & ex sua natura. Non enim est in potestate vouentis obligare se sub peccato veniali in materia graui, *vt ait Torre art. 5. d. cum Soto. q. 1. art. 1. & alijs* contra *Sanchez*, *& Suarez*. Nec etiam est in eius potestate obligare se sub peccato mortali in materia leui. Nam sola emissio voti pendet ex voluntate vouentis: quantitas verò obligationis voti pendet ex quantitate obiecti secundum se. Si obijcias, Vota Tertiariorum Ordinum Prædicatorum & Minorum, non obligant etiam sub peccato veniali vt constat ex eorum statutis à Papa approbatis: ergo, &c. Ad hoc dico, ista non esse vota perfectè, & simpliciter, de quibus hic loquimur: nec qui violat ista vota, facit formaliter, contra virtutem religionis, cum non faciat contrarium virtuti formaliter, nisi peccando. 9

2. Concl. Votum de re parua, etiamsi sit totalis materia voti, vt de non mentiendo, obligat sub peccato veniali cum in eius violatione parua fiat irreuerentia Deo. *Ita Soto. 7. de iust. q. 2. art. 1. Nauar. in man. cap. 12. num. 40. Torre* contra *Caiet. q. 89. art. 7.* Et intelligitur etiam de votis leuium ordinatorum mediatè in vtilitatem proximi temporalem, vt votum dandi quotidie pauperi assem. Vbi nota, quòd si pluries omittendo istam paruam eleemosynam deuenisti ad materiam grauem, non peccasti mort. in singulis omissionibus, teneris tamen tunc ex virtute religionis sub peccato mort. reddere illam quantitatem omissam. Quia eleemosyna hodie omissa copulatur eleemosynæ hesternæ, & alijs omissis; sicut vnum furtum paruum copulatur alteri: & ex iustitia teneris restituere sub peccato mortali quantitatem grauem minutatim furatam. Imò sicut peccat mort. contra iustitiam, qui à principio habet animum minutatim furandi materiam grauem: sic & peccat mort. contra religionem, qui habet animum omittendi tota illas paruas eleemosynas vsque ad materiã grauem. Nec est idem de voto recitandi quotidie Pater noster, cuius omissiones nunquam copulantur; & sic etsi minutatim omittatur integrum ro- 10

ſarium, adhuc non eſt recitandum ſub peccato mort. quidquid dicat *Manu. Rodr. in ſu. cap* 99. contra communem ſententiam. Vide *infra dub.* 6 Ex dictis patet à fortiori, præceptum prælati de re leui in ſe, & in ordine ad bonam gubernationem obligare ſub ſolo peccato ven. Nam eſſet intolerabile ſi poſſet prælatus in omni materia, etiam leuiſſima, obligare ſub peccato mort. 2. Patet, votom, aut iuramentum non ludendi, intelligi de ludo in magna quantitate, aut aliter illicito. Secus de ludo moderato, cum iſte ſit actus virtutis Eutrapeliæ. *Ita Nauar. in Ma. cap.* 12. *num.* 11.

11 Dub. 5. *An qui vouit religionem, teneatur adire omnes religiones, quouſque recipiatur?*

1. Concl. *D. Tho art.* 3. *ad* 2. Si iſte habuit animum adeundi omnes religiones, ad id tenetur: niſi defectus ob quem ab vna reijcitur alias non emendabilis militet in alijs: aut niſi ob moralem impotentiam, non poſſit adire monaſteria diſtantia.

2 Concl. Si votum ſit iuxta communem modum vouendi, non tenetur vouens adire omnes religiones poſſibiles metaphyſicè. Etſi vouit religionem Prædicatorum, non tenetur adire monaſteria remotiſſima: ſed quæ arbitrio prudentum non multum diſtant, attenta qualitate, & poſſibilitate vouentis, & hoc ſolum eſt ſibi moraliter poſſibile.

3. Concl. Si vouens habet impedimentum perpetum, de obligatur à voto: cum ſit impoſſibile illud implere. Et ſi impedimentum ſit temporale, faciet, ait D. Tho. ſibi moraliter poſſibile, vt illud tollat, v. g. ſi neſcit grammaticam, tenetur ſub peccato mort. illam addiſcere. Niſi alias ignoraret hoc eſſe neceſſarium, & ſi ſciret, non voueret religionem. Nec tenetur ſumere habitum Laicorum: ſi intendebat eſſe religioſum Choriſtam. Item ſi ingreſſus religionem intra annum probationis iudicas te ineptum religioni, non teneris voto: cum religio tunc ſit tibi impoſſibilis. At ſi ſine cauſa rationabili dimittis habitum, aut expelleris à religione ob defectū emendabilem, adhuc teneris voto. Quia votum religionis, quantum eſt ex ſe, obligat profiteri in religione, iuxta cap. *ſuper eo*, *&* cap. *conſulti; de regular. & Caiet. cum D. Tho.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 4.

4. Concl. Vouens religionem, non ſatisfacit intrando religionem, aut monaſterium, vbi corruit obſeruantia eſſentialium, & ceremoniarum. Imò ſi vouit iſtam religionem, aut monaſterium, non tenetur voto: niſi in breui ſperetur

iſtorum

istorum reformatio.

5. Concl. Qui vouit religionem non tenetur ad eius obseruantias, dum non profitetur illam, etiamsi peccet differendo ingressum. Quia nullus tenetur ad exercitia alicuius status, nisi media susceptione illius status, & ista censetur intentio vouentis talem statum. Nec est idem de vxorato vouente solemniter castitatem in religione: qui, etsi professio sit nulla, nec ad religionem redire teneatur mortua vxore, tamen tenetur seruare castitatem quantum est de se non petendo debitum, etsi teneatur reddere. *Ita* cap. *quidam &* cap. *places de conuer. coniu* Quia votum solemne castitatis actu claudit in se promissionem castitatis ex tuuc seruandæ quantum possit à vouente; Sicut qui vouit dare centum, & tantum habet decem, tenetur ista reddere. Quia decem comparantur ad centum promissa, sicut pars actualis ad totum actuale, & qui intendit dare centum, intendit etiam dare decem. At castitas non comparatur ad religionem promissam, sicut pars actualis ad totum actuale; sed sicut obiectum secundarium ad primarium. Nec etiam est idem de muliere vouente virginitatem, quæ adhuc violata tenetur seruare castitatem in illo voto promissam, & ex affectu ad illam promissa est virginitas. Nisi alias vouendo virginitatem solum intenderet seruare illam, & vitare primum congressum cum viro. Et qui vouit absolutè ieiunare in sextis ferijs, si dies natalis Domini in sexta feria occurrat, erit ex illo voto ieiunanda, vt habetur *cap. explicari, de obser. ieiun. cum glos. & Nauar. in Manual. c. 12. n. 12.*

Dub. 6. *De tempore impletionis votorum.* Et non est sermo de voto negatiuo non faciendi illicita; v. g. non furandi, & similium. Ista enim vota statim incipiunt obligare: sed de voto affirmatiuo, v. g. faciendi aliquid.

1. Concl. *Ex D. Thom. art. 3. ad* 8. Si taxasti tempus pro tuo voto, intra illud tempus implebis. Et si taxasti tempus ob eius deuotionem, siue votum sit personale, vt ieiunandi in vigilia S. Martini, siue sit reale, vt insumendi aliquid pro illo festo, aut in eius honorem elargiri tunc aliquas eleemosynas, illo tempore transacto, & voto non impleto, peccasti mort. sed non teneris alio die ieiunare, aut alia facere. Quia materia istius voti est ieiunium, aut eleemosyna ob deuotionem festi S. Martini, & in eius honorem, quæ materia iam non extat. *Ita Torre. artic. 5. d. 7. cum Caietan. articul. 12.* 12

2. Concl. Si taxasti tempus sicut mensuram pro impletione voti, vt si vouisti intra mensem intrare religionem, adhuc illo tempore transacto, teneris voto; quia votum hoc non fertur in circumstantiam temporis. Et idem si vouisti dare quotidie eleemosynam, non ob deuotionem temporis, sed vt fit communiter in vtilitatem pauperum, semper durat obligatio dandi, dum non datur. Imo singulæ paruæ eleemosynæ, singulis diebus omissæ copulantur: & erunt ex religione sub peccato mort. reddendæ, quando confecerint materiam grauem, iuxta dicta dub. 4.

3. Concl. *D. Tho. loco citato & q.* 189. *art.* 3. Si vouens non taxauit tempus, & votum est conditionale, impleta conditione, impleatur votum. Si autem votum sit absolutum, determinetur tempus arbitrio prudentis, attenta qualitate, & possibilitate personæ, & alijs circumstantijs.

13 Dub. 7. *An vota vnius obligent alium?*

1. Concl. negatiua. Quia votum est actio personalis habens robur suum ex voluntate vouentis: ergo non obligat alium, si ab illo non approbatur, nisi fortè ex pietate, aut ex obedientia, quando alias promissum non est nimis graue. Item si in aliquo oppido voueatur, aut iuretur aliquod festum, aut ieiunium, soli vouentes, aut iurantes tenentur ad illa ex voto, aut iuramento, *ait Ledes. cap.* 3. *de voto contra Manu. Rodr.* At successores ex sola consuetudine habente vim legis, obligantur. Imò nec ista obligant sic, si non adsit authoritas, & approbatio Episcopi, vt non vouentes obligentur in vim præcepti Ecclesiastici. *Ita Torre ar.* 3. *dub.* 5.

2. Conc. Vota realia vnius transeunt in eius hæredes, iuxta sufficientiam hæreditatis, & non plus. Vt si vouisti centum aureos pro hospitali, hæres tuus ex hæreditate tenetur, sicut & alia legata ex iustitia soluere, etsi à vouente essent ex sola religione debita. *Ita Torre d.* 7. *cum Soto q.* 2. *art.* 1. *Palu. & alijs.*

14 Dub. 8. *Quotuplex sit votum castitatis?*

1. Concl. Votum castitatis est duplex. Aliud simplex, quod fit priuatim sine aliqua solemnitate. Aliud solemne. Et fit solemne dupliciter, *vt habetur cap. vnico. de voto in* 6. aut per professionem expressam, aut tacitam ad certam regulam, aut religionem ab Ecclesia approbatam. Et vt ista professio valeat fiet in manibus valentis incorporare profitentem tali religioni, vt cum communi tenet. *Panorm. in cap. correctum. de regu. & Silu.* ver. *religio.* 8. Et cum isto

voto

voto alia, etiam terræ sanctæ commutantur, tum quia in melius, tum quia morimur priori vitæ. *Ita ex D. Thom. art. 12. ad. 1. & iuxta* cap. *scriptura, de voto.* Et hoc voto consequimur remissionem omnium peccatorum. *Ita D. Th. ex 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3.* Aut fit solemne per suscepeionem sacri Ordinis. Quia in susceptione sacri Ordinis secundum ritum Ecclesiæ Latinæ à qua illud votum annectitur Ordini sacro, illud votum, etsi non expressè, implicitè tamen emittitur. *Ita D. Tho. in 4. d. 37. 1. q. 1. ar.* Et hoc sat est, sicut etiam in professione tacita religiosus solum implicitè vouet castitatem. Imò in professione nostri Ordinis Prædicatorum solam obedientiam vouemus expressè secundum nostram regulam, & in hoc implicitè vouemus castitatem, & paupertatem.

2. Conclusio In confessione explica, si votum tuum, aut tui complicis sit simplex, an solemne. Quia etsi vota ista sint eiusdem speciei, vtpote de eodem obiecto, tamen notabiliter grauius est violate votum solemne. Et in sententia veriori explicabis si votum solemne sit clericale, aut monachale: cum istud sit grauius. Imò *Ledesma cap. 6.* de voto ait, votum clericale ex natura sua esse simplex & solemnitatem ei iungi accidentaliter ex statuto Ecclesiæ: sicut idem dicitur de voto simplici castitatis patrum Societatis. Et quod clericus satisfacit dicendo in confessione se vouisse castitatem, sine eo quod dicat se vouisse eam solemniter, nec tenetur dicere se esse clericum, aut sacris initiatum: cum tamen *ca. 19. de pœnitentia, Con. 1. dub. 1.* dixerit teneri clericum explicare circumstantiam Sacerdotij, Diaconatus, aut Subdiaconatus. Et ex dictis etiam patet Religiosum non teneri explicare circunstantiam Ordinis sacri; cùm idem votum castitatis eadem solemnitate, ab omnibus religiosis etiam conuersis emittatur. 15

Dub. 9. *Quot modis tollitur votum?*

1. Conclusio Votum tollitur. 1. Per irritationem. 2. Per dispensationem. Et istis duobus modis tollitur omnino vinculum voti. Etsi differant, quod voti irritator debet habere potestatem dominatiuam in vouentem, *vt ait D. Tho. art. 12. & communiter*: at dispensator, sicut & commutator voti debet habere prælati autoritatem, *vt ibi ait D. Tho.* 3. Tollitur votum per interpretationem, vtpotè, pro tempore quo durat causa ob quam declaratur votum non obligare. Et ista interpretatio licitè fit à quouis viro 16

prudente 4. Tollitur votum per commutationem, quia non tollitur obligatio voti: sed mutatur in aliam materiam.

2 Concl. *Iuxta D. Tho. art. 12. ad 2.* Dispensatio, commutatio, & interpretatio ad sui valorem requirunt causam sufficientem Non verò requiritur causa pro irritationis valore. Quia subditus suo voto non potest suum superiorem obligare. Etsi aliquando peccabit superior irritand votum subditi, vt si videt tale votum esse subdito valde vtile ad bonum spirituale. Imò etsi votum sit à subdito emissum de licentia superioris, adhuc potest ab eo, aut successore sibi æquali, & non ab inferiore irritari. *Ita Torre ar. 9. d. 2.* Nam prælatus concedendo licentiam vouendi suo subdito, non abdicauit à se dominium, quod habet supra actiones subditi: ergò adhuc potest irritare vota etiam cum sua licentia emissa. *Ita Torr. cum Caiet. Silu. Soto, Aragon.* contra *Ricard.* Licèt peccet mort. qui dedit talem licentiam, illud irritando sine causa rationabili, vt patet ex illo *Num.* 30. *si post quam pater, aut maritus consenserint in votum filiæ, aut vxoris, retractet tale votum, illa manet libera à voto: pater tamen portabit iniquitatem suam.* Et nota, quod votum semel irritatum non reuiuiscit, etiam si irritator vellet. *Ita ca. quidam, & cap. placet, de conuer. coniu. Rose. ver. votum. 1. & Tabi verb. votum.*

3. Conclusio. Sufficiens causa pro declarando deobligationem voti erit, si impletio voti est contra legem naturæ, aut finem voti, vt si vouisti ieiunium cum quo periclitatur salus, aut impeditur maius obsequium Dei.

4 Conclusio. Sufficiens causa pro dispensando voto erit, quæ iuxta probabile dubium obstat executioni voti, aut si votum impedit maius bonum, aut si vouens sit in morali periculo violandi votum orto ex natura status, vt patet in voto castitatis coniugati, qui tenetur cum sua coniuge habitare. Erit etiam causa sufficiens *iuxta cap. adueniens, qui cler. ver. vou.* vehemens tentatio, aut infirmitas vouentis, ex quibus oritur morale periculum violandi votum: dum hoc periculum non oriatur ex malitia vouentis, quæ non debet ei fauere, *vt ait Soto 1. de iust. q. 7. ar. 3.*

5. Conclusio Sufficiens causa pro commutando voto, *vt habetur cap. veniens de voto*, erit imperfecta deliberatio, alias sufficiens ad peccandum mort. Patet in eo, qui voluit ita perfectè deliberare de industria, aut ex nimia inclinatione ad materiam voti ob amorem, odium, aut aliam pas-

sionem

sionem. *Ita Torre d. 4. cum Soto, Silu. & Nauar.* Quia ista vota sic ex animi leuitate facta regulariter habent malos exitus. Item omnis causa sufficiens pro dispensando voto, erit à fortiori sufficiens pro illo commutando; cum sit minus commutare. Imò ob hoc ad commutandum votum in aliam materiam aliquando laxiorem, sat erit minus dubium de causis sufficientibus ad dispensandum. Et aliquando sat erit aliqua notabilis difficultas in implendo votum. Item ad commutandum votum in materiam probabiliter æqualem, sat erit maior promptitudo vouentis ad vnam quàm ad aliam materiam. Sic enim æquale obsequium fit Deo, & alias *Hilarem datorem diligit Deus. 2. ad. Cor. 9.*

Dub. 10. *Quis habet potestatem dominatiuam ad irritandum vota?*

1 Concl. Parentes possunt irritare omnia vota filiorum, etiam Religionis, aut castitatis, emissa ante annos pubertatis. *Ita Soto Silu.* verb. *votum 4. Nauar. cap. 12. nu. 67. & communiter, cum D. Tho.* Quia, vt ait D. *Tho. ar. 9. & q. 189. art. 5.* filij ante annos pubertatis iure naturæ subduntur parentibus, & loco istorum, tutoribus, in omnibus suis actionibus, eo quòd tunc carent perfecto vsu rationis. Et *cap. puella. 20. q. 2.* ab Ecclesia, & à repub. habentibus à natura potestatem, taxantur anni pubertatis duodecim pro fœmina, & quatuordecim pro viro. Nec obstat si ante istos annos expletos habeat quis perfectum vsum rationis. Hoc enim est per accidens, & sic adhuc istius vota possunt à parentibus reuocari. Quia vt ait D. Tho. lex solum attendit id, quod frequentius accidit, & sic, adhuc hoc non obstante est iste sub cura parentis. Post annos autem pubertatis vota personalia filiorum non possunt à parentibus iritari, cum filij tunc sint sui iuris. *Ita Caie. Soto. Sil. ver. religio 2. Torra ar. 9. d. 4. & communiter cum D. Tho. art. 8.* contra *Tabie. ver. votum. 5.* Imò etsi vota ista sint facta ante annos pubertatis, ob eandem rationem videtur probabilis sententia *Soto Sil. Arag. & Manu Rod. in su. 3. p. c. 91. n. 53.* non posse à patentibus post annos pubertatis irritari. Sed opposita sententia, *Victo. Caiet. 2. 2. q. 89. a. 5. & Nau. c. 12. n 71.* est etiam probabilis, eo quod ista vota fiunt cum dependentia à consensu patris, & cum conditione sub intellecta, si pater illa non irritet: sed vota ista non fiunt absoluta per hoc quod filius impleat quatuordecim annos, sicut nec alia vota conditionata fiunt absoluta per hoc, quod conditio impleatur, 14

ergo. 2. iſta vota ſi non confirmantur poſt annos pubertatis, habent imperfectionem vſus rationis,& infirmitatem,ob quod datur patri à natura poteſtas irritandi illa, ergo. Vota autem realia filiorum facta ante vigeſimum quintum annum poſſunt irritari à parentibus, vel tutoribus. *Ita communiter cum D. Tho. art.* 8. *ad* 2. quia toto illo tempore ſubijcitur filius patri aut tutori in adminiſtratione temporalium. Niſi alias, *vt ait Soto, Nauar. & Manu. Rod.* filius ſit emancipatus, aut habeat bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, de quibus etiam patre inuito poteſt pro libito diſponere, *vt dicemus in 7. præcepto q.* 1. *dub.* 5. Vota verò miſta filiorum, vtpotè partim realia, & partim perſonalia facta ante dictum tempus, vt votum peregrinandi, in quo aliquid inſumetur,iuxta ſententiam probabilem poſſunt à parentibus irritari,vno excepto voto eundi Hieroſolymam, vt habetur *cap. ex multa. de voto.* Et ſaltem in omni ſententia poſſunt parentes ſuſpendere iſtorum votorũ executionem pro tempore quo filius ſibi ſubditur, cum vota iſta cedant in damnum patris, ceſſando ab eius ſeruitio. Et idem ius ac pater, habet tutor ad irritanda vota. *Ita cap. puella.* 20. *q.* 2. *& in tit. de adminiſtratione tutorum.* Secus de matre vidua etiam alias non tutrice,*vt ait Torre.ar.*9. *d.* 4. *Nau.c.*12 *n.* 64. *Silu.ver.religio* 2. contra *Innocentium.*

20 2 Concluſio Domini poſſunt irritare vota realia ſuorum mancipiorum, & perſonalia cedentia in ſuum damnum, vt votum orandi, ieiunandi, peregrinandi, intrandi Religionem. Secus de votis non impedientibus domini ſeruitium, vt votum caſtitatis, non iurandi, non peccandi, &c. *Ita Caiet. ar.* 8. *Torre.ar.* 9 *d.*2. *Silu.* verb. *votum*.4. Imò, & vota emiſſa à ſubdito pro tempore, quo non ſit ſubditus, vt dicunt iſti, non poſſunt à Domino irritari; etſi *Soto, & Ledeſma, cap.*7. *in fine* dicant oppoſitum; quia ille tunc non eſt ſubditus ſuo ſuperiori quo ad ſuas actiones, & materiam voti.

21 3. Concl. Maritus poteſt irritare vxoris vota, etiam ante matrimonium emiſſa, de dando eleemoſynam, cum ſit bonorum adminiſtrator, & de orando, ieiunando, peregrinando: imò & de non peccando, & de alijs etiam ad ſalutem neceſſarijs. *Ita Ledeſma.c.*7. *de voto, Torre.ar.*9.*d.*7. *ex D. Auguſt. in n.*30. *q.*56. *Soto* 7. *de iuſt.q.*3. *ar.*1. *Sanchez li.* 9.*de matrim. d.*39.*n.*4. Nam vxor eſt ſubdita viro, vt capiti. Quia vero coniuges in pertinentibus ad matrimonium ſunt pares; vt patet ex illo 1. Cor.7. *Mulier non habet poteſtatem*

statem sui corporis, sed vir, & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & aliàs irritare vota sit Superioris; non potest vir irritare votum castitatis vxoris, quantum ad non petendum debitum. Ita *August. in Num. q.* 59. *& Torre art.* 9. *d.* 3. Imò nec votum non reddendi debitum, factum alias de consensu viri. Ita *Ledes. & Torre*, licet opposita sententia *Soto* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. videatur verior iuxta dicta *dub.* 9. *Concl.* 2. Imò ibi ait *Soto*, votum coniugis, maximè viri, de non petendo debitum factum sine consensu alterius coniugis esse nullum: & idem dixerat *Ledesma, c.* 1. *de matrim. cum Armil.* verb. *debitum, & iuxta D. Thom. in* 4 *d.* 32. *art.* 4. *ad* 3. Quia dicunt, esse durissimum matrimonium, maximè mulieri, si ipsa semper deberet petere debitum. Sed oppositum est verius iuxta dicta, & patet ex *c. quidam, & c. placet, de conuer. coniu.* vbi dicitur, votum castitatis vxoris valere, & obligare non petere debitum, cùm hoc sit in eius potestate. Et idem est de viro. Et à fortiori patet contra alios non posse vxorem vllum viri votum irritare, etiam de non petendo debitum, cùm mulier in nullo sit superior viro: sed è contra, vt Paulus ait ad Ephes. 3. *Vir est caput mulieris*. Fateor tamen vota viri de præiudicantibus matrimonio esse nulla, vt votum longæ peregrinationis, vt ait *Torre art.* 9. *d.* 3. Vno excepto voto vltramarino in subsidium terræ Sanctæ, iuxta *cap. ex multa, de voto.*

4. Conclusio Papa, & Prælati regularium possunt istorum irritare vota, etiam de his, ad quæ ex iure diuino, & naturali tenentur, vt de non peccando. Et solùm tollitur Prælatis regularium in *c. licet, de Regularibus*, posse irritare votum ascendendi ad arctiorem Religionem, aut superiorem statum. In omnibus autem alijs, vt est communis sententia, *Caiet. art.* 8. ob totalem traditionem voluntatis Religiosi factam in professione, Religiosus iure diuino, & naturali subditur Prælato; & sic nullum votum Religiosi est firmum renuente Prælato. Quia si emittat votum de vetitis à regula, aut Prælato, vt de peregrinando, intelligitur si Prælatus det licentiam; & si de non vetitis, intelligitur, dum Superior non renuat. Nam etsi in voto non peccandi, aut non faciendi aliàs à Deo, vel Ecclesia vetita, materia non sit omninò subiecta Prælato, sed ab eo sit indispensabilis: est tamen ei subiecta quoad vinculum voti ob dictam totalem traditionem. Ita *Soto* 8. *de iustitia, quæst.* 3. *art.* 1. *Nauar. cap.* 12. *num.* 64. *& Ledesma*. Et idem est de omni habente pote- 22

stella-

testatem dominatiuam respectu sui subditi, vt de Priorissis, & Abbatissis, quæ possunt irritare omnia suarum monialium vota. Aliàs possent istæ, quando præcipitur sibi aliquid à Priorissa, excusare se ob votum contrarium, quod esset absurdum. Ita *Ledesm.c.7. in fin & Torre art 9.d.2.*

23 Dub.11. *Quis dispenset, aut commutet vota?*

1. Conc. *D.Thom.art.10.* In Ecclesia est potestas dispensandi, & commutandi ex causa legitima omnia vota, excepto à *D. Thoma, art.11.* voto Monachali. Hæc est de fide, & patet 1. *ex cap. 2. de voto*, & ex communi traditione Ecclesiæ, & vsu à tempore Apostolorum, de qua nullus dicet errasse in re ita graui, & ad mores fidelium maximè necessaria. 2. Quia sic expedit bono Ecclesiæ regimini. Ita communiter cum *Diuo Thoma art.10.* Istam enim potestatem commutandi, & dispensandi in votis, aliàs de iure diuino, & naturali obligantibus, vt dixi *dub.4.* habet Ecclesia ex commissione Dei, in persona Dei determinando, seu declarando quid sit Deo acceptum, & congrua materia voti. Ita *D. Thom. art.10. ad 2. & art.12.* sicut inferiores Prælati ex commissione superiorum sæpè dispensant in istorum legibus, & ita expedit.

24 2. Conclusio. Stando in iure communi Episcopus, & Capildus in Sede vacante, & alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, dispensant, & commutant omnia suorum subditorum vota, aliàs Papæ non reseruata, vt ait *D. Thom. art.13. ad 3. communiter.* Etiam si materia voti cadat in commodum alterius, vt votum Deo factum dandi aliquid pauperibus, aut Ecclesiæ. Ita *Caiet. tom.2. opusc. q. 3. de voto, Silu.* verb. *votum 4. Torre art.12. d.2. cum Armil. Nauar. & communi* contra aliquos. Nisi, vt ait Torre, talis eleemosyna sit iam acceptata ab eo, cui est voto promissa. Quia tunc tale votum sine istius consensu, non est dispensabile. Et conclusio patet. Nam Episcopus in sua Diœcesi habet tantam potestatem, quantam Papa in toto orbe, dum à Papa non limitatur. Secus de Curatis, qui sine priuilegio nulla vota possunt dispensare, aut commutare, vt ait *Torre art.12. d.1. cum D.Anton. Soto, Silu. Nauarro.* Et patet. Tum ex *D.Thom. art. 12.* requirente pro dispensando, aut commutando voto Prælati auctoritatem. Tum ex *Innocent in cap.1. de voto, communiter recepto ab Hostiens. Panorm. & alijs* contra *Manu. Rod. in quæst. Regul. tom.2. quæst.46. art.9.*

25 3. Concl. Votum visitandi Hierusalem, reseruatur Papæ,

cap.

cap. quod super his, *& cap. ex multa, de voto*, & votum peregrinationis Romanæ, & Compostellanæ, & votum Religionis, & omnimodæ castitatis perpetuæ reseruantur Papæ ex consuetudine, vt ait *Nauar. cap. 12 num. 75. Torre art. 12. d. 1. cum Panorm. Soto, Silu. Suar. lib. 6. cap. 21*. Quando aliàs dicta vota sunt absoluta in re, etsi sint conditionata secundùm formam externam, vt ista vota, promitto intrare Religionem, si pater moriatur, aut si frater maior habeat filios, vbi dictio, si, æquiualet his dictionibus, quando, cum, post, & sic sunt vota absoluta. Ita *Torre, Med. Gallo, Penna, Aragon*. Et intelligitur conclusio per se loquendo. Nam aliquando potest Episcopus dispensare in dictis votis etiam absolutis. 1. Si instat necessitas dispensandi, & non patet arbitrio prudentum, facilis aditus ad Papam, ob pericula itineris, inopiam vouentis, &c. Ita *Silu.* verb. *votum*, 4. *Caiet. 1. 2. q. 93. art. 4. Torre, Nauar. cap. 12. num. 42. Suar. lib. 9. cap. 26. num. 9 Sanchez lib. 8. de matrim. d 9. num. 22*. Et etiam expedit bono communi Ecclesiæ. 2. Si dubitatur de valore dictorum votorum, siue dubium sit iuris, siue facti. Ita *Torre art. 12. d. 3.* cum vota ista ob dubium non censeantur vota simpliciter, de quibus est reseruatio. Ex dictis patet. 1. posse Episcopum dispensare in voto promissi clericatus, in voto temporalis castitatis, non nubendi, vitandi mollitiem, non petendi debitum. Imò & in dictis votis Papæ reseruatis, si sint conditionata pœnalia, etiam conditione impleta. Ita *Med. in sum. lib. 1. c. 14. §. 6 Ludou. Lop. 1. par. cap. 44. Sanch. lib. 8. de matrim d 10. num. 8. Suar. c. 23. lib. 6. num. 6. Torre cum alijs*, contra *Soto, & Nauar*. Et patet, quia intentio vouentis, v. g. Religionem si tale crimen committat, non fertur per se, & directè in Religionem: cùm non affectu ad eam, sed ex odio, & vt à tali crimine se cohibeat, vouet illam, sed reseruatio voti Religionis, &c. intelligitur de voto Religionis, &c. simpliciter, & directè, ergo &c. Et ob eandem rationem idem dic de voto Religionis, castitatis, &c. verè, & purè conditionalibus, etiam conditione impleta: cùm adhuc maneant conditionalia, & ortum habeant ex consensu imperfecto, & conditionali. Ita *Torre, cum Orella, Anton. Gom. Sanch. num. 12.* contra *Valent. Aragon. Nauar. Gutier.* asserentes ista vota, etiam non impleta conditione esse reseruata. Vbi nota, vota pœnalia posse commutari, etiam quoad pœnam contractam: vt si vouisti non accedere ad mulierem, & si accedis dare talem eleemosynam, post accessum potest commutari

mutari tale votum etiam cum pœna incursa. Sicut & quando vouisti dare quotidie eleemosynam, potest commutari votum cum eleemosyna non soluta: quia ista non ex iustitia, sed ex Religione, & voto debetur, ergo facultas tollendi votum ad omnia se extendit. Ita *Torre art.12. d. vlt.* contra *Nauar. consil. 23. & 32. de Voto. 2.* patet ex dictis, posse Prælatos regulares dispensare, & commutare omnia subditorum vota, etiam transeundi ad arctiorem religionem: cùm istud non sit simpliciter votum religionis, sed religionis arctioris. Ita *Caiet. art.8.* contra *Palud. in 4. d. 28. q. 4. art. 4.* negantem dictis Prælatis potestatem istam dispensandi, eo quòd habent potestatem irritandi. Sed hoc est contra communem sententiam, cùm habeant isti auctoritatem Prælati, sicut & potestatem dominatiuam. Imò etsi isti Prælati non possint suorum Nouitiorum vota irritare: cùm nondum sint sibi per professionem traditi, vt ait *Nauar. in Man. cap.12. num.65.* tamen ob potestatem spiritualem, quam habent in eos, possunt illorum vota commutare, & dispensare, de quo *in nostra Epit. lib.1. cap.6. dub.20.*

4. Concl. Qui potest etiam ex commissione dispensare in votis, potest & illa commutare. Quia hoc est minus illo, cùm per commutationem non tollatur, sicut per dispensationem, vinculum voti, sed mutetur in aliam materiam. Ita *Soto 7. de iust. q.4. art.3. Suarez lib.6. cap.12. num. 9. Palud. art.3. con.*
26 *5. Torre art.12. d.1.* Et colligitur *ex D. Thom. art.10.* Imò & ipse vouens potest commutare suum votum, saltem secundùm *Soto, Suarez, &* Torre contra *Aragon.* quando non est Papæ reseruatum, in aliam materiam moraliter euidenter meliorem. Ita T*orre art.12. d. cum Couar. Nauar. Cord. Armil. Soto, & Caiet. ex cap. peruenit, de iureiur.* contra *Silu. Palud. Ricar. Panorm. & Felin.* requirentes semper pro commutatione auctoritatem Prælati. Imò in sententia probabili *Medina, & Henriq. lib. 2. de pœnit. cap.20 §.5.* vouens potest commutare suum votum in materiam euidenter æqualem: quia æquale obsequium fit Deo, & aliàs *Hilarem datorem diligit Deus. 2. ad Cor.9.* Item Confessores possunt habentium Bullam Cruciatæ commutare omnia vota, excepto voto Religionis, perpetuæ castitatis, & voto vltramarino, vtpotè, quando ista vota sunt absoluta: Secus si sint pœnalia, aut conditionata; quia vt sic non sunt reseruata, vt dixi *dub.12.*

Dub. 12. *Quomodo fiet votorum commutatio?*

1 Conc.

1. Conc. Virtute Bullæ, aut alterius priuilegij vota mitius commutentur, cùm Papa in hoc aliquam gratiam concedat. Ita *Man. Rodrig. in Bulla*, §. 9. *num.* 107. *cum Cord. q.* 149 Sed Torre *art.* 26. *dub.* 6. *cum Silu.* verb *votum*, *Nauar. c.* 12 *num.* 63. *& Caiet.* verb *votum*, oppositum, ait, tutius, & sequendum, quia commutatio sonat æqualitatem rei ad rem, vt ait *Caiet. ex Arist.* 5. *Ethic.* At commutatio in minus aliqualis dispensatio est: ergo cum facultate commutandi Bullæ, non potest votum commutari in minus. Et nota, quod commutatio virtute Bullæ sub excommunicatione lata à Commissario Cruciatæ fiet in eleemosynam pro subsidio belli contra infideles, saltem secundùm partem, vt ait *Suarez lib.* 6. *cap.* 16. *num* 18. Imò pro pauperibus erit vera Viualdi intelligentia, 3. *part. Cand cap.* 14. *num.* 39. quod fat erit, si commutatio fit in subsidium spirituale: cùm Bulla solùm dicat debere fieri in subsidium. Sed Torre id de subsidio temporali, & non aliter putat intelligi. Secus sit de commutatione facta à Religiosis in quoduis opus pium per sua priuilegia, de quo *in nostra Epito. de statu Religionis, lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 8.

2. Conclusio. In commutandis votis diligenter omnia taxentur. Votum perpetuum regulariter commutetur in aliam obligationem perpetuam, vt ait *Torre art* 12. *d* 6. Et si vouisti peregrinationem attende sumptus itineris, etiam cum socio si es vir nobilis, demptis expensis, & sumptibus domi faciendis, & ducendo famulos, & equos, vt ait *Aragon. art.* 12. *& Medin in sum lib.* 1 *c.* 14. §. 6. *&* 7. nisi aliàs vouisti ire cum ista pompa, vt ait *Torre artic.* 12. *d.* 5. Attendantur etiam pericula, labores itineris, & damna ex tua absentia in tua familia secutura. Ita *Nauar. num.* 77. Attendantur etiam sumptus, & labores reditus, vt ait *Torre cum Caiet.* verb. *votum, & Ludou. Lop.* 1 *par. cap.* 49. *ex cap. magnæ, de voto*, id expresse insinuante contra *Henriquez lib.* 7. *cap* 30. *& Man Rodr. in Bulla*, § 9. *num.* 107. *& Angles, diffi.* 6. *de voto*. Qui enim vouit ire Romam, dicunt isti, satisfacit eundo, nec tenetur redire. Et nota 1. Quod semel facta commutatione alicuius voti in aliam materiam, non reuiuiscit prioris materiæ obligatio, etsi vouens fiat impotens, etiam ex malitia ad opus commutatum, quia commutatio non fit conditionatè, sed absolutè, & simpliciter: ergo semel facta expirat prioris materiæ obligatio: nec ob malitiam reuiuiscit. Ita *Torre art.* 12. *d.* 5. Nota 2. Quod commutatio, aut

dispen-

dispensatio voti, facta virtute Iubilæi petentis ieiunia, confessionem, &c. non valet si non implentur requisita pro obtinendo Iubilæo. Ita *Torre, art. 12. d. 6.* contra *Enriq. lib. 7. c. 9.* Quia gratiæ omnes Iubilæi, vt est ista votorum commutatio, & dispensatio, conceduntur sub illis conditionibus. Nec est idem de absolutione à reseruatis. Quia ista non datur sub conditione. Verum est, quod quando Iubilæum lucraris in vna ex duabus septimanis, sicut non potes bis absolui à reseruatis semel in vna, & semel in altera septimana, etsi in ambabus septimanis facias requisita pro Iubilæo: sic nec potes bis vti gratia commutationis, aut dispensationis, sicut nec bis lucrari indulgentiam. Ita *Torre, art. 12. d 6. & Suarez, cap. 16. num. 16. lib. 6.* contra *Enriq lib 2. de Indulgentia, cap. 11.*

3. Conc. Qui habet facultatem dispensandi, & commutandi vota, melius faciet vtendo vtraque potestate, vt sic defectus in assignando sufficientem materiam pro commutatione suppleatur per dispensationem, & causa sufficiens maior pro dispensatione, quàm pro commutatione, suppleatur per commutationem. Ita *Enriq. lib. 7. cap. 30. num. 5.*

TERTIVM PRÆCEPTVM.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

FEstorum sanctificatio fit cessando ab operibus seruilibus, audiendo Missam, orando Deum, ieiunando, & seruando alia Ecclesiæ præcepta, quæ ad hoc tertium præceptum reducuntur, de quibus suo ordine dicemus.

ARTICVLVS I. DE CESSATIONE AB OPERIBVS SERVILIBVS.

SVMMARIVM.

An liceat laborare in diebus festis, num. 1.

In die festo licet exercere etiam pro pretio opera ingenua, vt docere, patrocinari, &c. num. 2.

Sed opera seruilia facere in festo est peccatum mortale ex suo genere, paruitas materiæ excusat à mortali, num. 3.

Ea tamen opera seruilia licita sunt multis casibus, num. 4.

Licita

Licita sunt etiam ea, quæ sunt in vsu, sciente, & non renuente Superiore, vt coquere cibos, &c. num 5.

DVB. 1. *An liceat laborare in festis?* Et festa dicuntur, quæ iubentur seruare in iure, aut ab Episcopo cum clero, & populo ex causa rationabi'i non contradicente, iuxta *cap. conquestus, de ferijs*. Ita *Armil.* verb. *festum, num.* 21 Et festa sic instituta, sunt etiam seruanda à Religiosis, cùm sint vicini oppidorum. Ita *in Concil. Trid sess.* 24. *cap.* 12. Nec sæculares possunt in domibus Religiosorum ob pietatem laborare absque necessitate, & licentia Ordinarij laborantium. Ita *Man. Rodr.* verb. *festa*. 1

1. Conclusio. Licitè exercentur in festo, etiam pro pretio opera ingenua, v. g. docere, patrocinari in Aduocato, piscari, depingere, acere recamaturas, id est, *labrar, ò bordar*; & designare in cartis, quæ sunt postea fabricanda, & similia. Ita *Armil.* verb. *festum*. Et licet iuxta *Caiet.* 2. 2. *q.* 122. *art* 4. *& Nauar. in Man cap.* 13. *num.* 14. non liceat in festo transcribere libros, & processus ob quæstum: sed re vera, nec ista sunt opera seruilia, nec ob pretium seruilia fiunt, vt ipse *Caiet.* verb. *festum, Nauar. num.* 1. *&* 2. *& Med. in Sum.* §. 8. *& Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.* 52. fatentur. 2

2. Conclusio. Peccatum est mortale ex genere, facere in festo opera seruilia. Et ista sunt opera corporalia, in quibus vnus homo alteri seruit, vt ait *D. Thom & Caiet.* 2. 2. *q.* 1 *art.* 4. *ad* 3. *& cap.* 1. *& cap. conquestus, de ferijs*. Inter opera seruilia computantur. 1. Mercatus, scilicet, negotiationes, & locationes. 2. Iudicium ciuile, præter excommunicationem, quæ potius habet rationem legis. 3. Litigare, vbi non vetatur informare iudicem; etiam cum Aduocato, & procuratore, nec appellare, sed litigare quoad actus iudiciales. 4. Iuramentum in causis iudicialibus, nisi aliàs petatur pro pace, aut alia necessitate. 5. Iudicialis strepitus. Et annullatur processus, & sententia lata in festo, etiam de consensu partium: nisi aliàs pro pietate, aut necessitate. Nam aliquando immanitas delicti notorij petit reum subitò, etiam sine processu, suspendi. Dixi ex genere. Nam ex paruitate materiæ erit peccatum veniale. Vt laborare per dimidiam horam, grauis enim materia reputatur à viris doctis labor vnius horæ, etiam si laboretur pro paranda materia ad opus sequentis diei, vt si figulus parat lutum. Et idem est de purgante triticum, 3

ticum,

ticum, aut farinam, nisi vsus sit in contrarium, sciente, & non contradicente Superiore.

4 3. Concl. Aliquando licet facere opera seruilia in festo. 1. Pro salute corporali, vt patet in pharmacopolis potum ægris, etiam pretio propinantibus. 2. Pro vitando damno imminenti hostium, aut tempestatum, licet colligere fructus, &c. 3. Licet resarcire vestes pauperum, & ipsis, & pro ipsis ablato scandalo laborare pro victu acquirendo, etsi lata sit excommunicatio in laborantes. Ita *Nauar. in Manual. cap.* 23.*num.*14.*&* 15. *Armil.*verb.*festum,num.*25 *& Caiet.*verb. *festum.* Et sic tonsor potest tondere barbam laboraturis in crastinum,& idem *delherrador.* 4. Pro Ecclesia paupere licet eius ædificatio, cultus agrorum, & domorum, sed de licentia Ordinarij, vt ait *Caiet. & Armil.* verb. *Festum.* Et quoties necessitas propria, aut proximi non est ita clara, petatur licentia ab Ordinario, aut Curato, vbi iste solet dispensare. Ita *Ludou. Lop.* Sed si necessitas certa est, non est necessaria talis licentia, vt ait *D. Thom.* 2.2. *q.*147. *art.*4. sicut nec ad non ieiunandum, aut vetitis vescendum.

5 4. Conclusio. Etiam sine necessitate sunt licita in festo opera seruilia, quæ sunt in vsu, sciente, & non renuente Superiore, vt coquere cibos pistorios, & alia ad victum; coquere lateres, ollas, vitrum, calcem, nauigare, itinerari, locare, & conducere homines, & animalia pro die sequenti, vendere supellectilia in subhastatione, molere triticum, & mittere ad hoc animalia tritico onusta, vendere calceos, & alia, quæ sunt in vsu, & iuxta *cap. licet, de ferijs*, piscari thunos, sardas, &c. quando isti pisces certis diebus veniunt, & illicò fugiunt. Et idem de alio lucro transitorio. Ita *Caiet. Armil. Ludou. Lop. & alij.* Et puella laborans ob vitandum otium excusatur à Sa, verb *Festum.*

ARTICVLVS II. DE MISSA.

SVMMARIVM.

Tenemur sub mortali in festis audire Missam ab Epistola, vel Euangelio vsque ad finem communionis, num. 1.

Quomodo Missa sit audienda, num. 2.

Quæ excusent ab audienda Missa, num. 3.

DVB.

DVB. 2. An fideles teneamur audire Missam in festo?

1. Concl. Tenemur sub mort. audire in festis Missam, ab Epistola, aut iuxta *D. Ant. 2. tit. 9. cap. 10. Nau. in Man. p. 21. n. 2. & Manu. Rod. verf. festa.* ab Euangelio vsque ad communionem finitam. Et qui alia omittit satisfacit Missæ, etsi peccet ven. ob paruitatem materiæ omissæ. Imò qui audit dimidiam Missam ab vno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio, satisfacit, cum audiat integram Missam. *Ita Nauar. & Soto d. 13. q. 1. ar. 1.* 1

2. Conclusio. Etsi non sit necesse audire Missam, vt patet in procul astantibus, debemus tamen interesse Missæ mente & corpore: ita vt si commedè possis oculis videas, & auribus audias. Qui enim de industria a vertit oculos, & obstruit aures per bonam partem Missæ, non satisfacit, etsi aliàs mente attendat Missæ. Et requiritur pro Missa attentio requisita pro recitatione horarum; nec tollitur ista attentio recitando Rosarium, aut alia tunc, sed magis sic excitatur deuotio: de quo dub. 3. Et qui in Missa discurrit pro necessarijs Missæ, satisfacit. *Ita Sà. ver. Missa.* Qui autem transit per oppidum, vbi celebratur festum particulare, non tenetur audire Missam, secus si inde recedat, vel eo accedat. *Ita Sà.* 2

3. Concl. Excusamur ab audientia Missæ pro vitando scandalo, aut damno in corpore, honore, aut diuitijs: pro medendo infirmo, pro custodia filiæ, aut si non habes vestes quibus decenter iuxta tuum statum in publico appareas, aut itinerando cum socio nolente expectare Missam. Excusantur pastores, & alij custodes. Sed si sint duæ Missæ & duo pastores, vnus audiet vnam Missam, alter alteram. Et si sit sola vna Missa, alter eorum alternatim audiet illam. Excusantur etiam, qui ex more rationabili patriæ solent domi manere; sicut puellæ, vbi mos est, ne domo exeant, & viduæ per mensem luctus, & puerperæ per dies Purificationis abstinentes ab ingressu Ecclesiæ, *iuxta c. 1. de Purificatione.* Excusatur agaso extra oppidum manendo, vt pascantur bestiæ, & qui vendit panem, & alia quæ non possunt omitti sine graui damno. Excusatur qui bona fide putans in tali hora, aut loco Missam celebrari, exspectat vsque tunc; & postea ex aliquo euentu non celebratur, & qui itinerando bona fide putat peruenire ad horam Missæ, & ex negligentia inculpabili id omisit, aut si Missa sit anticipata plus solito. 3

4. Conc. Patres tenentur monere, filios, & famulos, vt

D Missam

Missam audiant; & non occupare eos in operibus seruilibus. Et si sub graui pœna iubeant eos laborare, aut omittere Missam, filij, & serui non peccant obediendo. Et idem est de vxore. Ita *Caiet. Armil. & Ludou. Lop. tom. 1. c. 52.*

ARTICVLVS III. DE ORATIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 83.

S V M M A R I V M.

Quod sit praceptum orationis, & quando obliget, num. 1.
Qua attentio requiratur in oratione, num. 2.
Quis teneatur recitare horas canonicas, num. 3.
Religiosus professus chorum, ad eas tenetur sub mortali, num. 4.
Tenetur etiam ad eas dum est eiectus à religione; secus si ex chorista fiat laicus, num. 5.
Habentes beneficia Ecclesiastica hoc praceptum obligat, & habentes pensionem spiritualem tenentur recitare Officium paruum B. Virginis, num. 6.
Qui habet tenuissimum beneficium non tenetur recitare horas, num. 7.
Ad quid teneatur beneficiarius non recipiens fructus beneficij, num. 8.
Quid dicendum de illo, qui habet titulum beneficij sine possessione, num. 9.
Qui habet Capellaniam an teneatur recitare horas, num. 10.
Coadiutor alicuius beneficij ad eas non tenetur, num. 11.
Dominicani sub mortali tenentur certis diebus recitare paruum officium B. Virginis, & singulis septimanis officium Defunctorum, num. 12.
Ad eadem recitanda tenentur dum vtuntur Breuiario Romano, num. 13.
Non est peccatum mortale dicere officium de Sancto dum agendum esset de Feria; si tamen hoc fiat in Sabbato, dicendum est paruum officium B. Virginis, non Canticum Graduum, num. 14.
Inuertere ordinem horarum, & dicere Missam non recitatis Matutinis, non est peccatum, num. 15.
Quando repetenda sint hora propter omissionem alicuius partis, vel interruptionem, num 16.

Quinam

DVB. 3. *An oratio sit in præcepto?* 1

1. Concl. Affirmatiua. Patet *Luc.* 18. *Oportet semper orare, &c.* Sed cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat ad semper, sed in necessitate. Et ad hoc sunt festa instituta, vt in eis homo vacet Deo.

2. Conc. Quoties homo est in graui necessitate infidelitatis, desperationis, &c. tenetur orando implorare Dei auxilium. Quia tunc potissimè obligat præceptum orationis.

3. Concl. Qui nunquam orat peccat mortaliter. Quia cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, aliquando, etiam extra grauissimam necessitatem, debet obligare. Et qui per multum tempus non orat, non videtur habere gratiam Spiritus sancti, qui vbi habitat, *postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit, & clamare ad Deum *gemitibus inenarrabilibus. Ad Rom.* 8.

4. Concl. Non requiritur actualis attentio in tota oratione, vt sit meritoria, & impetratoria, cùm sit impossibilis moraliter, sed sat est prima intentio qua accessisti ad orandum, cum animo implendi præceptum orationis, dum tamen in ea de industria diu non diuageris, aut alia facias impedientia attentionem. Quia sic orando peccares, nec impleres præceptum orationis. Et nota. Quod attentio pro oratione est triplex. 1. Qua attenditur ad verba, ne orans in eis erret. 2. Qua attenditur ad sensum verborum. 3. Qua attenditur ad finem orationis, vtpotè, ad Deum, & ad rem pro qua oras. Et hæc est maximè necessaria; & ab idiotis haberi potest, etsi non intelligant orationem. Et cùm ista attentione simul imples præceptum audiendi Missam, & recitandi horas, vt ait *Caiet. opusc. de hoc, Soto d.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *Med. in sum. Torre* 2. 2. *q.* 8. *contr.* 8. *d.* 3. 2

contra *Silu. ver. Missa 2. & Armill. ver. festum. vt dixi dub. 2.*

Dub. 4. *Quis tenetur horas canonicas recitare?*

1. Conc. Præceptum recitandi horas, obligat. 1. *in ca. dolentes, de celeb. Mis. & c. fin. de 92.* initiatos maioribus
4 ordinibus. 2. Religiosos professos vtriusque sexus choristas, siue ad id teneantur ex natura status, quod verius reputo *cum D. Ant. p. 3. tit. 14. ca. 4. §. 1. & Na. in man. c. 25. num. 96.* siue ex consuetudine immemoriali, quod alij volunt. Et quòd teneantur, est communis sententia Thomistarum, & Canonistarum contra *Med. Complut de quo Torre, 1. 2. q. 83. art. 16. controu. 6. d. 2. Ledesma tract. 9. de relig. c. 4.* vbi etiam imponit Caietano ipsum dicere, non obligare istos hoc præceptum sub mor. Nec est audiendus Aragon, ait Ledesma, improbabiliter asserens, quod si religiosus professus semel aut iterum omittit horas, non peccat mort. bene tamen si plu-
5 ries. Et nota, quod si Religiosus professus à religione eijcitur, tenetur horas recitare, sicut, & clericus degradatus. Quia ex sua improbitate non debet leuamen reportare, nec per talem expulsionem liberatur à suo statu aut ab intrinsecis
6 ei: secus de chorista translato ad statum laicorum, *ait Torre, controu. 7. num. 17. & 20.* Tertio obligat hoc præceptum habentes beneficia Ecclesiastica. Inter quæ computantur portiones, & alia beneficia, etiam nullum seruitium habentia, & præstimonia, vt declaratur à Pio V. in motu incipiente *ex proximo Latera. Conc.* Vbi etiam præcipitur habentibus pensiones titulo spirituali, saltem primæ tonsuræ assignatas, recitare officium paruum beatissimæ Virginis.

An vero recitare tenearis, si habes tenuissimum beneficium? *In hoc Silu. ver. hora. Nauar. in man. c. 25. n. 102. & glos. in c. clericus victum, d. 91. tenet quòd sic.* Sed oppositum tenent. *Soto 10. de iust. q. 5. Man Rod. cum Aragon in sum. 1. p. cap. 340. Ledes. & communiter Theologi, maximè Tho-*
7 *mista.* Et patet. Quia obligatio recitandi horas in beneficiato, oritur ex stipendio, & beneficio, & debent ista inter se proportionari, sed tenuissimum beneficium, seu stipendium non proportionatur cùm tam ingenti onere recitandi horas, ergo. Vbi nota, quod iuxta Ledesmam, tenuissimum beneficium est, quod non excedit viginti ducatos, & Soto dixerat, quod non excedit octo ducatos, quod idem est. Nam in tempore Soti, quando stipendium Missarum erat dimidium argentum, octo ducati æquiualebant viginti modo,

quando

quando stipendium Missarum excedit vnum argenteum. Addit etiam Soto & alij prædicti, quod si beneficium non sit sufficiens pro victu clerici pauperis, si tamen sat est ad bonam partem victus, obligat recitare horas. Aliàs si adhuc sic non sat est, obligabit recitare aliqua ad arbitrium prudentum pro quantitate beneficij.

4. Beneficiatus, qui vltro cedit alteri fructus, aut sua culpa non capit eos, eo quod non vult seruire Ecclesiæ, ob quod fructus dantur vicario seruienti, aut si acceptat beneficium cum onere reddendi alteri omnes fructus, iste, inquam, in istis casibus tenetur horas recitare. *Ita Torre, controu. 6. d. 5.* Secus de habente beneficium sine fructibus per Papam alteri concessis, quia ob fructus tenetur horas recitare, *ait Caietan verb. hora. Sot. Nauar. Ledesm. & Man. Rod.* contra Siluest. *verb. hora & Medin de oratione, qu. 9.* ponentes solum titulum beneficij cum seruitio, maximè, vt ait Na. si capit quotidianas distributiones etiam insufficientes ad victum, obligatur recitare horas. 8

5. Qui habet titulum beneficij, & ex negligentia non accipit possessionem, vt pote si sit excommunicatus, & facilè obtinebit absolutionem, vt accipiat possessionem, etsi interim ob excommunicationem non capiat fructus, tenetur horas recitare. 6. Si beneficiatus litigat super beneficio, & data sententia obtinebit fructus sequestratos, aut ab aduersario perceptos, etiam si non acceperit possessionem, tenetur horas recitare. Quia fructus saltem post litem contestatam, debentur vero beneficiato, si vicerit. *Ita Nau. in m. c. 25. nu. 104. & Ma. Rod. in su. p. c. 140. contr. Caiet. Palud. & Soto.* Sed melius distinguit *Ledesma tract. 9. de religione,* dicens, quod si beneficiatus possidet beneficium, & certum sit eius ius, ita quòd certo sibi applicabuntur fructus, tenetur horas recitare. Secus si non possidet beneficium, & dubitatur an possidebit, aut si possidet non capit fructus, & dubitatur an spoliabitur. 9

7. Qui habet capellaniam à solo fundatore sine ordinario institutam, non tenetur horas recitare. Nam cum ista non sit beneficium Ecclesiasticum, solum obligat dicere Missas. Secus fit de habente capellaniam collatiuam, vt potè, auctoritate ordinarij institutam, siue ad eam promoueatur capellanus solo iure collationis, aut electionis, & confirmationis, siue per præsentationem, & institutionem. *Ita Nauar. in man. cap. 25. num. 121. Torre, de horis Canonicis,* 10

contr.6. d.6. Silu. verb. *hora*, vbi etiam dicunt, quod si iste non satisfacit Missis, aut alijs oneribus capellaniæ, quia puer, aut impotens est, sed ista facit per alium, adhuc recitare tenetur. Quia istud est onus personale annexum habenti beneficium: nec alteri delegabile, etiam vt studijs vacet. Ita communiter iuxta *Clem.2 de celebr. Miss.* contra *Panorm. & Gerar citatos à Torre contr 7.num.*16. At si à Capellano ad omnia, etiam ad recitandum impotenti, aut à Prælato in vacantia Capellaniæ committatur alteri tota Capellaniæ administratio, tenebitur solus iste recitare. Quia horarum recitatio computatur inter pertinentia ad administrationem beneficij. Ita *Torre controu. 6. d.6. cum Medin. Ledesma, & Nauar.* Et nota 1. quod qui habet plura beneficia, satisfacit semel in die horas recitando.
11 Ita *Torre dub.* 4. *cum D.Thom. quod.*1. *art.* 13. Nota 2. quod coadiutor alicuius beneficij, etiam cum spe certa futuræ successionis, non tenetur horas recitare, nisi aliter à Papa disponatur in bullis coadiutoriæ. Tum, quia iste non est beneficiatus. Tum, quia alter cuius est coadiutor, tenetur horas recitare, & pro vno beneficio non sunt duo obligandi ad recitandum horas. Nec obstat, si coadiutor absente coadiuto habet sedem in choro, & vocem in Capitulo. Nam ista sunt priuilegia ei concessa, quæ tamen non efficiunt eum vere Canonicum. Ita *Torre dub.*6. *& Nauar.in Man.cap.*2.*num.*18.
12 2. Concl. Prædicti tenentur sub mortali ex genere studiosè, & deuotè horas recitare nocturnas, & diurnas. Ita *cap. dolentes, de celebrat. Miss.* Et prout in eorum Breuiario disponitur. Tenentur etiam recitare alia, quæ ex laudabili consuetudine, vt obligantia sunt instituta. V. g. In nostra Prædicatorum familia, tenemur recitare officium paruum Beatissimæ Virginis, exceptis certis diebus, & in singulis septimanis integrum officium Defunctorum, &c. Dixi ex genere, nam ex paruitate materiæ omissio Hymni, aut breuis Psalmi, erit peccatum veniale. Et licet qui vtuntur Breuiario Romano, vt ait *Torre controu.*8. peccent mortaliter, si sæpè, non si semel, aut iterum, recitent per aliud Breuiarium ob præceptum Pij V. tamen secluso isto præcepto non peccat
13 mortaliter, qui extraneo vtitur Breuiario, dum etiam recitet alia obligantia in sua Religione. V. g. Si Religiosus Dominicanus recitet per Breuiarium Romanum, tenetur recitare Officium beatissimæ Virginis, Canticum Graduum, & Officium Defunctorum, prout in suo Breuiario notatur. Etsi enim

in Bre-

in Breuiario Romano à prædictis liberentur: tamen hoc intelligitur pro recitantibus per Breuiarium Romanum, in sua Religione receptum. Item non peccas mortaliter, si etiam absque necessitate recites de alio festo contra ordinarium, aut si pro feria recites de Sancto, dum tamen recitando in Sabhato, de beatissima Virgine, & omittendo feriam, recites etiam officium paruum beatissimæ Virginis, non verò Canticum Graduum. Et intelliguntur ista per se, & regulariter. Nam si in Dominica, v. g. recites officium feriæ secundæ, peccas mortaliter cùm defraudes officium diuinum, in notabili quantitate. Et si in Natali Domini, aut Paschate, & similibus recites de Sancto, peccas mortaliter ob defraudatum finem cultus Ecclesiastici in celebratione festiuitatum. Et si in Quadragesima recites officium temporis Paschalis, peccas mortaliter ob vtramque rationem dictam. Ita *Torre controu*. 8. Item non peccas mortaliter, si etiam sine necessitate anteponas, aut postponas horas intra eundem diem, aut inuertas ordinem horarum. Ita *Torre, cum D. Anton. Angel. Silu. Soto, & Medin. in* 3. *præcepto*, §. 11. Item non peccas dicendo Missam nondum recitatis horis Matutinis. Ita *Torre controu*. 8. *ad* 2 Quia nec de hoc stat præceptum, aut consuetudo: vt contra *Nauar*. dicunt multi relati à *Silu*. verb. *Missa*, nec Missa, & horæ habent inter se connexionem, aut ordinem. Et nota quòd pars notabilis horæ, sine qua omissa, in parte recitata non saluatur, iudicio prudentum, forma, & modus horæ, est iterum cum tota hora recitanda. Sed si in parte recitata saluetur forma, & modus horæ, sat erit repetere partem si sit notabilis, etiam culpabiliter omissam, vt si in Matutinis Dominicæ omisisti Psalmum *Diligam te Domine, &c.* At si pars omissa etiam culpabiliter sit parua, non est iterum recitanda. Quia parum pro nihilo reputatur. Et idem quando prædicta recitantur sine attentione formali, aut virtuali. Ita *Torre controu*. 9 *num*. 13. Item si interrumpis horam cum causa legitima, repetes à parte interrupta. Et idem si interruptio, etiam culpabilis, est breuis. Secus si interruptio aliàs culpabilis est longa, tunc repetatur hora. Nam longa interruptio culpabilis discontinuat totam horam, non sic interruptio legitima, etiam longa. Item nec repetes horam, si ob vanam gloriam, aut ob alium finem mortalem recitasti horas. Ita *Torre loco citato, num*. 14.

14 15 16

Dub. 5. *An excusentur aliqui à recitando horas?* 17

1. Conclusio. Excusantur à recitando horas, 1. Infirmi

non valentes recitare totum officium, qui nec partem, etsi possint, tenentur recitare. *Ita Manuel. Rodr. in summa* 1. *parte cap.* 145. contra Nauarum *cap.* 10. *de oratione num.* 9. imo Torre, *art.* 17. *controu.* 7. ait quod qui ex quauis causa non potest recitare maiorem partem officij in qua seruatur forma officij Ecclesiastici, non tenetur recitare minorem, vt si non potes recitare horas antemeridianas, non teneris recitare Vesperas, nec Completorium, etsi possis, Quia, ait, omnes horæ vnicum officium diuinum reputantur, in quo Ecclesia repræsentat quæ Christo in sua passione acciderunt: ergo cum ista repræsentatio saltem in minori parte non saluetur, ad eam non tenemur. Item, etsi infirmus, qui cum socio facilè inuento recitare volet, ad id teneatur, sed non obligatur ad inquisitionem socij diligentem. *Ita Torre, controu.* 7. *nu.* 4. Nec tenemur audire officium diuinum, si non possumus illud recitare. Quia præceptum hoc, est de recitando, non de audiendo horas. *Ita Torre, cum Nauar.* At infirmus, qui potest serio loqui, aut alia prophana tractare, non excusatur à recitando horas, cum hoc sit illo facilius. In dubio tamen an nocebit horarum recitatio, erit necessaria Prælati dispensatio, sicut & pro ieiunijs, aut cibis. *Ita Torre ex D. Th.* 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. 2. Excusatur à recitando horas, qui subito occupatus aliqua necessitate, quæ sine peccato, aut scandalo omitti nequit, vtrique obligationi satisfacere non valet, v. g. pro pacificando populo rixari volente, pro confutanda aliqua mala doctrina pro prædicando Sermone qui non potest sine scandalo omitti. *ita Silu. ver. ho. a.* Nau. *loco cit. cap.* 9. *n.* 88.

3. Excusamur ob maiora opera quam sit recitatio horarum. v. g. pro medendo infirmo, pro audiendis confessionibus in magno concursu. Et à fortiori satisfacis si sciendo te sequenti die occupatissimum fore, anticipas horas præcedenti vespere. *Ita docet Nau.* de eo qui in concursu publico aliorum candidatoinm est lecturus, aut conclosiones defensurus,

Dubio 6. *An qui sine causa legitima non recitat horas, teneatur restituere.*

1. Conclusio Negatiua de Religiosis, & de initiatis sacris Ordinibus: cum isti non ex iustitiæ, sed ex sola Religione recitare teneantur.

2. Concl. Beneficiati simplices, vt pensionarij, præstimoniarij, &c. si horas non recitent, tenentur restituere ex

Haec propositio est damnata ab Innocentio XI die 2. Mar. 1679; n. a 54 ad 65.

iure diuino, & naturali. Quia ob hoc solum dantur sibi stipendia, nec eis incumbit aliud ministerium spirituale, ergo si hoc non præstent, sicut qui non laborant in vinea, tenentur ex iustitia restituere stipendia. Nec sat erit *contra D. Anton. 3. part. tit. 6. Adria. & alios relatos à Torre, controu. 9. num.* 23. si recites cras horas omissas hodie. Quia Ecclesia non dat stipendia, vt pro se orent solum, sed etiam vt Deo exhibeatur cultus iuxta formam ab ea præscriptam, modo in honorem istius sancti, modo alterius, modo ad celebritatem huic diei dicatam, & modo ad alterius diei solemnitatem. 2. Patet conclusio de omnibus beneficiarijs, etiam cum cura animarum, ex *Concilio Tridentino latè sess. 9. cap.* 9. vbi sic habetur. Qui obtinet beneficium cum cura, aut siue cura animarum, si transactis sex mensibus à die obtenti beneficij, & cessante legitimo impedimento non recitet horas, tenetur pro rata omissionis horarum fructus restituere pauperibus, Ecclesiæ, aut alijs quibus sunt applicati ex speciali statuto, *vt ait Nau. in Man.* 25. *num.* 122. Imo non recitando intra illos sex menses peccauit contra iustitiam, & restituere teneretur, si alias à Papa in dicto decreto, iustis de causis non liberaretur à restituendo. *Ita Torre controu.* 9. *num.* 35.

3. Concl. Modus restituendi declaratur à Pio V. in motu 19
incipiente, *ex proximo Lateranensi Concil.* vbi sic dicitur. *Statuimus, quod qui in aliquo die omisit omnes horas, restituat omnes fructus respondentes illi diei, & si solum omisit matutinas restituat dimidios fructus, & si omisit cæteras omnes horas, alios dimidios, & si horarum singulas, restituat sextam partem fructuum.* Et intelligitur de habentibus beneficia solum obligantia recitare horas, vt sunt pensionarij, præstimoniarij, &c. Secus de habentibus beneficia principaliter obligantia ad alia, v. g. ad missandum, prædicandum, docendum, aut ad curam animarum. Isti enim si omittant horas, restituant tertiam partem fructuum pro rata omissionis modo dicto. Nam tertia pars censetur respondere recitationi horarum. Imo si intra aunum omittant recitare per decem dies, nil restituant, quia sunt serui liberalissimi Domini, qui multo minus, quam Domini temporales, ad pauca attendit. Ita explicant istum motum Pij V. *Med. in sum. in* 3. *præcepto* §. 11. *Lud. Lotem.* 1. *cap.* 145. *& alij.*

Dub. 7. *De horis in communitate recitandis.* 20

1. Con-

1. Conclusio. Horæ Canonicæ sunt in publico sub peccato mortali recitandæ à communitatibus Ecclesiarum Cathedralium, Collegialium, & Conuentualium in Ecclesia. Ita *in Clementina grau. de celebrat. Miss.* de quo *Caiet.* verb *hora.* Nisi, vt ait *Ledesma*, ex consuetudine recitentur aliquando in claustro, Processione, aut alibi. Et citatio ista debet fieri iuxta notata in ordinario. Sæpè enim defectus in recitatione priuata est nullum, aut leue peccatum, & tamen erit peccatum mortale in recitatione Chori. Sicut recitare priuatim, etiam sine causa de Sancto in die feriali non est peccatum mortale, & id facere in Choro sine causa vrgentissima, erit peccatum mortale. Et idem circa defectum ordinis in dicendis horis, & interpolatione, & interruptione horarum. Quia sic grauiter læditur decor cultus diuini; in recitatione publica, in qua est necessaria vniformitas. Ita *Torre controu.* 10. *d.* 2. Qui autem tardè intrat Chorum satisfacit, posteà recitando solùm recitata à Choro Imò qui officio Chori incœpto inseruit ibi, quærendo Psalmos, aut alia pro officio, aut præparando dicenda, aut alia, si omittat interim à Choro recitata, etiam si illa non audiat, nihil ex his tenetur posteà supplere. Ita *Torre, & Sà,* verbo *hora.*

2. Concl. Dicta obligatio primæ Conclusionis spectat ad Superiores communitatum, & ad eos, quibus ex officio incumbit, vt sunt beneficiati. Isti enim tenentur sub mortali curare de horis dicendis in suis Ecclesijs. An verò Canonici satisfaciant recitando domi, & non in Choro.

21 3. Concl. Canonici non astantes horis in Choro per nouem menses singulis annis, etsi horas domi recitent, tenentur restituere Ecclesiæ, aut quibus competunt ex speciali statuto, quotidianas distributiones, & fructus Canonicatus. Ita *in Concil. Trid. Sess.* 24. *c.* 12. vbi statuta, & consuetudines absentiæ vltra tres menses reuocantur. Ex quo patet esse iniquam consuetudinem de lucrando omnes fructus sola assistentia paucorum dierum, vt diei Sancti Michaelis, aut Purificationis. Quia isti fructus dantur pro seruiendo in diuinis Officijs. Ex iusta autem causa licitè dispensatur sine onere restituendi in hoc, vt pro addiscendo, aut docendo in Scholis. A Capitulo. Ita *Torre controu* 10. *d.* 6.

22 4. Conclusio. Probabile est Canonicos satisfacere, domi, & non in Choro recitando horas, dum tamen habeant Capellanos, & Cantores, qui cantent in Choro. Patet ex vsu

multis

multis retro annis præſcripto, Prælatis videntibus, & conſentientibus, nec reuocato in Concilio citato. Ita *Medin & Ledeſma in ſum. 1. parte, tract. 9. de Religione, Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 2. num. 217. Aragon. 2. 2. quæſt. 83. art. 13. Sancto tit. de diuinis Offic. cap.* 16. Tenentur tamen iſti ſub mortali, & obligatione reſtituendi aſſiſtere non ſolùm phyſicè, ſed etiam morali attentione ſaltem tertia dubio 3. requiſita, pro audientibus Miſſam, & orantibus. Et ſicut qui audit Miſſam cum iſta tertia attentione, poteſt alias deuotas orationes recitare, ſic & Cononicus aſſiſtendo in Choro diuinis Officijs Ita *Torre controu.* 10. *d.* 9. *cum Nauar. cap.* 13. *de orat. num.* 19. contra *Silu.* verbo *hora, quæſt.* 11. & contra alios requirentes in Canonicis ſolam compoſitionem externam, etſi interius de induſtria ſe diuertant.

5. Concl. Probabilius eſt teneri Canonicos recitare horas in Choro. Ita *Soto* 10. *de iuſt. q* 5. *art.* 4. *Torre, Nauar. c.* 11. *de orat. num.* 41. *Lud Lop tom.* 1. *c.* 145 *& Manu. Rodr. in ſum. c.* 145. 1. *par.* Quia Canonici ſunt inſtituti, non ſolùm vt aſſiſtant in Choro, ſed vt canendo aſſiſtant, & ob hoc ſibi dantur ſtipendia, vt patet ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. Vbi ſic dicitur, *omnes Canonici per ſe, & non per ſubſtitutos diuina compellantur obire officia, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis, nomen Domini reuerenter, & diſtinctè laudare.* Idem habetur *in Concil. Baſil. ſeſs.* 21. § 3. Patet etiam ex Decreto Pij *cit. dub.* 6. vbi ſic dicitur. Tametſi quis Choro addictus non recitans, omnibus horis cum alijs præſens adſit, fructus, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia iuxta ſtatuta, fundationem, conſuetudinem, aut alias ſibi lucrifeciſſe prætendat: is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem, graue peccatum intelligat admiſiſſe. Et licet poſſit hoc intelligi de nullibi etiam extra Chorum recitantibus, & ob ſolam aſſiſtentiam fructus obtinentibus, tamen viri timorati ad recitandum in Choro ex iſtis verbis cenſent ſe eſſe obligatos. Et idem dic contra *Soto art.* 5. *&* 6. de recitante de induſtria ſine attentione. Quia ſtipendia debentur verè recitantibus, ſed iſte non recitat verè, nec implet præceptum recitandi horas, cùm attentio ſit de ſubſtantia orationis, iuxta *Med.* & communiter contra *D. Anton.* 1. *par tit* 1 *c.* 4. § 7. *Silu. Cord & alios citatos à Torre controu.* 8. *d.* 8. *& contro.* 9. *in fin.* Nec eſt idem de deuotione, cùm iſta non ſit de ſubſtantia orationis, ſed modus eius, & ſic indeuotè, ſed attentè recitans tutè 23

capit

capit fructus, sicut implet etiam præceptum orationis, & recitationis horarum, si aliàs intendit implere tale præceptum. Quia enim benè, & attentè recitauit, sed cum intentione non implendi tale præceptum, nec iterum recitandi, peccauit mort. ob animum non recitandi cum intentione implendi dictum præceptum, & iterum recitare tenetur, vt impleat. Nisi, alias animo mutato intra tempus talis præcepti, velit præcedente recitatione satisfacere. Quia illa prior recitatio habuit totum requisitum pro substantia præcepti istius, & solum defuit voluntas obediendi, & satisfaciendi præcepto, ergo si ista modo dicto suppletur tempore debito, nil deerit. *Ita Torre, controu.* 9. *num.* 10. Excusantur tamen Canonici à recitando in Choro ob legitimum impedimentum infirmitatis, ineptitudinis vocis, aut similium, aut quando canitur cantus figuratus hoc est *canto de organo*.

6. Conclusio. Qui sine causa legitima recitando in Choro dicit summissa voce versum sui Chori, & alterius Chori versum tantum audit, non satisfacit. Quia non communicat in oratione cum altero Choro. *Ita Caiet. verb. hora, Armil. verb. hora, num.* 12. *Nauarr. c.* 10. *num.* 47. *in Manua.* Sed oppositum tenet Torre, cum alijs, *controuersia* 8. *dubio* 1. *& Tabiena.*

ARTICVLVS IV. DE IEIVNIO.

D. Thomas 2. 2. q. 147.

SVMMARIVM.

Vnica comestio est de essentia ieiunij Ecclesiastici n. 1.
Ista comestio debet fieri hora vndecima, licet tamen aliquando illam praeuenire n. 2.
Abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij n. 3.
Ferijs sextis prohibitus est esus carnium, licitum est tamen vesci carnibus in die Natalis Domini, si incidat in feriam 6. *vel sabbatum n.* 4.
Abstinentia ab ovis, & lacticinijs non est de essentia ieiunij Ecclesiastic. n. 5.
Qui teneantur ieiunare num. 6.
Qui excusentur à ieiuno num. 7.
Quid agendum in dubio an aliqua causa excuset à ieiunio? num. 8.

An

An defessi ex labore sumpto ob recreationem excusentur à ieiunio. num. 9.

Quando vigil in sancti Ioannis *Baptistæ occurrit in festo Corporis Christi, ieiunandum est pridie. n.* 10.

DVB. 8. *In quo consistat ieiunium Ecclesiasticum?*

1. Concl. *D.Thc.ar.* 6. Vna comestio ad summum est de essentia ieiunij Ecclesiæ. Per istam enim, & naturæ fit satis, & concupiscentiæ vires frænantur. Vndè non violat ieiunium. *ait D. Thom. ad.* 2. qui bibit etiam ante prandium, nec qui sumit aliquid per modum medicinæ, *ait D Tho.ad* 3. nec qui non valens aliter vitam transigere sumit manè aliquas vuas passas, aut similia. Nec seruitores gustantes cibos etiam carneos vt videant si sint satis parati. Nec qui semel post prandium facit collationem, vt moris est. Secus de comedente sæpe post prandium aliquid etiam ab amico in vitatus ne potus noceat, contra Armi, & Med. in Sum. Item qui violat ieiunium bis de industria comedendo peccavit, sed non peccat postea sæpe comedendo. Nam ieiunium semel de industria violatum iam non obligat, contra *Couar.* 4. *var. cap.* 10. *num.* 1. cum iam seruari nequeat. Nisi quando ex ignorantia, aut inaduertentia comedisti bis, *vt ait Nauar. cap.* 21. *num.* 27. 1

2. Concl. Dicta comestio debet fieri hora competenti. Et licèt olim hora competens esset hora tertia post meridiem, sed iam ex vsu est taxata hora vndecima ante meridiem, & supra. Imo, vt ait Med. secundum aliquos, licet præuenire istam horam, & comedere hora octaua; aut nona. Sed hoc, ait Nauar. debet fieri ex causa rationabili, vt ob hospites, aut ob itinerandum. Nec licet sine priuilegio vti mane collatione, & prandio vespere, *ita Nauar. num.* 14. *& Caiet. ver. ieiunium*. Quia nec ius, nec vsus hoc concedit. 2

3. Concl. Abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij Ecclesiæ. Et sic dispensatus in esu carnium, est dispensatus in isto ieiunio. *Ita Caiet. & Med. contra Victo. & Cordu in sum. q.* 14. Et nota: Dispensatum in esu carnium non peccare contra aliquod iuris præceptum comedendo piscatum, sed contra præceptum naturale conseruandi salutem, si ista nocent. Sed in Synodalibus Toledi iustè vetatur cùm excommunicatione pro diebus piscati, esus carnis & piscati simul in eodem prandio. Et hoc non intelligitur pro 3

come-

comedentibus carnes cum tædio, sed his ad excitandum appetitum ista comedere licet. Nota 2. Non licere dispensato ob infirmitatem in esu carnis comedere carnes nociuas. Quia alias esus istorum erat vetitus in Quadragesima, &c. Et infirmitas non disp. nsat in istis cibis nociuis. *Ita Man. Rod. in sum.* 1. *p. cap.* 24. Et idem de dispensato in Quadragesima, in esu ouorum, cui non licet edere lacticinia, si illa saluti nocent; *contra Med. in sum. & Enriquez. lib.* 7. *c.* 103. *num.* 8. *tom.* 1.

4 Nota 3. Esum carnis pro sextis ferijs, &c. vetari. *c. de esu carnium d.* 3. *de cons.* Sed in *c. explicari, de obser. ieiu.* excipitur dies Natalis Domini, ob festi excellentiam, si occurrat in feria 6. & à fortiori si occurrat in Sabbato ob eandem rationem. Quia vbi est eadem ratio, ibi est eadem iuris dispositio. Et licèt ibi excipiantur qui ex voto, aut sua regula vetantur ista comedere, tamen istorum prælati possunt in istis diebus, sicut, & in alijs, aliàs à iure non vetitis, dispensare. *Ita Victo. Silu & Armi, ver. ieiunium, & Tabie.* contra Med. *in* 3. *præcepto* Quia vt ait Panormit. *in ca. explicari*, per dictum decretum tollitur ius commune, & manet in sua vi votum, & religio, sed in religione, v.g. Prædicatorum potest prælatus dispensare in constitutione vetante carnes. Imò comedendo tunc carnes isti religiosi non peccant, etiam si id faciant sine licentia: cum leges eorum non obligent ad culpam, ergò.

5 Quarta conclusio. Abstinentia ab ouis, & lacticinijs non est de essentia ieiunij Ecclesiæ. Et sic dispensatus in his, adhuc ieiunare tenetur. Et nota quod stando in iure in solis ieiunijs Quadragesimæ esus istorum vetatur *Ita ca. denique dub* 4. & *D Tho. art.* 8. *ad* 3. Sed vt ait *Medin. in sum.* in Castella saltem ex consuetudine talis cibus est vetitus, etiam in alijs ieiunijs. In sextis autem ferijs extra Quadragesimam, & in alijs diebus piscati, qui non sunt de ieiunio, vt sunt Feria. 2. & 4. rogationum, licet comedere oua, & lacticinia, nisi alicubi sit vsus contrarius. Et ita declaratur in Synodalibus Toleti, Compostellæ, Salmanticæ, Placentiæ, Coriæ, Badaioz, Iaen, vt refertur à *Manuel. Rod.* ver. *ayunos* Et in dictis Synodalibus Toleti declaratur, non licere comedere carnes Feria 2. & 4. Rogationum, *& iuxta cap. rogationes, cum glo. dub.* 3. *de Conse.* Et nota contra alios esse peccatum mort. comedere in Quadragesima biscochos sine priuilegio. Nec valet, quod substantia oui est versa in

aliam

aliam substantiam: aliàs liceret comedere cibum alium ex carne confectum, cum ibi substantia carnis versa sit in aliam substantiam.

Dub. 9. *An omnes ieiunare teneantur?* 6

1. Concl. Attingentes 21. ætatis annum, vsq: ad 60. annum teneutur ad ieiunia Ecclesiæ, & ad ieiunia loci, & ad ista etiam tenentur, qui illic eo die manent, sicut & ad festa illius loci, non qui transit. *Ita Sa. ver. ieiunium.*

2. Concl. Excusantur à ieiunio. 1. Non attingentes 21. 7
ætatis annum. Quia ante illud tempus egent pueri multo & frequenti cibo, & nutrimento ob necessitatem augmenti. *Ita D. Tho. ar. 4. ad 2.* Et sermo est de ieiunio Ecclesiæ, non de ieiunio ab istis voto promisso. Et pueri nondum attingentes octauauum annum possunt in diebus vetitis edere oua, & lacticinia *Ita Cord. insu. q. 60. Lud. Lop. 2. p. c. 6. de bulla. Manu. Rod. 1. p. c. 23. cum Perd.* Imò Sà, tenet pueros ante vsum rationis: cùm non sint legibus subiecti, posse edere carnes, *& Manu Rod.* idem insinuat. At *Caieta. 2.2. q. 147. art. 8.* id concedit solum, vbi sit consuetudo. 2. Excusantur à ieiunio senes post 60. annum regulariter. At si quis istorum adhuc vires habet, ieiunare tenetur. 3. Excusantur debiles, & *vt ait Nau. in man. c. 21. num. 16.* qui laborant dolore capitis, aut vertiginibus, & qui non dormiunt, aut calefiunt si non cœnant. 4. Excusatur qui non valet reddere debitum vxori ieiunando. 5. Prægnantes, & lactentes qui egent multo cibo pro se, & fœtu. 6. Excusatur mulier, si ieiunando sit macilenta, & inuisa viro. 7. Qui non habet sufficientem refectionem pro hora prandij *Ita ex D. Tho. art. 4. ad 4.* Excusantur laborantes, exceptis scribis, sartoribus, aduocatis, & alijs, cum quorum labore compatitur ieiuuare. Et intelligitur de laborantibus non pro solo die laboris, sed & si debent sequenti die laborare, ne inepti fiant ad laborem. Et à fortiori excusatur, qui ob opera pietatis maiora ieiunio, non valet ieiunare, vt pro medendo infirmo, pro prædicando, docendo, audiendo confessiones. Et tandem excusantur, qui sunt obligati ad opus incompatibile cum ieiunio.

3. Concl. In dubio an aliqua causa excuset à ieiunio, vel 8
an habeas aliquam ex dictis causis, consule prælatum, aut curatum, qui in casu peculiari possunt nullo habito consilio dispensare, etsi solus Papa dispenset cum aliquo generaliter. *Ita D. Tho. & Caiet. ar. 9. & 1.2. q. 97. n. 4. & in 4. d. 15. q. 3.*

q. 3. *art.* 2. *ad* 3. Et idem ait Caietan. de cibis. Et si prælatus dubitet de sufficientia causæ, aut iudicet eam minus sufficientem, commutabit ieiunium in alia opera pia. *Ita Caiet.* Si autem ex probabilitate morali, aut experientia patet, quòd non comedendo carnes, aut ieiunando infirmaris, sine dispensatioue comede carnes, &c. *Ita Lud Lop* 2. *p. cap.* 6. *de bulla, & iuxta D. Thom. loco citat.* Et si in singulis Quadragesimæ septimanis potes bis aut ter solum ieinare, ad id teneris.

9 An verò defessi ex labore sumpto ob recreationem, vt ex ludo pilæ, excusemur à ieiunio? In hoc Medin. in *Sum.* affirmat, etsi labor sit assumptus ob visitandam concubinam: dùm tamen labor iste non assumatur in fraudem ieiunij: idest, *por no ayunar.* Cæterum iuxta D. Thom. 1. 2. *qu.* 17. *art.* 5. qui prævidit, aut præuidere debuit, quòd ex impedimento à se posito voluntariè, idest, sine pia vtilitate, aut necessitate, non valet ieiunare, peccat m[illegible]t. in sua causa, non ieiunando. At si non præuidit, aut expertus est ex illo impedimento sequi necessitatem non ieiunandi, non peccat postea non ieiunando, nec in se, nec in sua causa. *Ita Ca.* 2. 2. *quæst.* 150. *artic.* 4. *&* 1. 2. *quæst* 20. *articul.* 4 *&* 5. *Cord. lib.* 5. *quæst.* 18. *& alij quos refert, & sequitur Vega de iustificat, qu.* 12. *con.* 3. Et nota quod occurrente vigilia. S Ioannis Baptistæ in

10 die corporis Christi pridie est ieiunandum ex statuto Leonis 10. *Ita Nauar. in man. cap.* 21. *num.* 11. *Vide Caiet. ver. ieiunium.* De alijs præceptis Ecclesiæ, quæ ad hoc præceptum reducuntur, vide in suis locis. Vt potè, de communione in tract. de Eucharist De confessione in tract. de pœnit. de solutione decimarum, & primitiarum, omnibus constat obligatio sub peccato mortal. iuxta morem patriæ.

QVARTVM PRÆCEPTVM.

Honora patrem, & matrem, vt sis longæuus super terram.

SVMMARIVM.

Contra hoc præceptum peccat mortaliter filius dehonorande parentes, eos contumelijs afficiendo, &c. n. 1.

Peccat etiam mortaliter filius non obediendo parentibus in re graui. n. 2.

Non

Non subueniendo illis grauiter indigentibus dum potest, n. 3.
Quando parentes, & Superiores peccent contra hoc praeceptum, num. 4.
Quando coniugati, num. 5.
Quando subditi, num. 6.

DVB. *An hoc praeceptum obliget sub mortali?* 1
1. Conc. Peccat mort. ex genere filius, dehonorando parentes, percutiendo eos, aut contumelijs afficiendo, ad irā grauem prouocando, aut desiderādo eis graue damnum. Quia etsi ista sint aliàs peccata mort. respectu cuiusuis, tamen notabiliter aggrauantur ex parentum circumstantia, necessariò confitenda. 2. Filius, qui dedignatur haberi pro filio talium parentum, si id facit ex contemptu, peccat mort. Secus si fit ad vitandum damnum sinistrę opinionis, aut ob aliam causam rationabilem.

2. Concl. Peccat mortaliter filius non obediendo parentibus in rebus grauibus, v. g. in pertinentibus ad regimen domus, vel substantiæ, aut in pertinentibus ad bonos mores, vt si præcipiunt ei fugere ludos, scandala, meretrices, malos socios. 2 2. Et si filius sit liber pro assumendo statum Religiosi, aut coniugati, aut si vult ducere vxorem, peccabit mortaliter ex genere, non consulendo parentes in hoc, qui hoc melius iudicabunt, quàm filius, qui sæpè amore excœcatus eliget sibi vxorem indignam, & in magnum dedecus suæ prosapiæ.

3. Concl. Peccat mortaliter filius non subueniendo parentibus grauiter indigentibus, si aliàs potest. Imò vt eis subueniat tenetur non intrare Religionem. Iuxta *D. Thom.* 1. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. *& q.* 189. *art.* 6. Et si iam sit Religiosus, & parentes extremè egent, tenetur petita licentia egredi è Monasterio, si non potest aliter subuenire parentibus. Ita *Nauar. in Man. cap.* 14. *num.* 14. *& Caiet. art* 4. *citat.* 3

4. Concl. Pater etiam peccat contra hoc præceptum non instruendo filium in doctrina fidei in bonis moribus, sed in prauis, & vaniloquijs. Ex his patet, quomodo domini peccant in seruos, & è conuerso. Et certè peccant domini mortaliter non præbendo seruis necessaria: non curando, quod recipiant Sacramenta, permettendo eos durare in peccato. 4

5. Conclusio. Inter coniugatos violatur hoc præceptum, percutiendo maritus vxorem sine rationabili causa, aut contumelijs eam afficiendo, aut non prouidendo necessaria. Item si vxor non obediat marito, si rixis, aut aliter præbet ei occasio- 5

casionem impatientiæ, peierando, & ponendo os in cælum.
6 6. Concl. Subditi peccant contra hoc præceptum non seruando præcepta superiorum: quæ si sint de rebus grauibus in se, aut in ordine ad bonam gubernationem, erit peccatum mort. eorum violatio: at si sint de rebus leuibus, erit peccatum veniale.

QVINTVM PRÆCEPTVM.

NON OCCIDES.

IN hoc præcepto vetatur occisio proximi spiritualis, & corporalis, directa, & indirecta, de quibus suo ordine dicemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De occisione corporali.

ARTICVLVS I. DE HOMICIDIO

D. Thomas 2. 2. q. 64.

SVMMARIVM.

Licet occidere peccatores, sed non authoritate priuata, n. 1.
Quando liceat occidere tyrannum, n. 2.
Numquam licet occidere seipsum, n. 3.
Quomodo homo teneatur conseruare vitam suam, n. 4.
An liceat desiderare mortem aut aliud malum sibi vel alijs, n. 5
Quando licita sit occisio innocentis, num. 6.
Quibus & quomodo liceat occidere suum inuasorem, n. 7.
An liceat vccidere inuasorem pudicitiæ, honoris, aut diuitiarum, n. 8.
Prohibitum est sub excommunicatione reseruata Papa acceptare duella, & quos comprehendat hac excommunicatio, num. 9.
An liceat procurare aborsum per sumptionem medicinæ, &c. num. 10.

DVB.

DVB. 1. *An liceat occidere peccatores.* 1

1. Conclusio, D. Tho. art 2. Affirmatiua. Et sententia Scot. *in* 4. *d* 5. *qu.* 3. dicentis solos illos peccatores fore occidendos, quos Deus reuelauerit, vt occidantur, est erronea. Patet. *Exod.* 22. *Maleficos non pat eris viuere.* 2. In iure ponitur pœna capitis adulteris, sacra furantibus, & alijs dedictis, circa quorum punitionem non extat specialis Dei reuelatio.

2. Concl. *D. Thom. art.* 3. Ista peccatorum occisio non est licita priuatæ personæ. Nam ista occisio est licita in quantum ordinatur ad bonum communitatis: ergo ad illum pertinet, cui incumbit cura communitatis; vt ad Principes, & ex istorum commissione ad alios. Ex quo patet non licere priuatæ personæ vindicare se propria auctoritate. Alias turbaretur maximè Respublica, & esset otiosa publica potestas.

An verò liceat priuata persona occidere Regem tyrannum; 2
Ad hoc sit.

3. Concl. Non licet priuatæ personæ eum occidere Regem, qui solum est tyrannus in regimine omnia in suam vtilitatem conuertendo: cum habeat ius ad Regnum. Licet autem priuatæ personæ eum occidere Regem, qui est tyrannus, quoad ius dominij; eo quod tyrannide, & armis Regnum occupat, & alias Respublica semper ei resistit. Nam quæuis persona illum tunc occidendo vtitur auctoritate Reipublicæ quæ adhuc iustè bellat in ipsum.

Dub. 2. *An liceat homini occidere se.* 3

1. Concl. *D. Tho. art.* 5. Non licet homini occidere se, etiam pro non peccando. Quia cum occisio sui sit intrinsecè mala; non honestatur ex vllo fine bono.

2. Concl. *D. Thom. ibid. ad* 1. Occisor sui peccat contra charitatem propriam, & contra inclinationem naturalem, qua quis naturaliter diligit se, conseruando se in suo esse, & resistendo corrumpentibus, & peccat mort. contra iustitiam in ordine ad Deum, qui solus est Dominus vitæ, & mortis: & in ordine ad Remp. quæ est custos vitæ ciuium.

An verò teneamur conseruare propriam vitam. Ad hoc dico 1. Non tenemur conseruare vitam in omni euentu, & per omne medium, etiam possibile. Nam non tenemur quærere meliores cibos, aut medicinas pretiosiores. Quia cum præceptum conseruandi vitam sit affirmatiuum, non obligat 4

pro semper. 2. Num potes exponere vitam periculo pro quauis virtute, iuxta illud *Ioan.* 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Imò ad id teneris aliquando, vt pro bono spirituali proximi, & pro defensione Reipublicæ.

Dico 2. Homo potest extenuare vitam abstinentijs moderatis. Ita *D. Thom.* 2.2. *q*.88. *art*.2. *ad* 3. vbi ait, abstinentias esse adhibendas cum rationis mensura: ita quòd concupiscentia refrænetur, & natura non nimis grauetur. Et sic si quis taliter debilitetur, vt non possit debita exequi opera, vt Prædicator prædicare, Lector legere, peccabit etiamsi vouisset abstinentiam istam.

5 Dub. 3. *An liceat desiderare mortem, aut aliud malum proprium, aut alienum?*

1. Conclusio. Licet desiderare propriam mortem ob desiderium essendi cum Christo, sicut Paulus, *ad Philip*. aut ob vitandas Dei offensas, aut vt liberemur à vitæ periculis. Sed desiderare eam ex desperatione, aut impatientia, grauissima culpa non caret. Et eam desiderare, vt à laboribus liberemur, quoddam genus pusillanimitatis præsefert, etsi non sit peccatum mortale. Sicut nec peccat mortaliter mater, quæ videns filium, aut alterum in periculo amittendi famam, aut in graui, & prolixa infirmitate, desiderat ei mortem. Quia ista non ex odio, sed ex amore desiderantur.

2. Concl. Licet desiderare alteri mortem, aut aliud malum non vt sic, & ex odio, sed sub ratione boni, vt cesset à peccando, aut ab aliorum damno. Ita *D. Thom.* 1.2. *q* 76. *art*. 1. Sæpè enim in Sacra Scriptura imprecantur mala peccatoribus. Et sic possumus desiderare isti inimico iniustè inuadenti, pro nostra defensione, si aliter non possumus ab eo liberari. Ita *Man. Rodr. in Sum*. 1. *par. cap*. 17. *num*. 6. Et idem ait ex mente Aragon. de litigante cum potentiori se, sua iniustè occupante, & habente pro se iniustos iudices. Nam licet cuique defendere se meliori via possibili, sed per alterius mortem causatam à Deo, liberatur ille ab iniuria: ergo licet eam desiderare. Si arguas: non licet priuatæ personæ occidere prædictos, ergo nec desiderare illorum mortem. Ad hoc negatur conseq. Quia licet priuatæ personæ desiderare, quod fur à Iudice suspendatur, sed non licet priuatæ personæ illum suspendere.

6 Dub. 4. *An liceat occidere innocentem?* Et non est sermo de innocente probato nocente falsis testibus, de hoc enim

dice-

diecmus in 8. *pracepto q. 3. art. 1.* sed de innocente in re, & in apparentia.

1. Concl. Licita est per accidens innocentum occisio, vt in bello iusto, de quo *art. 3 dub. 3.* sed non per se, & ex intentione. Ita *D. Thom. art. 6.* Quia ideò est licita malefactorum occisio, quia isti corrumpunt bonum commune, sed vita innocentis potius conseruat illud: ergo.

2. Concl. Si ciuitas obsidetur, dum aliquis innocens traditur occidendus, potest Respublica contra Soto, istum innocentem cogere, vt se tradat Tyranno, cum & ipse ex iustitia legali teneatur se tradere tunc pro bono communi. Imò absolutè potest Respub. illum hostibus tradere tunc, sicut in bello exponit licitè innocentem periculo pro sui defensione.

Dub. 5. *An liceat homini occidere suum inuasorem.* 7

Conclusio. *D. Thomas art. 7.* Licet cuique occidere suum inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vtpotè, cum minori damno possibili inuasoris sufficienti ad propriam defensionem. Quia tunc non intenditur inuasoris mors vt finis, sed vt medium hic, & nunc necessarium ad propriam defensionem, & vitæ conseruationem cuique à natura concessum. Quod etiam habet verum, etsi inuasus det operam rei illicitæ ob quam inuaditur, vt si reperitur cum vxore inuasoris. Quia hoc non confert isti ius inuadendi alterum propria auctoritate. Et intelligitur conclusio 1. secluso bono communi. Nam si inuasor sit valdè vtilis Reipublicæ non potest inuasus eum occidere, cùm bonum commune sit præferendum particulari. Ita *Soto, & communiter contra Man. Rodriq. in Sum. 1. par. cap.* 139. *num.* 8. incautè asserentem licere occidere Regem inuadentem. Si verò inuasor sit persona priuata, & inuasus vtilis Reipubl. tenetur inuasus occidere inuasorem pro bono communi. 2. Intelligitur illud licere etiam ante actualem aggressionem. Quia etsi non possumus præuenire occisionem eius, quem timemus fore inuasorem: at si iam fecit aliquam actionem in ordine ad aggressionem, vt parando insidias, acuendo ensem, aut si iam sit animo paratus ad id, si aliter non possum fugere, licitè eum occido, antequam instet meum damnum. Quia tunc moraliter loquendo iste est inuasor, & ego mei defensor. Ita *Caiet. 2. 2. quæst 95. art. 8. & verb duellum, Couar. in Clem. si furiosus, 3. par. tit 1. num. 2. D. Anton. 2 par. tit. 1. c. 22. Soto 5. de iust. q. 1. art. 8.* Qui excipit iudicem, & testes mortem tibi certo parantes iniquè. Sed

de hoc dicemus *in 8. præce. q. 3. art. 3. dub. 12.* Si arguas, ex charitate tenemur plus diligere vitam spiritualem proximi, quam nostram vitam corporalem: sed in dicto casu periclitatur vita spiritualis proximi, cum sit in malo statu ob inuasionem, & si occiditur tunc, damnatur, ergo. Ad hoc dico maiorem esse veram in graui necessitate hic non reperta: cum inuasor sua malitia, & sine necessitate exponat se illi periculo, & possit ab eo exire, non inuadendo.

8 Dub. 6. *An liceat occidere cum dicto moderamine inuasorem pudicitiæ, honoris, aut diuitiarum.*

1. Concl. Affirmatiua. Itaque fugientem cum equo tuo, aut rebus aliquanti pretij, quæ aliter certo non recuperabis, licet sagitta confodere. *Ita Silu. ver. excommunicatio. 6. §. 6. Soto 5. de iuſ. q. 1. art. 8. Bannes, & communiter cum D. Tho. art. 7. in argu. sed contra.* Et patet. Exod. 26. vbi excusatur à reatu sanguinis percutiens infringentem fores. 2. Diuitiæ sunt necessariæ ad vitam, & virtutem conseruandam. Ex quo patet à fortiori licere viro nobili expectare suum inuasorem, & occidere in sui defensionem, si fugiendo infamatur. Secus de alijs, vt de clericis, & religiosis, qui si possunt fugere, tenentur: cum ex hoc non infamentur. Non tamen licet percusso repercutere. *Ita Banne, & communiter.* Et patet. *1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo.* 2. Qui sic repercutit, nec defendit se, cum iam sit percussus; nec sic reparat, honorem contra *D. Ant. 3. p. cap. 3. §. 1.* & Victor. *relect. de Bello q. 2. n. 5.* asserentes licere colapho percusso percussorem statim gladio repercutere pro propulsando ignominiam. Imò *Nauar. in man. cap. 15. n. 3.* ait licere percusso insequi percussorem, & repercutere, imo, & occidere, si sit necesse pro sui honoris defensione, sicut, & pro diuitijs recuperandis. Sed si hoc ita esset, liceret etiam marito, vxorem in adulterio cum adultero captam occidere, *contra D. Thom. in add. qu. 60. art. 1.*

Hæc propositio est damnata ab Alexandro VII die 24 7bris 1665 et a 2a ex 45.

An verò nobilis possit acceptare duellum.

9 2. Concl. Sit negatiua. Nec enim patitur dedecus non acceptando. Cùm in *Conc. Trid. sess. 25. cap. 19.* & à Pio IV. *in bulla incipiente. Ea quæ, &c. ann. 1560. idibus Nouem.* vetetur sub grauissimis pœnis, & excommunicatione Papæ reseruata. Vbi nota, ista decreta solum damnare duella solemnia, quæ fiebant impetratis campis, & licentijs à Dominis locorum, cum patrinis. Et sic ibi excommunicantur, etiam isti Domini istum duellum permittentes, aut pro suo posse

non

non prohibentes, & mandantes, inſtigantes, aut ex propoſito ſpectantes, auxilium, conſilium, aut fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter miniſtrantes, aut ſocios quouis modo præbentes. Et eiſdem pœnis ſubiacent, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, etſi impediti pugnam non commiſerint, ſi per eos non ſtetit quo minùs illa committeretur. *Ita declarat, & ſtatuit Gregor.* 13. *in motu incipiente: ad tollendam deteſtabilem duellorum, die* 9. *Decem. anni* 1582. Vbi etiam extendit idem Gregor. dicta decreta cum ſuis pœnis, & reſeruatione excommunicationis ad duella etiam priuata, vt notat etiam Nauar. *lib. conſ.* 2. *de purga. vulgari*. Idem ac Gregor: ſtatuit Clemens 8. *in motu incipiente, Illius vices* 6. *calen. Septem. anni* 1592.

Dub. 7. *An liceat procurare aborſum, ſi aliter non ſubuenitur prægnanti.* 10

1. Concl. Non licet applicare prægnanti medicinam per ſe tantum ordinatam ad aborſum: cum ſolum intendatur occiſio fœtus. Et de reſeruatione iſtius caſus dico, *qu.* 5. *de pœnit. dub.* 3.

2. Concl. Licet applicare prægnanti medicinam per ſe cauſatiuam ſalutis, etſi per accidens ſequatur aborſus. Quia ille, ſicut & occiſio inuaſoris, reputatur effectus per accidens ſecutus ex ſalute prægnantis per ſe intenta. Et ſic prægnans poteſt ſaltare, currere, ſi hoc ſit cauſa per ſe ſalutis, etſi alias ſequatur aborſus.

3. Concl. Licitum videtur ſaltem ipſi prægnanti ſibi applicare medicinam æquè ſalutiferam, ac cauſatiuam aborſus, ſicut licet occidere inuadentem, etiam ſine culpa, vtpotè ſi ſit amens, & tamen percuſſio qua iſte occiditur, ordinatur per ſe phyſicè, & ad propriam defenſionem, & ad inuadentis occiſionem. Et eodem modo eſt à voluntate intenta, vtpotè medium neceſſarium ad propriæ vitæ conſeruationem: & eodem exemplo videtur licere filiæ, aut alteri ſic coniuncto applicare matri talem medicinam: ſicut & ſe defendere à tali amente eum occidendo, ſi opus ſit.

4. Concl. Si conſtat matrem mori, & conſequenter fœtum, licitè ei applicatur medicina æquè ſalutifera, & mortifera, maximè ſi fœtus non ſit animatus. *Ita Almain, & alij* contra Cord. *lib.* 1. *quæſt.* 28. *dub.* 4. Quia ſi mater & fœtus periclitantur, tunc non fit iniuria fœtui, ſi pro liberanda matre fit in ea talis experientia. Et idem eſt de medi-

cina causatiua pollutionis, aut ebrietatis, imò à fortiori, cùm in istis non adsit iniuria tertij.

ARTICVLVS II. DE MVTILATIONE MEMBRORVM.

D. Thomas 2. 2. q. 65.

SVMMARIVM.

Quando liceat aliquem suis membris mutilare, *num.* 1.
An liceat patribus, & dominis verberare filios, & seruos, *n.* 2.
An liceat alterum incarcerare, *num.* 3.

1 DVB. 1. *An liceat alterum suis membris mutilare?*

1. Concl. *D. Tho. art.* 1. Licet peccatores suis membris mutilare, sicut & occidere, ne Rempub. suis moribus inficiant.

2. Concl. *D. Thomas ibi*. Licet pro salute mutilare alterius membrnm de voluntate eius, aut gerentis curam illius. Quia pars ordinatur ad totum, ergo licitè secatur pro salute totius, etsi infirmus ad id non teneatur, cùm non teneamur vitam conseruare per media difficillima extraordinaria, vtpotè, patiendo tantùm dolorem, aut faciendo magnos sumptus, sed per media proportionata ordinaria.

3. Conclusio. Licet secare membrum pro vitando mortem, etiam ab extrinseco illatam, sicut si habes manum ligatam potes eam secare, vt fugias feram, ignem, hostes, &c. Quia talis secatio est medium necessarium pro saluanda vita, ad quam membra ordinantur.

4 Conclusio. Extra dictos, & similes casus non est licita dicta mutilatio. Ita *D. Thom. art.* 1. *ad* 3. Quia si membrum est sanum non secatur sine damno totius, & si aliter toti supposito subuenitur, exponimur sine necessitate periculo mortis, vtendo mutilatione. Ex quo patet non licere membrum secare ob peccatum vitandum. Quia peccato aliter obuiatur, cùm subiaceat voluntati.

2 Dub. 2. *An liceat patribus, & dominis verberare filios, & seruos?*

1. Conclusio. *D Thom. art.* 2. *ad* 1. Licet id facere ob correctionem moderatam. Sed non licet eos occidere, aut mutilare, cùm illi nec sint domini vitæ, & membrorum illorum,

nec

nec sint custodes boni communis, vt iudices, quibus pro bono communi licet occidere, & multitare peccatores. Licet etiam magistris, & pædagogis, & maritis ob correctionem moderatam verberare vxores, & discipulos, etiam sacris initiatos, nec sic excommunicantur. 3

Dub. 3. *An liceat alterum incarcerare.*

1 Concl. *D.Thom. art.* 3. Hoc non licet nisi seruato ordine iuris in pœnam pro culpa, aut ad cauendum malum. Et patet. Quia per incarcerationem impeditur vsus membrorum, ergo si illis non abutaris, non licitè incarceraris, aut detineris.

2. Concl. *D. Tho ad* 3. Cuilibet licet detinere alterum ad breue tempus, ne malum in communitatem aut in tertiam personam committat, vt si quis vuult se aut alterum occidere. aut scandalizare, docendo errorem, vel sollicitando mulierem non paratam ad peccandum. Ista enim detentio est defensio innocentis. Et à fortiori licet detinere mihi iniuriam inferentem, & in hoc durantem, dum voco iudicem:

ARTICVLVS III. DE BELLO.

D. Thomas. 2. 2. q. 40.

SVMMARIVM.

Conditiones requisitæ ad hoc vt bellum sit iustum, num. 1.
Quid agendum quando est dubium de iustitia belli, num. 2.
An in dubio de belli iustitia possunt milites bellare, num. 3.
An in bello iusto liceat hostes spoliare, occidere & redigere in seruitutem, num. 4.
An liceat clericis & monachis bellare, num. 5.
An clerici in bello iusto possint hortari milites ad pugnam, & dare eis arma, num. 6.
An in bello iusto possint subuerti Ecclesia & clerici occidi, n. 7.

DVB. 1. *An liceat bellare.* 1

1. Concl. Affirmatiua, *D. Tho. art.* 1. cùm tribus conditionibus. 1. Auctoritas mouentis bellum, qui debet esse Princeps, aut Resp. perfecta non habentes superiorem pro legibus ferendis, & pro litibus finiendis. 2. Causa iusta, vtpotè recompensatio iniuriæ illatæ ab alio Principe, aut eius subditis, ipso non puniente. Dum non sit aliud mitius medium pro recompensando iniuriam: quod erit tentandum si sit

si sit spes de illo. Item erit causa iusta, si alter Princeps non vult restituere ablatum. Et qui indicit bellum tenetur prius
2 examinare cum prudentibus causam belli. Et si hac examinata manet æquè dubia iustitia pro vtroque Principe, & vnus eorum possidet, alter non potest eum bellare. Quia iuxta reg. 63. iuris, *In dubijs melior est conditio possidentis*. Et sic si possidens ab alio spolietur, potest bellare spoliatorem, cum sit ei illata iniuria, & alter restituere teneatur. Sed si id de quo est lis à nullo possidetur, in æquali dubio diuidatur. Et si dubium sit inæquale, diuidatur pro rata dubij: ita vt maior pars detur ei, pro quo stat maior veri similitudo. Et hoc patet ex modo seruato in litibus priuatis. 3. Conditio belli est recta intentio. Ita vt finis belli sit pax Reip. aut eius bonum spirituale, aut temporale. Et si ex alia intentione moueatur bellum, erit peccatum mort. aut ven. iuxta malitiam intentionis. Cum dictis conditionibus erit iustum bellum, ait D. Thom. Et patet 1. ex Sacra Scriptura, vbi multi Sancti, Abraham, Dauid, &c. bellarunt. Et in Ecclesia sunt institutæ religiones ad bellandum contra hostes fidei. 2. Principi iure naturæ conceditur vindicare suos ab iniurijs eis illatis, cum sit eorum custos: sed non potest aliter, nisi per bellum. Quia cum Principes bellantes non habeant superiorem in temporalibus, ad quem recurrant pro iustitia facienda, Princeps iniurians ipso facto subijcitur alteri iniuriato, quem nisi per bellum non potest punire. Et stupra, & alia damna non sequuntur ex bello per se, sed per accidens ex vitio subiecti.

3 Dub 2. *An in dubio de iustitia belli possint milites bellare.*

1. Concl. Milites parati bellare in bello iusto & iniusto, sunt in malo statu.

2. Concl. Miles dubitans de iustitia belli, si sit subditus Principis bellantis, aut ab eo conductus, tenetur bellare. Quia ad militem, si aliàs non est consiliarius, non attinet examinare causas belli, sed habet se, vt lictor, qui exequitur iudicis sententiam. Esset enim impossibile, & in damnum Reip. si omnibus militibus esset danda ratio iustitiæ belli. Alij autem nec subditi, nec conducti, si dubitent de iustitia belli, non possunt bellare. Quia nec obedire tenentur, cum non sint subditi, nec stipendiati. Et aliàs bellando, exponunt se periculo irrogandi iniuriam. Et si sic bellent, restituent sicut & Principes, & consiliarij, damna illata in bello

bello cuius iniustitiam culpabiliter ignorarunt tunc.

3. Concl. Si ante initum bellum offertur bellanti condigna satisfactio, tenetur acceptare. Alias restituet damna: ac si bellum esset iniustum. At si bellum sit inceptum, *ait Caiet.* non tenetur acceptare satisfactionem.

Dub. 3. *An liceat in bello iusto hostes spoliare, occidere, & redigere in seruitutem.* 4

1. Concl. In bello iusto, defensiuo, aut aggressiuo, licet inferre hostibus omnia mala: vt destruere arces, occupare regna, occidere reos, etiam parta victoria, vsque ad plenam satisfactionem, & pacem stabiliendam. Ad hoc enim ordinatur bellum. Capta vero à militibus in actuali conflictu, fiunt illorum, *vt ait Diu. Thom.* 2. 2. *quæstion.* 66. *artic.* 8. *ad* 1. Nec computantur in satisfactionem rei pro qua bellatur.

2. Concl. Etsi sit intrinsecè malum occidere ex intentione innocentes, qui nec bellant, nec sunt causa belli: licet tamen eos occidere præter intentionem. Sicut licet applicare prægnanti medicinam per se sanatiuam, etsi sciatur ex illa per accidens secuturus aborsus. Si autem sint alicubi multi innocentes, & pauci nocentes, non licet istos expugnare cum periculo innocentum.

3. Conclusio. Stando in iure gentium, licet captiuare, & spoliare hostes, & etiam istorum infantes ratione carentes, cum isti cum suis bonis habeantur sicut bona nocentum, & Reip. contra quam bellatur. At inter Christianos capti in bello iusto non fiunt mancipia, sed detinetur vsque dum pecunijs redimantur.

4. Concl. Licet redigere in seruitutem apostatas à fide rebellantes contra Regem Christianum, sicut & non baptizatos. Et ita contigit in bello Granatæ, tempore Philippi II. Hispaniarum Regis prudentissimi. Quia dicta dispensatio in iure gentium de non vfficiendo mancipia inter Christianos captos in bello, etiam iusto, facta est in fauorem fidei, sed illi fidem reliquerunt, ergo licite fiunt mancipia. Innocentes verò cogniti, aliàs adulti non possunt fieri mancipia: benè tamen innocentes ratione carentes, maximè si lata fuit pœna rebellibus; quod si rebellent, ipsi & eorum infantes fient mancipi.

5. Concl. Licet seruis captis in bello, etiam iusto, fugere dominos, sicut & iustè incarcerato licet fugere carcerem. *Ita Bannes* 2. 2. *quest.* 40. *art.* 1. *Couar. lib. Vari. c.* 2. *n.* 10.

n. 10. contr. Silu. *Turrecre*, *& Nau. in Man. c.* 17. *n.* 10 Et patet *ex.* §. *Item primo* 1. *Instit. de rerum diuis.* Et licet consulere istis fugam. Imo & ad id iuuare, *ait Ledes tract. de chari. c.* 13. Quidquid de seruis iuste emptis.

Dub. 4. *An liceat clericis, & monachis bellare.*

5 1. Concl. *D. Th. art.* 2. Per se loquendo illud non licet ob multa retrahentia in bello à contemplatione diuinorum, cui illi intendunt. Et sic clerici maiorum ordinum, & Monachi etiam conuersi: cum sint Deo omnino consecrati, peccant mort. bellando, manent suspensi, recluduntur perpetuo in monasterio, & si quis istorum moritur in bello, non fiunt pro eo oblationes. *Ita c. quicumque*, 23. *q.* 8. *& c. eos qui* 20. *q.* 3. Alij vero clerici minores bellando, sicut & ducendo vxores, peccant ven. cum remotè ordinentur ad Altaris ministerium.

2. Concl. Aliquoties licet prædictis bellare, vt si Respub. sit ab hostibus obsessa, tenentur bellare etiam sine licentia Papæ. Quia cuilibet incumbit defendere Rempub. Et hoc non solum in bello defensiuo, sed & in offensiuo, existente eadem grauissima necessitate. v. g. cum Rex gerit bellum contra infideles, cuius victoria maximè expedit paci Ecclesiæ, & oportet Clericum bellare. Non verò licet Clerico bellum offensiuum ob solam victoriam. Item licet Clerico habenti dominium temporale Reipub. perfectæ indicere bellum iustum, & instituere duces ad hoc, sicut & instituit iudices pro causa sanguinis. Aliàs non posset vindicare, & punire iniurias illatas suæ Reip. Imo, etsi Episcopus non habeat tale dominium, potest vocare Regem, qui bellet pro sua Ecclesia. *Ita c. Maximianus*, 23. *q.* 3.

3. Concl. Clerici licitè bellantes possunt, vt alij milites, hostes spoliare. Secus de bellantibus illicitè, & sine licentia saltem gerentis bellum iustum. At bellando cum sola istius licentia iustè sibi retinent spolia capta, etsi alias peccent bellando. sine licentia Papæ, aut sine dicta necessitate.

6 *An verò clerici in bello iusto possint hortari milites, & dare eis arma ad pugnam.* Ad hoc dico tract. de irregul. dub. 7. licere eis, etiam in actuali conflictu hortari milites, dare industriam, & fauorem, etiam si interiùs intendat occisionem. Sed non possunt dicere eis, occidite, nisi alias sit hoc necesse pro defensione dicentis, aut Reip. Licet etiam clerico dare arma militibus, dum non intendat occisionem. Quia si ista intentio adsit, satis explicatur exterius dando arma,

non

non tamen exhortando ad bellum. *Vide loco cit.*

Dub. 5. *An in bello iusto possint Ecclesia, & Clerici expugnari.* 7

1. Concl. Illud non licet per se loquendo. Quia Ecclesiæ, & clericus non bellans, & istorum bona sunt exempta, *in c. ignoramus, de tregua*. Per accidens tamen possunt Ecclesiæ subuerti, vt si hostes confugiant ad Ecclesiam, vt inde pugnent.

2. Concl. Si imminet periculum gerenti bellum potest extrahere ab Ecclesia illuc confugientes, vt se, & sua defendant, & eos spoliare. Secus si non imminet tale periculum, sed gaudent illi priuilegio immunitatis Ecclesiæ.

3. Concl. Clerici dum pugnant possunt occidi, & spoliari. Sed parta victoria, si non timetur periculum in futurum, non possunt occidi, aut spoliari, etsi pugnauerint. Quia Rex extra actualem conflictum non est eorum iudex.

ARTICVLVS IV. DE ELEEMOSYNA.

D. Thomas. 2. 2. q. 32.

SVMMARIVM.

Eleemosyna est in pracepto, & quando obliget, num. 1.
Quid dicatur superfluum natura, vel status, num. 2.
Episcopi strictius alijs obligantur ad dandam eleemosynam, num. 3.
An possit fieri eleemosyna de male acquisitis, num. 4.
Pauper fictus peccat potendo eleemosynam, & quando teneptur restituere, num. 5.

DVB. 1. *An eleemosyna sit in pracepto, & quando obliget.* 1

1. Concl. De fide Eleemosyna est in præcepto. *Luc.* 11. *quod superest date eleemosynam.* Et Matth. 25. aliqui damnantur, quia non dederunt eleemosynam. Omissio enim eleemosynæ est occisio proximi indirecta, iuxta *cap. pasce. d.* 86. *ex D. Ambros.* vbi sic ait, *pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti.*

2. Concl. Eleemosyna obligat. 1. Si ex parte dentis est superfluum, & ex parte recipientis, extrema necessitas, vt patet. 2. Si ex parte dantis est superfluum, & grauis necessitas ex parte recipientis. Auarus enim Luc. 16. damnatur,

quia non dedit Lazaro eleemosynam, qui tamen non patiebatur extremam necessitatem, cum esset mendicus. Imo in communibus & leuibus necessitatibus, in sententia probabiliori D. Thom. *vt ait Bannes art. 6. dub. 1. & 2.* tenentur dare eleemosynam de superfluo. Quando sunt multæ necessitates graues, tenentur diuites minuere sumptus, alias non pertinentes ad decentiam status, in cibis, vestibus, & famulis
2. Nam tunc censetur periclitari bonum commune, cui ex iustitia legali est subueniendum. Et nota superfluum naturæ, aut status non stare in indiuisibili. Non enim est superfluum status, quod seruatur pro dotibus filiarum pro infirmitatibus, &c. dum non cogitetur de crastino, vtpotè seruando in aliquam fictam necessitatem, *vt ait D. Tho. ar. 5. ad 2.* Nec superfluunt pecuniæ paratæ ad ascensum altioris status ad quem licet ascendere, nisi adsint graues necessitates. Nec superfluunt conuiuia, & sumptus in cultu, & venatione, & alia pertinentia ad decentem splendorem status cuiusuis. 4. Obligat eleemosyna si ex parte recipientis est extrema necessitas, vtpotè quia incidit in infirmitatem, aut aliam necessitatem, ex qua probabiliter timetur mors, aut membri secatio, tunc tenemur ei subuenire, etiam de necessarijs ad statum. Nec sat erit, *contra Nau. in Ma. c. 24. n. 5.* illi necessaria commodare, aut vendere expectata solutione, nisi iste extremè egens his, habeat alibi neccessaria, aut suo labore possit victum comparare. Nam stando in iure naturæ omnia bona sunt communia, & de iure gentium facta est rerum diuisio, & appropriatio: sed in extrema necessitate redditur vsus communis omnium etiam pertinentium ad statum, & extremè egens licitè illa capit, nec dominus potest illum impedire, aliàs daretur
1 bellum iustum vtrinque: ergo Et intelligitur. 4. dictum, nisi dando iste eleemosynam, cadat à suo statu: quod fiet quando necessitates sunt multæ. Quia tunc iste rationabiliter malet mori, quam venire ad statum humilem, & relinquere filias indotatas, & tradendas sutoribus. Dicta doctrina colligitur *ex D. Tho. ar. 5. & 6. & Caiet. & Bannes, ibi.*

5. Conclusio Ext a dictos casus eleemosyna est in consilio: Ita D. Tho. Etsi aliquando, *vt ait Victo. Soto, Cano, & alij, quos refert, & sequitur Bannes art. 6. contra Caiet.* extra dictos casus tenemur de necessarijs ad statum nobis subtrahere, & dare gratis, aut mutuare. 1. Cum quis est in periculo amittendi statum, ex quo sibi, & suis eueniet maxima mi-

seria

feria. 2. Si quis patitur magnam iacturam suorum bonorum; & possum ei subuenire, sine graui damno, si mercator deficit, quia non soluitur sibi debitum, ex quo sibi grauia accrescunt mala. 3. Si quis ducitur captiuus, aut in carcerem, & pecunia data, aut mutuata liberatus, poterit suos alere, alias erunt in magna miseria.

4. Concl. Episcopi, & proportionabiliter parochi, & alij clerici tenentur ex charitate, strictiùs alijs dare eleemosynam, ex beneficio, patrimonio, &c. Quia ratione status debent vt magistri alios docere verbo, & exemplo. Et Matt. 5. dicuntur Episcopi *lux, ciuitas supra montem posita*. Et iterum dicitur eis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Et nota contra Nauar. *in Man. cap* 17. *num.* 94. Episcopum esse dominum suorum redituum, nec teneri alere pauperes ex iustitia, sed ex misericordia, strictiùs alijs. Et sic non absoluatur, si saltem quartam partem redituum non eroget pauperibus, etiam in communibus necessitatibus. Nam in grauibus, quæ solent esse tempore pestis, famis, aut plurium ægritudinum, ad amplius tenetur iuxta proportionem necessitatum ouium. Et aliquando ex supellectili, & vasis argenti tenetur eleemosynas facere. Nec satisfacit dando eleemosynam egenis occurrentibus, sed tenetur inquirere pauperes diœcesis, & eis necessaria ministrare. Ita Bannes. 3

Dub. 2. *An possit fieri elemosyna de malè acquisitis*.

1. Concl. De re cuius homo non sit Dominus, non potest fieri eleemosyna. Dicitur enim *Prou.* 3. *Honora Deum de tua substantia*. Sed nota quod si habes alia bona pro restituendo, & aliàs res à te accepta sit vno vsu consumptibilis, vt pecunia, vinum, oleum, &c. potes ex illa facere eleemosynam: cum non tenearis restituere eandem rem numero, sed sat est reddere eius valorem. 4

2. Concl. Si res iniustè accepta, non potest retineri ab accipiente, & alias non sit reddenda ei, à quo est accepta, potest de ea fieri eleemosyna. Patet in pretio accepto per simoniam, vt dicitur tract. de simon.

3. Concl. Si acceptio rei non est illicita, potest de ea fieri eleemosyna, etsi id ex quo acquiritur sit illicitum. Patet in pretio accepto pro meretricio, assassinatu, pro sententia, aut testimonio iniustis, &c. Quia de his acquiritur dominium.

4. Concl. Qui habens maiora debita, quam diuitias, & censens bona fide, se posse in futurum soluere, dat eleemosynam

nam, non peccat. At pauperes reſtituent, ſicut & hæredes, qui bona illa hæreditarent. Quia illa bona tunc ſunt obnoxia reſtitutioni obligatione perſonali, ita vt obligatio perſonæ tunc transeat ad rem. Et nota 1. Quòd ſi extremè egens poteſt ſibi ſubuenire mendicando, ad id tenetur: & diues habet ius, vt ab eo eleemoſyna petatur. Et ſi non velit dare, poteſt pauper capere, & dominus non poteſt defendere. Aliàs reſtituet pauperi damna ſecuta. Sed ſi extremè egens patitur graue dedecus mendicando, non tenetur ſic conſeruare vitam, ſed clam
5 accipiat ſibi neceſſaria. Nota 2. Quòd pauper fictus peccat mortaliter petendo eleemoſynam, & reſtituere tenetur quando ſibi dantur eleemoſynæ ſub conditione ſaltem tacita, quod ſit pauper, vt contingit in amplis, & extraordinarijs eleemoſynis: ſicut cùm petitur eleemoſyna pro captiuo, qui non eſt. Secus ſi donatio ſit abſolutè, vt præſumitur in eleemoſynis ordinarijs, etſi aliàs fiant ob motiuum falſum.

An verò qui ſunt ſub poteſtate alterius, vt ſerui, filij, vxor, &c. poſſint facere eleemoſynas, dicemus *in 7. præcepto, q. 1. dub. 1. &c.* vbi agemus de poteſtate illorum ad donandum. Ea enim, quæ poſſunt donare, poſſunt pauperibus rogare.

QVÆSTIO SECVNDA.

De occiſione ſpirituali, etiam indirecta.

ARTICVLVS I. DE SCANDALO.

D. Thomas 2. 2. q. 43.

SVMMARIVM.

Quid, & quotuplex ſit ſcandalum, num. 1.
An ſcandalum ſit ſpeciale peccatum, num 2.
An ſpiritualia ſint omittenda ob vitandum ſcandalum, num. 3.
Quæ præcepta ceſſent propter ſcandalum, num. 4.
An mulier ornans ſe committat ſcandalum, num. 5.

1 DVB. 1. *Quid & quotuplex ſit ſcandalum, & an ſit ſpeciale peccatum?*

1. Concl. Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum,

ctum, id eſt malum aut habens ſpeciem mali, præbens alteri occiſionem ruinæ. Et ſcandalum, aliud eſt actiuum, quando cum dicto tuo, aut facto intendis per te, vt alter ruat, inducendo eum ad peccatum, aut ſi id non intendis, ipſum dictum, vel factum eſt inductiuum ad peccandum: vt ſi publicè peccas, aut facis aliquid habens ſpeciem peccati. Aliud eſt ſcandalum paſſiuum, quando dictum, aut factum vnius eſt alteri cauſa per accidens peccandi, vt ſi præter intentionem operantis, & operis conditionem aliquis male diſpoſitus ex illo opere mouetur ad peccandum.

2. Concl. Scandalum paſſiuum non eſt ſpeciale peccatum in ſcandalizato, vt patet. Scandalum vero actiuum per ſe eſt ſpeciale peccatum. Nam ſi ſcandalizans intendit per ſe ruinam alterius, etſi alias iſte nō ruat de facto: ſed actus ſpecificatur à fine per ſe intento, ergo. Si tamen tuo dicto, aut facto ſolum intendas implere libidinem, & non alterius ruinam, etiam præuiſam, talis actus non erit in ſpecie ſcandali. Nam in mortalibus, quod eſt per accidens non dat ſpeciem. Erit tamen tunc confitenda circumſtantia ſcandali, niſi inculpabiliter ignoraſti aut non aduertiſti talem ruinam. Ita *Bannes 2.2. q.4. art.3.* 2

3. Concl. Scandalum actiuum aut paſſiuum eſt peccatum mort. ſi ruens cadat in peccatum mort. aut ſi ſcandalizator intēdat ruinam proximi mortalem, aut faciat ſeu dicat id ex quo moraliter ſequitur ruina alterius mortalis præuiſa, aut culpabiliter ignorata. Erit autem peccatum ven. ſi ſcandalizatus ſolùm ruat venialiter, aut ſi ſcandalizator ſolum intendat ruinam alterius venialem, aut ſi actum non ex ſe malum, ſed habētem ſpeciē mali leuis, indiſcretè committat. Ita *D. Tho. art. 4.*

Dub. 2. *An ſpiritualia ſint ob vitandum ſcandalum omittenda.*

1. Concl. Negatiua de ſpiritualibus neceſſarijs ad ſalutem, vt impletio præceptorum, quia nullus debet peccare, vt alterius peccatum vitet, cum in ordine charitatis propria ſalus ſpiritualis præferatur ſaluti ſpirituali alterius. 3

2. Concl. Non ſunt omittenda conſilia ob ſcandalum ortum ex malitia ſicut fuit ſcandalum Phariſæorum. At ob ſcandalum ortum ex ignorantia, aut infirmitate puſillorum, ſunt occultanda, aut differenda, quouſque reddita ratione ceſſet. Etſi ratione reddita & intellecta non ceſſat, non omittantur. Quia jam ex malitia eorum oritur ſcandalum,

4 3. Concl. Præcepta negatiua, cùm vetent intrinsecè mala, non cessant ob scandalum. Secus de affirmatiuis, etiam naturalibus, & diuinis. Quia occurrentibus duobus præceptis incompossibilibus leuius præceptum cessat, vt grauius seruetur, quale est præceptum non scandalizandi. Patet in muliere, quæ potest non integrare confessionem, si credit confessorem scandalizandum, & potest omittere Missam si scit probabiliter iuuenes scandalizandos si domo exeat. Imò si timetur scandalum pusillorum, tenetur modico tempore non exire. Sed si diu duret, non erit iam scandalum pusillorum, sed Pharisæorum, &
5 sic tunc exibit. Et idem dic circa ornatum, & fucos mulierum. Nam vti istis, vt non coniuges ad lasciuiam prouocentur, erit peccatum mortale, vt ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 169. *art.* 6. cum finis intentus sit mortale peccatum. At si id facis ex animi leuitate, & vt appareas pulchra, diues, aut ob alium finem venialem, solùm peccas venialiter, etiam si aduertas aliquos ex hoc ad lasciuiam incitandos, dum hoc non intendas, nec tibi placeat aliorum incitatio. Quia istorum scandalum est passiuum, acceptum, & non datum: cùm mulier habeat ius ad ornatum ex natura sua licitum, & communem alijs mulieribus. Ita *Caiet. & Armil.* verb. *ornatus* contra *Bannes*; sed iuxta *D. Thom. loco cit.* nisi forte adsit scandalum pusillorum aliquando, iuxta modo dicta.

ARTICVLVS I. DE CORRECTIONE FRATERNA.

D. Thomas 2. 2. q. 33.

S V M M A R I V M.

An correctio fraterna sit in præcepto, & quando obliget, num. 1.
An peccatori liceat alium corrigere, num. 2.
An sit corrigendus peccans ex ignorantia inuincibili, num. 3.
An teneamur corrigere cum periculo vitæ, num. 4.
An aliquando excusemur à corrigendo, num. 5.
Publicus peccator, & hæreticus pertinax non est secretò corrigendus, sed denunciandus, num. 6.
Occulti verò peccatores primò sunt secretè corrigendi, num 7.
Mulier sollicitata in confessione tenetur denunciare sollicitatorem Inquisitoribus, nisi sit spes emendæ per secretam correctionem, num. 8.

An

An liceat secretò correptum, sed obstinatum, denunciare in foro externo pro bono eius spirituali dum est copia testium, num 9.

DVB. 1. *An correctio fraterna sit in præcepto, & quando obliget.* 1

1. Concl. *D. Tho. art. 2.* Correctio fraterna pro loco, & tempore, & alijs circumstantijs obligat sub mort. Patet *Matth.* 18. *Si peccauerit in te,* idest, sciente te, *frater tuus, corripe eum.*

2. Concl. Homo priuatus non tenetur corrigere de peccatis venial. nisi sint proxima causa mortalium. Patet ex illo *Matth.* 18. *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum,* quod de re perdita ob peccatum mortale intelligitur. Secus de iudicibus, & Prælatis, qui sub mortali tenentur corrigere peccata venialia turbantia pacem, & curiositatem vestium lege vetitam. Et Prælati Religionum tenentur curare, vt seruentur ceremoniæ Religionis, vt sic status religiosus conseruetur, etsi, aliàs transgressores non peccent.

3. Concl. Non tenemur corrigere peccatum omninò præteritum, cuius nullum vestigium complacentiæ, aut damni imminet, nec in futurum timetur. Ita *Soto de tegen. memb. 2. q. 2. Bannes 2. 2. q 33. art. 2.*

4. Concl. Etsi hoc præceptum, cùm sit naturale, ex natura rei obliget peccatores, sed aliquando non licebit eis corrigere. Nam si publicus peccator alios publicè corrigat, alij scandalizantur. Aliquando autem dum non fit publicè, erit fructuosa peccatoris correctio, & illum obligabit, etiamsi peccatum corrigentis constet corrigendo, vt si peccator corrigat alterum, simul gemendo proprium peccatum, & non increpando illum, aut si fit reprehendendo se simul. 2

5. Concl. Homo priuatus non tenetur exire à peccato, vt sic alterum corrigat, sicut nec tenetur addiscere scientiam necessariam pro corrigendo. Et intelligitur hoc seclusa necessitate extrema spirituali proximi. At Prælatus tenetur addiscere scientiam istam, & exire à peccato, etiam extra necessitatem extremam, vt oues corrigat.

Dub. 3. *An sit corrigendus peccans ex ignorantia inuincibili.* 3

1. Concl. Omnes tenemur ab alio tollere ignorantiam iuris naturalis, & diuini, dum est in periculo peccandi, & ignorantiam facti contra tale ius diuinum, aut naturale, si aliàs sit

ſpes emendæ, vt ſi Petrus putans Mariam eſſe ſuam vxorem vult accedere ad eam, aut ſi Sacerdos vult ignoranter conſecrare in aqua. Quia iſta non ignorantur ſine magno damno.

2. Concl. Homo priuatim non tenetur ab alio tollere ignorantiam legis humanæ, v.g. ieiunij, nec ignorantiam facti contra illam legem, vt circa ieiunia, feſta, &c ſecluſo ſcandalo, & damno tertij. At qui gerit curam aliorum, vt pater, maritus, dominus, aut prælatus, tenentur à ſuis tollere ignorantiam omnis legis, quam illi ſcire tenentur, & ignorantiam facti circa tales leges, etſi ſubditi ob ignorantiam à peccato excuſentur, vt ſi ignoranter non ieiunent, aut non recitent horas Canonicas, &c.

Dub. 3. *An teneamur corrigere cum periculo vitæ.*

4 1. Concl. Omnes tenemur etiam extra extremam neceſſitatem alterum corrigere cum aliquo damno temporali; cum ſit plus diligenda vita ſpiritualis proximi, quã bona temporalia.

2. Concl. Omnes tenemur exponere vitam periculo pro vita ſpirituali proximi, extremè indigentis, cum iſta præſtet vitæ corporali, & ſic præferatur in ordine charitatis. Sed extra extremam neceſſitatem non tenetur homo priuatus alterum corrigere, etiam cum graui periculo honoris, aut bonorum.

3. Concl. Prælati extra extremam neceſſitatem tenentur vitam pro ouibus ponere. Ita *D. Thom.* 2.2.*q*.85.*art*.5. Et patet ex illo Ioan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam*, id eſt vitam. *dat pro ouibus ſuis*. Sicut enim Prælati tenentur dare eleemoſynam in multis caſibus, in quibus alij non tenentur, ſic & corrigere. Tenentur etiam inquirere defectus ſubditorum, *vt ait D. Thom. q*.33. *art*.2. Quod alijs non licet. Et in periculo hæreſum tenentur aſſiſtere, cenſum, & vitam periculo exponere, & prouidere in tempore peſtis, etiam magnis expenſis de miniſtrantibus Sacramenta: Curati etiam tenentur aſſiſtere, niſi alius ſuſcipiat curam ſuarum ouium. At Religioſi ad illud non tenentur. Ita *Bannes*, 2.2.*q*.33.*art*.3.*dub*.4. *cum Caiet*.2.2.*q*.26.*art*.5.

Dub. 4. *An aliquoties excuſemur à corrigendo.*

5 1. Concl. A corrigendo excuſamur 1. probabiliter ſcimus, quòd alter corriget, aut quòd peccator de proximo accedet ad confeſſionem, & emendabitur. 2. Si ſcitur probabiliter quod peccator non emendabitur. Imò ſi probabiliter non ſperatur emenda, *vt ait Caiet verr. correctio*. Sed hoc non videtur certum. Imo ſi certus ſim, quòd correctio non nocebit

cebit in spiritualibus,& aliàs dubito de emenda fratris,teneor corrigere. Patet ex illo *Matth.* 10 *Si te audierit, &c.* Ecce quomodo loquitur in casu dubij. Dixi in spiritualibus. Nam si damnum sit temporale, vt grauis infirmitas,teneor corrigere. Quia spiritualia sunt præferenda temporalibus. Sed habeatur ratio damni temporalis, vt conferatur cum spe emendæ, quia tantùm potest esse damnum, & tam parua spes emendæ,vt sit omittenda correctio. Imò in dubio æquali omittatur correctio: nisi aliàs proximus sit in extrema necessitate, vt in articulo mortis. At si scio quòd proximus fiet deterior: sed postea resipiscet mea correctione, teneor corrigere, etiam extra extremam necessitatem. Deus enim aliquando permittit hominem cadere in peccatum, vt confusus resipiscat.

2. Conclusio. Qui ex timore, tepiditate, verecundia, negligentia, aut alia simili causa non corrigit,non peccat mortaliter si aliàs sit ita paratus, quòd si crederet probabiliter posse fratrem emendare, omnia postponeret charitati fraternæ. Ita *D. Thom. art.* 2. *ad* 3. Et intelligitur conclusio,nisi aliàs actus redeat in naturam suæ formæ, v. g. quando si correctio omittatur sequitur proximo notabile damnum in spiritualibus. Quod continget in peccante ex ignorantia culpabili,à qua difficilè exibit, nisi doceatur, aut incidet in graue damnum animæ, & corporis. 5

Dub. 5. *An ordo correctionis positus Matth.* 18. *sit de iure naturali*. Et non est sermo de publico peccatore, iste enim erit denunciandus, vt dicitur 1. *ad Timoth.* 5. *peccantem coram omnibus argue*. Aliàs scandalum oritur, dum non constat de pœna istius. Ita *D. Thom. art.* 7. Et Hæreticus pertinax etiam occultus, semper est denunciandus, nec præsumatur emenda per secretam correctionem vnius, etiam grauissimi, de eo qui non credit toti Ecclesiæ. At si quis ignoranter, & sine pertinacia protulit aliquem errorem, nec aliàs docuit illum,erit corrigendus. Ita *Bannes*, 2.2.*q.*33. *art.* 8. Sermo est modo de alijs peccatoribus occultis. 6

1. Conclusio. Affirmatiua, quia omnes tenemur ex præcepto naturali eripere proximum à peccato, medio suauiori, aliàs efficaci, & cum minori damno, sed nullum medium est tale, quam primò corrigere proximum semel, aut pluries secretè, si sic speratur emenda: deinde si hoc non prodest, adhibere vnum, aut duos testes coram quibus verecundetur, & resipiscat, & tandem si hoc non sat est, denun- 7

ciare illum coram Prælato, vt patri. Hoc enim medium aliàs naturale, vt conuenientius, est à Christo explicatum *loco cit.* ergo.

2. Concl. Etsi per se loquendo dictus ordo sit sub peccato mortali seruandus; aliàs infamabitur proximus sine necessitate, tamen si prudenter iudicatur secretam correctionem non profuturam, transibis ad secundum medium. Et idem est de secundo. Imò & tertius potest omitti, si scitur probabiliter non secutura emenda, quæ est finis correctionis. Et intelligitur hoc de peccatis nocentibus soli peccanti, nam si nocent alteri, & maximè bono communi, etiam in temporalibus, & non speretur emenda per secretam correctionem, sunt denuncianda, vt ait *D. Thom art. 7.* de quo dicemus *in 8. præcepto, q.*
8 *2. art. 2.* Item mulier sollicitata in confessione, aut proximè antè, vel post, non absoluatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitatorem. Nisi, vt ait *Ledesm. in sum. 2. par. tract. 4. c. 4.* esset spes, quod iste secretè correctus emendabitur: quæ spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi, vnde si mulier sollicitata scit alicuius idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo hoc intendere. Et idem sentit cum *Salce Man. Rodr. in 4. regul. tom. 1. q. 59. art. 4.* de viro sollicitato circa confessionem ad actum nefandum. Quia etsi Pius IV. in commissione data Inquisitori Generali Hispaniæ relata à *Man. Rodr.* solùm loquatur de muliere sollicitata, tamen ratio, & mens illius legis etiam se extendit ad istum casum, vtpotè cum institutori istius Sacramenti Christo iniuriam faciant: & de illis verificentur verba illa dictæ legis, vtpotè, Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis abutantur, &c.

9 Dub. 6. *An secretò correctum, & obstinatum possimus pro eius bono spirituali denunciare in foro externo, quando suppetunt testes, & fiscalis.*

1. Conclusio. Pars affirmatiua est probabilis, si hac via speretur emenda. Ita *Caiet. 2. 2. q. 33. art 8. Soto de tegen. memb. 2. q. 4. conclus. 7.* Nam emenda fratris præferenda est cuiuis iacturæ honoris eius, aut famæ. Et etiam, Quia si ita non fit, scandala oriuntur, & datur ansa istis obstinatis committendi secreta scelera.

2. Concl. Pars negatiua est etiam probabilis. Ita *Bannes, art. 8.* Et patet ex illo *Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*, vbi concluditur totus ordo correctionis.

2. Quia

2. Quia publica correctio iuxta *D. Thom.* ordinatur per se ad bonum commune, ergo non est adhibenda pro bono particulari fratris. Maximè, quia si delicta aliàs secreta, & nulli nociua in foro externo publicentur, potius nocet, quam prosit communitati, ob scandalum datum fragilibus similia parandi scelera.

3. Concl. Licet Prælato, etiam coram paucis grauibus, qui prosint, & non obsint, increpare istum, & monere, quod de cætero vigilabit super eum. Et si est iuuenis, licebit eum verberare, sicut idem liceret tunc patri carnali. Et potest ei præcipere sub excommunicatione, ne vadat ad locum sibi periculosum, & alia necessaria ad emendam. Ita *Bannes*.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

NON MOECHABERIS.

D. Thomas 2. 2. quæst. 135. & 154.

NOt. *ex D. Thom.* 2.2. *q.* 153. Luxuriam pro coitu illicito esse peccatum mortale. Quia luxuriator vtitur venereis delectationibus, maximè absorbētibus, & impedientibus mentem circa diuina contemplanda. Ait enim *Aug.* 1. *Soliloq.* 10. *Deijciunt maximè ab arce animum virilem blandimenta fœminæ*. Nam si ista non honestentur ex matrimonio in ordine ad propagandum speciem, erunt peccata mortalia. Nec obstat quod per coitum expellitur semen superfluum ex alimento: ergo sicut emissio sudoris, & aliarum superfluitatum, sic & emissio seminis non erit peccatum. Ad hoc dico: Quod etsi semen sit superfluum ad nutritionem, est necessarium ad generationem, ad quam ex se ordinatur. At alia excrementa nullo modo sunt necessaria. Ita *D. Thom. art.* 3. *ad* 1.

Not. 1. *ex D. Thom. quæst.* 154. *art.* 1. Species luxuriæ esse septem, vtpotè simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, & vitium contra naturam. Et istæ species aliquando diuersificantur ex parte viri, vt si vir sit vxoratus, est adulterium; si consanguineus, aut affinis suæ complicis, est incestus, si Religiosus, sacrilegium. Sed regulariter istæ species diuersificantur ex parte fœminæ, eo quòd istæ species differunt ex parte materiæ, & fœmina in

 coitu

coitu habet se vt patiens, & materia. Et sic vir non tenetur confiteri circumstantiam suæ virginitatis, etiam in actu externo, quo amisit virginitatem, licet id bonum esse asserat *Sotod. 18. q. 2. art. 2.*

ARTICVLVS I. DE SIMPLICI FORNICATIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 154.

SVMMARIVM.

Fornicatio simplex est peccatum mortale, & intrinsecè mala, num. 1.

Non est tamen peccatum si sit vi extorta, & absit consensus in actum, num. 2.

Oscula facta secundùm morem patriæ sunt licita, num. 3.

Tactus, & amplexus libidinosi inter coniuges sunt liciti, dum absit periculum pollutionis, num. 4.

In alijs verò sunt peccata mortalia, num. 5.

An sint permittendæ meretrices, num. 6.

An liceat eis locare domos, num. 7.

An famuli istarum meretricum peccent ei inseruiendo, num. 8.

1 DVB. 1. *An fornicatio simplex sit mortale peccatum.*

1. Conclusio. *D. Thom. quæst. 154. art. 2.* Affirmatiua, & diffinita *in Clem. ad nostrum, de hæreticis*. Et patet ex illo ad Ephes. 5. *Omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Christi*, sed ab hoc regno nullus excluditur, nisi per peccatum mortale: ergo. 2. Quia fornicatio cedit in damnum prolis generandæ, quæ est defectu patris, nec debitè educatur, aut defenditur, nec satis promouetur in bonis internis, & externis. Nec obstat si quis fornicator satis in his proli prouideat, aut si probabiliter creditur nullam secuturam prolem, vt inter steriles, ergo saltem iste non peccabit. Ad hoc negatur conseq. Quia omnia ista sunt per accidens, & regulariter prauè educatur proles sic nata: & talis fornicantis seminatio ordinatur per se ad prolis generationem, & in lege solùm attenditur quod est per se, vnde illa fornicatio est intrinsecè mala: cùm sit seminatio deordinata priuatione naturalis ordinis ad debitam prolis educationem, etsi de facto aliquando non sequatur proles, aut per accidens debi-

debitè educari possit. Item vt lex aliqua, etiam in aliquo de, obliget, non sat est quod cesset finis eius in isto, sed debet cessare in generali, qui enim contra legem defert arma nocte, etsi sit senex, qui non debet educere gladium in aliquem, qui est finis dictæ legis, violat legem, cum non cesset lex, etiam pro isto, dum non cessant in generali damna, quæ lex intendit vitare: sic etiam de fornicatione.

2. Concl. Fornicatio cum sit intrinsecè mala, non excusatur ob metum infamiæ aut mortis. Nam consensus etiam coactus sat est ad peccatum mort. Excusatur autem ob vim absolutam, dum absit consensus in actum, aut delectationem actus. Nec tenetur mulier, quando vi opprimitur, defendere se ponendo manus in oppressorem, aut clamando, aut membris resistendo, si super his incutitur sibi metus grauis, dum tamen non se accommodet sceleri secundum situm, &c. *Ita Soto, 5. de iust. q 1. art. 5. Nauar. in man. cap. 16. num. 1.* 2

Dub. 2. *An oscula, & tactus sint peccata mort.*

1. Concl. Ex se ista non sunt peccata, cum licitè fiant sine libidine ex more patriæ, aut ob aliam necessitatem, etsi in eis excitetur aliqua sensualis delectatio, dum non acceptetur, sed permittatur: nec adsit periculum consentiendi in eam. *Ita Victo. & communiter, cum D. Thom. art.* 4. Quia dicta causa est licita, & aliàs talis delectatio non acceptata euenit præter intentionem. Sicut nec tenentur viri spirituales abstinere se à colloquijs spiritualibus cum fœminis honestis, etsi patiantur aliquas titillationes inuoluntarias. Ita *Med. in sum.* §. 18. 3

2. Concl. Dicti tactus etiam libidinosè exerciti, sed sine periculo pollutionis, sunt liciti coniugibus, cum assumantur vt media excitatiua actus venerei liciti inter eos. Imo, & oscula, & amplexus libidinosi sine periculo pollutionis sunt licita sponsis de futuro, eo quod sponsus habet quoddam ius, licèt inchoatum, & imperfectum ad corpus sponsæ: quod ad ista licentiam præbet. Et ista sunt velut principium promissarum nuptiarum. Ita *communiter, & maximè Caie. 2. 2. q. 154. art 4. Med. Nau. c. 14. n 18 & c. 16. nu. 12. & Ledes. c. 3. de matrim.* 4

3. Concl. Dicti tactus libidinosi etiam ob solam delectationem in eis repertam sunt peccata mort. in non coniugibus. Ita *communiter cum D. Thom. art. 4. Caiet. Silu. ver. delectatio, contra Marti. de Magistris, tract. de temperantia,* 5

cui

cui Victo. & Cord. in quæst. videntur assentire, etsi insinuent, hoc non esse dogmatizandum. Et patet conclusio. Quia delectatio in his reperta ex sua natura, est medium excitans ad coitum, ob quod quando confitetur coitus non sunt confitendi isti tactus, cum sint intrinseci coitui, sicut nec confitentur alia dicta, facta, cogitata, vt volita turpia antecedentia, comitantia, & consequentia proximè coitum, *vt ait Nau. lib. 5. conf.* 14. *de pœnit & remis.* Sed qui vult media ad finem, vult finem saltem interpretatiuè, nec moraliter loquendo potest illum præscindere, ergo, &c. Nec est idem de visu mulieris pulchræ. Quia ista visio, *vt ait Caiet.* non sic ad coitum ordinatur, sicut tactus, etsi non tangantur prudenda, sed manus, pes cum pede, aut vellicando brachium &c. Ex dictis patet, quod si mulier dubitet an libidinosè tangatur non fugiat consuetos honestos amplexus iuxta morem patriæ. At si sentit se libidinosè tangi, subtrahat se nisi aliàs ex tali subtractione, vtpotè, in publico facta, sequatur scandalum. *Ita Sil. ver. delect.* §. 2. *& Armi ver. osculum. Et ita intelligitur Caiet.*

2. Concl. Dicti tactus, cum sint circumstantiæ coitus, pertinent ad speciem coitus, ita vt si fiant cum vxorata, erunt adulterium; cum consanguinea, incestus, &c. Etiamsi ex intentione operantis non ordinentur ad coitum: sat est enim quod est sua natura ordinentur ad illum.

6 Dub. 3. *An sint permittendæ meretrices.*

Concl. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. Affirmatiua, pro vitando sic maiora peccata contra naturam.

2. Concl. Licet locare domos meretricibus, non hac intentione, vt in eis peccent, sed vt ibi habitent. Nam res indifferentes ad bonum, & malum, licitè venduntur etiam ei, de quo certò scimus illis malè vsurum, sed non in damnum tertij, dum tamen venditor non intendat illum malum vsum, sed vendere rem suam. Patet in agno vendito Iudæis, de quibus constat illum velle ad sacrificium. *Vide in 7. præ. q 3. dub.* 12.

3. Concl. Famuli istarum meretricum licitè eis inseruiunt aperiendo ianuam amatoribus, associando eas euntes ad peccandum, componendo lectum vbi peccant, dum tamen hoc non intendant, nec in eo sibi complaceant. Et patet ex 2. conc. Imò Nau. *li.* 5. *conf.* 4. *&* 5. *de pæn. & remi*, ait, posse istos seruos deferre literas, quibus amicus vocatur ad peccandum, & eos verbis à sua domina prolatis vocare, dum

tamen

tamen nec eos ad malum incitent, nec sibi complaceant in illorum peccato, sed solum simpliciter proponant verba dominæ suæ. Et ista, ait, honestantur ex eo quod sunt serui illarum stipendiati. Sed oppositum tenet Ledesma, *cap.* 9. *de abstinentia*. Quia, ait, sic eos vocando iuuant ad peccandum. *Ita etiam Man. Rod. in addi, ad* .§. 9. *Bulla*, *dub.* 12. *num.* 153. vbi retractat contrarium dictum cum Nau. *in sum. to.* 1. *c.* 203. Sed videtur esse idem ac de secunda conclusione dicta.

ARTICVLVS II. DE STVPRO.

D. Thomas q. 154. art. 6.

SVMMARIVM.

Stuprum est species luxuriæ distincta à simplici fornicatione, num. 1.

Adhuc est talis etiam dum fit ex consensu puellæ & parentum eius, num. 2.

DVB. 4. *An stuprum sit species luxuriæ.* 1

Concl. Affirmatiua contra Sot. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. vbi ait, stuprum non esse distinctam speciem à fornicatione simplici, nec in confessione explicandam circumstantiam virginitatis, nisi in solo actu, quo amittitur virginitas, ob damna secuta. Sed conclusio est D. Tho. art. 6. & communis. Quia in violatione virginis existentis sub cura parentis, aut tutoris reperitur specialis deformitas in genere luxuriæ. Tum ex parte puellæ. quæ ob violationem impeditur a matrimonio, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur metu amittendi signaculum virginitatis: ratione cuius, etsi fœmina careat parentibus, & tutoribus, adhuc dicitur stuprata. Tum etiam ex parte patris, aut tutoris eius curam gerentium quousque maritetur. Ita D. Tho. Nec obstat si virgo ex consensu sui, & patris violatur. Quia iste consensus est inuoluntario mixtus ob ne- 2
cessitatem, aut passionem. Tum maximè. Nam etsi mulier sit domina suæ integritatis contra Medin. in sum. tamen non est domina illius sicut diuitiarum, ita vt pro libito possit illam sicut diuitias distrahere, sed seruato hoc ordine vt custodiatur vsq; ad nuptias. De stupratore quando, & quomodo restituere teneatur, dicemus *in* 7. *præcepto. q.* 7. *art.* 2. *dub.* 4.

AR-

ARTICVLVS III. DE ADVLTERIO.

D. Thomas. q. cit. art. 8.

S V M M A R I V M.

Adulterium est species luxuriæ, & ob illud præcisè nihil est restituendum, num. 1.

1 DVB. 5. *An adulterium sit species luxuriæ.*
Conclusio D. Tho. art. 8. Affirmatiua. Quia in adulterio reperitur specialis deformitas in genere luxuriæ: in quantum accedis ad mulierem alteri matrimonio iunctam, & impedis bonum prolis alienæ. Et sic irrogas iniuriam marito, cuius etiam est concausa adultera. Non tamen tenetur adulter restituere marito adulteræ aliquid ob solum adulterium, vt dicemus in tract. de restitu. art. 3. bene autem ob spurium progenitum, vt ibi dicetur, *art. 6. dub. 6. & 7.*

ARTICVLVS IV. DE INCESTV.

D. Thomas. art. 9.

S V M M A R I V M.

Incestus est speciale peccatum luxuriæ, num. 1.
Vnde, & quando aggrauetur eius malitia, num. 2.
Committitur etiam incestus per comixtionem habentium inter se cognationem spiritualem vel legalem, num. 3.

1 DVB. *An incestus, idest coniunctio consanguineorum, aut affinium, sit species luxuriæ.*
1. Concl. Diu. Thom. art. 9. Affirmatiua. Quia species luxuriæ sumuntur per distinctionem mulierum, ad quas fit accessus, sed in incestu importatur specialis conditio mulieris: cum sit abusus consangineorum, aut affinium, ergo. 2. In abusu istorum inuenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ. Tũ quia consanguineis naturaliter debetur honor, & in actibus venereis reperitur turpitudo contraria honori, vnde de istis homines verecundantur. Tum etiam quia consanguinei debent sæpè conuersari inter se, & si non arecerentur à venereis, daretur eis opportunitas nimiæ commixtionis.

2. Con-

2. Conclusio. Inter proximiores consanguineos, aut affines erit grauior incestus intra eandem speciem. Imò in 1. gradu grauior est incestus cum matre, aut alia quam cum sorore, & sic in confessione explicandus. Ita *Soto, d. 18. q. 2. art. 4. Nauar. in Man. cap. 7. n. 3. & communiter, de quo Ledesm. c. 9. de pœnit.* At incestus extra secundum gradum non aggrauat notabiliter. Et sic sat est confiteri sic, commisi incestum extra secundum gradum. Ita *Ledes. loco cit.* 2

3. Conclusio. Incestus etiam committitur in accessu habentium inter se aliquam cognationem spiritualem contractam per baptismum, confirmationem, aut per cognationem legalem ex adoptione ortam, cum istæ cognationes dirimant matrimonium cum eis contractum.

ARTICVLVS V. DE RAPTV.

D. Thomas art. 7.

SVMMARIVM.

Quid sit raptus, & quando committatur. nu. 1.
Pœna raptorum. num. 2.

DVB. 7. *Quid sit raptus.* 1

1. Concl. Raptus species luxuriæ committitur, quando mulier vi rapitur ad matrimonium, non si capiatur etiam vi ob aliam causam. Ita *multi contra Nauarr. c. 27. num. 150.* Et ita declarauit congregatio Cardin. die 23. Ianuar. anni 1586. vt refert Fari. in Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6.* ex quo patet, quod si mulier è domo patris egressa, & amore iuuenis tacta eum insequitur, & ab eo etiam corrumpitur, non dicitur rapta. Ita *D. Thom art. 7. & Nauar. lib. 5. cons. 1. de raptu, ex cap. cum causam, de raptoribus.*

2. Concl. Inter raptorem, & raptam, dum rapta est in potestate raptoris, non potest stare matrimonium. Et raptor, & eum auxiliantes, ei consulentes, & fauentes excommunicantur in Conc. Trid. cit. manent perpetuò infames, & si sint clerici, de proprio gradu decidant. Et tenetur raptor raptam decenter arbitrio iudicis dotare, siue eam in vxorem ducat post raptum, siue non. Ita *in Conc. cit.* 2

ARTICVLVS VI. DE SACRILEGIO.

D. Thomas art. 10.

SVMMARIVM.

Quid sit sacrilegium, & an pertineat ad speciem luxuriæ vel irreligiositatis, num. 1.
Quando committitur sacrilegium ratione loci, num. 2.
An quæ coiuit cum religioso satisfaciat dicendo in confessione se coisse cum initiato in sacris, num. 3.

1 DVB. 8. *An sacrilegium, id est accessus ad monialem, clericum, aut religiosum sit species luxuriæ.*

1. Concl. Affirmatiua. Quia quando actus vnius vitij ordinatur ad aliud, transit in speciem illius, sicut etiam contingit in actibus virtutum. Sed quando polluitur persona sacra, irreligiositas ordinatur in luxuriam, cum ex nimio appetitu luxuriæ acceptet homo communiter violationem personæ sacræ, & non è contra, ergo ista irreligiositas, seu sacrilegium est species luxuriæ, & non è contra. Ita colligit Caiet. istam rationem ex *D. Tho. art.* 10. Non verò numeratur à *D. Tho. art.* 11. sacrilegium hoc inter species luxuriæ. Quia sacrilegium ex se directè pertinet ireligiositatem, & reductiuè ad luxuriam.

2. Concl. Sacrilegium est, exercere actus turpes externos, præter colloquia, in sententia probabiliori, in Ecclesia, aut in locis benedictione deputatis ad sacra peragendum, non verò in alis locis monasterij, vt in dormitorio, etsi ibi sit altare ad Missandum Nam loca ista non sunt benedicta. *Ita Lud. Lop. tom. 1 cap.* 197.

3 3. Concl. In sententia probabili, quæ coiuit cum religioso satisfacit dicendo in confessione se coisse cum initiato in sacris, si hic sit ordinatus, aut cum eo qui vouit castitatem solemniter. *Ita Nauar in Man. cap.* 6. *num.* 4. *Cord. in sum. quæst.* 4. *Manua Rod.* 1. *parte, cap.* 55. *num.* 5. Sed probabilius est teneri explicare se coisse cum religioso. *Ita Soto* 8. *de iust. quæst.* 2. *art.* 5. *Ledesm. cap.* 19. *de pœnit. Con.* 1. *dub.* 1. *& communiter Thomistæ. Vide supra in tract. de voto, dub.* 8.

AR-

ARTICVLVS VII. DE VITIO CONTRA NATVRAM.

D. Thomas art. 11. & 12.

SVMMARIVM.

Quid sit vitium contra naturam, & quibus modis committatur, num. 1.
Quis ordo in speciebus luxuriæ quoad grauitatem malitiæ, n. 2.
Vnde aggrauetur malitia vitij contra naturam, num. 3.

DVB. 6. *An vitium contra naturam sit species luxuriæ.*
1 Concl. Affirmatiua. Nam ibi reperitur deformitas repugnans ordini naturali actus venerei, quæ conuenit speciei humanæ, aut quia sine coitu causa delectationis pollutio procuratur, quod est mollities, aut coeundo cum complice alterius speciei, quod dicitur bestialitas: aut coeundo ad illegitimum sexum, masculus cum mascu'o, aut fœmina cum fœmina, quod est sodomia, aut si non seruatur naturalis modus in coitu, vel non seminando in vase, vel vtendo instrumento indebito, &c. *Ita D. Thom. art.* 11.

2. Concl. Inter species luxuriæ peius est vitium contra naturam ex suo genere. Et in hoc leuior est mollities. *Ita D. Th. art.* 12. Dixi ex genere. Quia ob damna, aut alia, peius est virginem deflorare, adulterare, accedere ad monialem, quàm monialem, vxoratam aut virginem extra vas polluere. 2

3. Concl. *D. Thom. art.* 12. Inter alias species, peior est incestus, cum sit contra naturalem reuerentiam debitam personis consanguinitate, aut affinitate vnitis. Post incestum peius est adulterium: cum sit abusus mulieris viro subiectæ ad vsum generationis, cui fit iniuria. Deinde est stuprum, quod est abusus mulieris alteri traditæ ad solam custodiam, cui non tanta sicut marito fit iniuria. Aggrauantur stuprum, incestus, & adulterium ex raptu. Et omnia illa aggrauantur ex sacrilegio. Et infima species est fornicatio, vbi soli proli generandæ fit iniuria.

4. Concl. Si in coitu contra naturam concurrant deformitates aliarum specierum luxuriæ, ex eis aggrauatur notabiliter. Abuti enim moniali contra naturam est sacrilegium; abuti virgine est stuprum; abuti vxorata, adulterium, & abuti consanguinea, aut affine, incestus. 3

AR-

ARTICVLVS VIII. DE POLLVTIONE

D. Thomas art. 5.

SVMMARIVM.

Pollutio directè voluntaria est peccatum mort. num. 1.
An aliquando liceat vti causa proxima, vel remota pollutionis, num. 2.
An pollutio habita in somnijs sit peccatum mort. num. 3.
An liceat gaudere de pollutione sequuta in somnijs, vel eam desiderare, num. 4.

1 DVB. 9. *An pollutio in vigilia sit peccatum.*
1. Concl. Pollutio directè voluntaria est peccatum mort. *Ita communiter cum D. Thom. art.* 5. Et patet, 2. Cor. 5. vbi istis mollibus negatur ingressus cæli, quod solis peccantibus mortaliter denegatur. Et isti molles tenentur explicare obiectum cogitatum in pollutione. Nam si mulier cogitata sit vxorata, est adulterium; si virgo, stuprum, &c. Et explicabis, si pollutio sit facta proprijs, aut alienis contactibus.

2. Concl. Pollutio indirectè voluntaria, vtpotè præuisa, & volita in sua causa, erit peccatum mort aut ven. iuxta malitiam causæ. Pro quo Dico 1. Non licet absque necessitate, aut pia vtilitate vti causa per se pollutionis, etiam alias licita. Patet in tactibus coniugum, quando ex eis regulariter sequitur pollutio extra vas. Quia eodem præcepto vetatur res illicita, & eius causa per se, *vt ait D. Thom. art.* 4. ergo qui vtitur illa causa vult in ea illum effectum, etsi nollet alias, quod sequatur, aut aliquando per accidens non sequatur. Iam enim quantum est ex parte sua dedit causam. At si sis certus moraliter, quod ex tuis tactibus non sequitur regulariter pollutio, etsi alias pecces exercendo illos, sed non peccas peccato pollutionis, etiam si aliquando per accidens sequatur. Dico 2. Licet vti causa proxima per se pollutionis, ad effectum per se alias licitum, dum tamen pollutio non intendatur sed permittatur: nec adsit periculum probabile consentiendi in eam Patet in confessore audiente turpia aut studente illis pro confessione, & in medico tangente pudenda pro medendo illis. Quia isti non volunt causam pollutionis, vt sic. Et ex dictis patet à fortiori

tiori licere vti causa per accidens pollutionis ad effectum alia per se bonum. Quia non tenemur vitare omnia, quæ sequuntur per accidens ex nostra operatione, secluso damno proximi, quod semper est ex charitate vitandum, si potest vitari commodè, & sine proprio damno. Dico. 3. Qui sine, necessitate, aut pia vtilitate vtitur causa remota pollutionis, qualis est, quæ aliquando disponit excitando ad pollutionem, iuuando causas proximas, peccat peccato pollutionis venialiter solum, & secluso periculo consentiendi in pollutionem, & alias non intendendo illam. Patet in excessu cibi, & potus, qui erit malus venialiter, & malitia gulæ, & malitia pollutionis, si aduertitur inde posse sequi, etsi aliquando per accidens non sequatur. Et pollutio tunc erit peccatum ven. cum sit aliquo modo voluntaria, non simpliciter: cum non sit volita in se, nec in causa proxima, sed solum in causa remota. & sic imperfectè voluntaria, & imperfectè peccatum. Et sic verificatur illa regula, quod quando causa pollutionis est peccatum ven. pollutio in ea volita est solum peccatum veniale. Intelligitur ergo non de causa proxima, sed de remota. Aut intelligitur quando causa est peccatum ven. ex inaduertentia rationis, seu ex imperfecta deliberatione.

Dub. 10. *An pollutio in somnijs sit peccatum.*

1. Conc. Si ista pollutio procedit à causa mor. v. g. à cogitatione turpi mortali habita in vigilia, erit peccatum mort. & si procedit à causa veniali, erit peccatum ven. & si à nulla causa ex dictis procedit, non erit peccatum. Quia peccatum debet esse voluntarium in se, aut in sua causa: sed pollutio in somnijs non est voluntaria in se, vt patet: ergo debet attendi voluntarium repertum in sua causa, vt de eius malitia iudicetur. Et procedit conclusio etiam de pollutione incepta in somnijs, & finita in vigilia, dum homo deliberatè non consentiat in illam, sed eam permittat. Ita *Nauarr. in Man. cap.* 16. *numer.* 7. *Ledesm. tractat.* 17. *de abst. cap.* 16. Et idem ait *Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.* 74. de pollutione veniente inter somnia, quando homo non est omnino à somno excitatus, nec habet plenam deliberationem. Et vt pollutio in somnijs procedens à causa mort. non sit peccatum mort. antequam dormias, doleas de tali causa: *vt ait Ledesm. & Med.* 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. Quia cum ista pollutio solum habeat malitiam causæ, ablata per pœnitentiam, seu dolorem tali malitia causæ, tollitur etiam malitia sequentis pollutionis. 3

2. Concl. Non Licet gaudere de pollutione in somnijs secundum se: cum ex se sit mala, etsi excusetur ex somnio. Aliàs
2 liceret eam procurare. Sed licet gaudere de bono effectu illius. Imò, & de illa vt est causatiua effectus boni; v. g. sanitatis. Quia sic considerata pollutio in somnijs est bona, & medium ad finem bonum, vt potè ad sanitatem. Imò, est probabilius licere ægro sicut & eius medico, desiderare talem pollutionem in somnijs ob sanitatem: non desiderio efficaci, & dando ei causam, sed desiderio inefficaci, & simplici. Ita *Siluest. Angé- ver. pollutio. D. Ant 1. p. tit 6. cap. 5 Nauar. in Man. c. 16. num.* 7. Et patet ex *D. Tho. 2. 2. q. 76. art.* 5. vbi ait, licere desiderare ægritudinem peccatori, vt resipiscat, ergo, & licet desiderare ægro pollutionem ob sanitatem.

ARTICVLVS IX. DE COGITATIONE MOROSA.

D. Thomas 1. 2. q. 74. art. 6.

S V M M A R I V M.

Delectatio morosa voluntaria obiecti cogitati quod est pec. mort est mortalis. n. 1.
Quomodo fieri possit peccatum ven. n 2.
Delectationes morosæ diuersificantur specie ex obiectis & explicandæ sunt in confessione. n. 3.
An liceat coniugibus delectari de copula habita vel habenda secluso periculo pollutionis. n. 4.
An liceat viduæ delectari de copula præterita cum viro suo. num. 5.

DVB 11. *An delectatio morosa obiecti turpis cogitati, sine desiderio assequendi illud, sit peccatum.*
1 1. Concl. Delectatio morosa voluntaria obiecti cogitati, quod est peccatum mort. est peccatum mort. Ita *communiter de quo Ledesm. c 17. de absti.* Et patet, quia consentit in rem quæ ex se est peccatum mort. & via ad peccatum mort. Dixi voluntaria. Quia si ratio non plenè aduertit, id de quo cogitarat, etsi aliàs sit longa mora, & facilè posset reprimi delectatio, si aduerteretur, non erit peccatum mort. Ita *ex D. Th. 1. 2. q. 74. art. 6. ad* 3. Et patet. Nam vbi non est aduertentia rationis, non est actus humanus, seu voluntarius, & sit nec peccatum. Et intel-

intelligitur de inaduertentia actuali, vel virtuali. Nam si ex negligentia culpabili, actu non aduertas, mortaliter peccas, cum iam virtualiter aduertas. Et dicitur plena aduertentia, quando actualiter, aut virtualiter attendis illam cogitationem esse periculosam, aut malam in se, aut in sua causa, malitia saltem in communi, etsi determinatè non attendas; aut ignores esse malam mortaliter, aut venialiter: tunc peccas mort. ob periculum peccandi mort. Nisi alias probabiliter credas esse malam solum venialiter.

2. Concl. Delectatio morosa sit peccatum veniale. 1. Ex paruitate materiæ, vt si obiectum cogitatum sit peccatum ven. 2
2. Ex defectu plenæ aduertentiæ. Nam si aduertentia sit semiplena, erit solum peccatum ven. etsi voluntas consentiat. Quia ad perfectum peccatum, quale est peccatum mort. requiritur plena aduertentia, & plena deliberatio. Imo si aduertentia sit plena, & voluntas, & ratio negligenter se habent in reprimendo illos motus, erit peccatum veniale, *vt tenuit Languas 1. 2. q. 74. art. 6.* Etsi Ledesm. tenet esse peccatum mort. Item in sententia probabili Victoriæ, solum erit peccatum ven. in talibus cogitationibus, seu delectationibus, suspendere actum sine consensu, aut dissensu. Sed vt dicebat Ianguas, probabilius videtur esse peccatum mort. ob periculum consentiendi, cum illi motus de facto sæpè trahant voluntatem, etiam prius reluctantem. Item qui non reprimit motus illicitos mortaliter, quando potest, & tenetur, censetur virtualiter consentire, sed consensus virtualis sat est ad peccatum mort. ergo.

3. Concl. Delectationes morosæ sunt diuersæ speciei ex obiectis: & explicandæ in confessione. Itaque delectatio circa vxoratam, est adulterium: circa virginem stuprum, &c. Ita *Doctores communiter, maximè Thomistæ, D. Ant. 2. par. tit. 5. c. 1. §. 6. Caieta. Tabi. ver. luxuria, q. 8. Nauarr. in Man. cap. 16, numer. 9. & Ledesm. loco cit contra Vasquez, 1. 2. d. 122. cap. 2. & alios modernos.* Et patet Quia talis delectatio est, v. g. de cogitatione circa vxoratam, ergo ab isto obiecto sumit malitiam, & speciem. Si arguas, iste solum delectatur de cogitatione accedendi ad istas personas: Ad hoc dico, quod iste non delectatur de sola cogitatione, sed de cogitatione circa tales personas. Itaque totum hoc, scilicet cogitatio morosa turpis, v. g. circa vxoratam, est obiectum talis delectationis. 3

Dub. 12. *An liceat coniugibus delectari de copula inter eos* 4

habita, aut habenda, secluso periculo pollutionis.

Conclusio affirmatiua. Ita *D. Ant. 2. part. tit. 5. cap. 1. §. Palu. in 4. dist. 9. quæst. 3 art. 1. num. 7. Caiet. ver. delectatio. Ledesma loco cit. & communiter contra Nau. in Man. cap. 16. nu. 10.* Quia tactus libidinosi secluso periculo pollutionis extra vas sunt liciti coniugibus in ordine ad finem matrimonij, ad quem ex sua natura ordinantur. Imo, etsi de facto ab operante non ordinentur, erunt solum peccatum ven. ergo idem erit à fortiori de dicta delectatione. Dum tamen, *vt ait Ledesma* quiuis coniux proprijs tactibus seorsum non se prouocet ad membri alterationem, quidquid sit de alteratione ex dicta delectatione secuta. Quia illa prouocatio erit peccatum mort. nisi fiat ad habendum copulam cum coniuge præsenti, aut qui statim speratur. Quia tunc ista prouocatio ordinatur ad finem licitum matrimonij.

5 Dub. 13. *An liceat viduæ delectari morosè de copula præterita cum viro suo.*

1. Conclusio. Licet delectari de tali copula considerata in ratione boni honesti, aut vtilis, vtpotè, in ordine ad habendos filios, aut vitandum fornicationem. Quia copula ista sic considerata est bona, nec habet rationem mali, aut libidinis, ergo delectatio de illa, vt sic considerata, non est mala.

2. Conclusio. Peccatum est mort. delectari de dicta copula delectatione venerea, & libidinosa, seu in quantum delectabilis est, libinosè. Ita *Ledes. & multi moderni.* Quia delectatio vt sic non habet rationem boni, sed est mala mortaliter. Sicut ergo non licet viduæ delectari in opere externo, sic nec delectari de tali opere internè cogitato. Et iuxta dicta intellige Palud. Caiet. Angel. Armi. & Syluest. ver. delectatio, asserentes non esse peccatum mort. seclusa pollutione, alteratione, & motu sensuali, istam delectationem, cum non sit peccatum mort. delectari de eo quod non fuit peccatum. Et idem est de delectatione copulæ futuræ inter sponsos de futuro.

SEPTI-

SEPTIMVM PRÆCEPTVM DECALOGI.

NON FVRTVM FACIES.

HIc agam non solùm de furto, sed & de alijs contractibus, in quibus, si rectè non fiunt, iniustitia reperitur. Et de restitutione, qua reparatur iniustitia alteri illata. Et pro omnium exacta declaratione tractatum de dominio præmittam.

QVÆSTIO PRIMA.

De Dominio.

D. Thom. quæst.66. art.1. & 2.

SVMMARIVM.

Quid sit dominium, & in quo fundetur, num.1.
Quarum rerum homo habeat dominium, num.2.
Homo est dominus bonorum spiritualium, externorum, & internorum, num.3.
Conuenienter facta est rerum diuisio, num.4.

DOminium est facultas vtendi re in omnes vsus lege permissos. Sed cum ista facultas vtendi rebus, iuxta 1
D. Thomam 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 1. radicetur in intellectu simul, & voluntate, solæ istæ potentiæ fundant dominium, iuxta id *Genes.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, id est, cum intellectu, & voluntate, seu libero arbitrio, *& præsit piscibus maris, & volatilibus, &c.* Ex quo patet. 1. Bruta non habere dominium, etsi metaphoricè Leo dominetur animalibus, & Aquila auibus. 2. Patet, Hominem non habere domi- 2
nium rerum antecedentium liberum arbitrium, vt vitæ, & membrorum. Nam solus Deus est Dominus vitæ, & mor-

tis,& homo custos vitæ suæ. Et sic peccat contra iustitiam occidendo se. Et etiam Respublica est custos vitæ ciuium: Et sic licet possit exponere periculo ciues pro tuendo bono communi, cuius est principaliter custos; sed non potest pro libito eos
3 occidere. 3. Patet hominem esse dominum propriæ libertatis, & sic potest se vendere. Et est dominus honoris, & famæ, contra *Caiet.* verb. *detractio*; cum illa subiaceant libero arbitrio, iuxta *D. Thom.* 2. 2. q.73. art.4. ad 1. Et à fortiori est dominus temporalium: imò & spiritualium, non solùm externorum, vt beneficiorum, & iurisdictionum: sed & internorum, vt virtutum etiam infusarum, charitatis, & gratiæ, iuxta sententiam veriorem, quæ colligitur ex *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 1. *ad* 3. vbi ait hominem esse dominum rerum pertinentium ad ipsum: sed ista pertinent ad hominem, ergo. 2. Aliàs, si amitteres gratiam per furtum, peccares dupliciter contra iustitiam; tum auferendo alienum, tum amittendo gratiam: Et sic ex iustitia tenereris eam statim recuperare per pœnitentiam: cum præceptum restituendi quo reparantur damna illata contra iustitiam, obliget semper, & pro semper. Nec *D. Thom.* 2. 2. q.73. art.9. ad 2. sentit oppositum, vt ibi ait *Medin.cum Canon. relect. de pœnit.* sed loquitur in sententia aliàs probabili.

4 *Not.* 1. Quòd etsi in iure naturæ diuitiæ essent communes, tamen iure gentium post peccatum facta est earum diuisio, & appropriatio; & postea iure humano est multiplicata. Et hoc ita expediuit, ait *D. Thom.* 2.2.q.66. art.2. tum ob vitandas lites; tum etiam quia cum homines ob peccatum sint negligentes, maximè circa bona communia, agri manerent inculti. Et sic statim ac Adam peccauit, & habuit filios adultos, facta est ab eo diuitiarum diuisio; vt patet *Genes.* 4. vbi Abel obtulit Domino de primogenitis gregis sui. Ex quo patet esse iusta dominia, & diuitiarum diuisionem. Et ita diffinitur *in Concil. Constant. sess.* 8.

Not. 2. Quòd etsi dominus rei possit illam cui velit dare, sed debet fieri iuxta præscriptum legis, vt patet ex diffinitione dominij. Et sic agemus de translatione dominij, & de causis, quibus ad inuicem inter homines transfertur. Quales sunt, voluntas domini rei, lex Principis, & sententia iudicis, de quibus sigillatim dicetur. Et primò de voluntate abdicante à se dominium, promissione, aut donatione.

ARTICVLVS I. DE PROMISSIONE.

SVMMARIVM.

Promissio interna facta Deo obligat, non verò facta homini, num. 1.

Promissio facta absenti coram testibus obligat solùm sub veniali stando in iure communi, num. 2.

Sed secundùm leges Castellæ obligat sub mortali ex suo genere, num. 3.

DVB. 1. *An qui promittit aliquid, teneatur ex iustitia reddere.* I

1. Concl. Promissio, etiam interna, facta Deo, obligat. Ita *D.Thom. 2. 2. q. 88. art. 1.* Quia cùm Deus intueatur cor hominis, statim acceptat eam: At promissio interna facta homini, non obligat. Nam si non explicetur verbis, aut signis, non potest cognosci, & sic nec acceptari ab eo cui fit. Et ex hoc patet 1. Promissionem, aut donationem, etiam verbis factam surdo, aut absenti, non obligare, sed posse reuocari antequam cognoscatur, & acceptetur. Ita *Sota 3. de iust. q. 5. art. 3.* Quia promissio, & donatio est quædam datio, sed datio dicit ordinem ad acceptationem, ergo non oritur obligatio dandi antequam alter acceptet. Quod adeò verum est, vt etiam promissio secluso voto, aut donatio ad pias causas facta absenti, vtpote Ecclesiæ, aut pauperibus, si non adsit qui pro illis eam acceptet, non obligat. Ita *Iul. Clar. tract. de donat. 2.* patet Quod si promissio, aut donatio fit Petro præsenti, qui illam cognoscit, & acceptat, transfert dominium in eum. Imò iuxta *Iul. Clar.* contra *Iosephum Flo. de voto*, etsi non expresse acceptet, sed taceat. Quia iuxta reg. iuris, qui tacet consentire videtur. Quod maximè est verum in fauorabilibus. Sed de promissione facta absenti coram testibus.

2. Concl. Stando in iure naturæ, aut in iure communi Canonico, vel ciuili, promissio facta absenti coram testibus, solùm obligat sub peccato veniali ex virtute veracitatis, in iure enim naturæ reputaberis mendax, si non imples promissum. Et in iure Canonico *ca. iuramenti, 22. q. 5.* & in iure ciuili *ex l. 1. ff. de pactis*, habetur, quod promissiones sunt seruandæ, dum promissum non est illicitum, nec aliàs res sint mu- 2

tatæ, ſed durent in ſtatu, quo erant tempore promiſſionis, vt ait *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 5. Vbi nota, Quod omnis euentus ſufficienter auertens me à promittendo, ſi poſt promiſſionem ſuperuenit, ſatis ſoluit obligationem promiſſionis: vt ſi promiſi Petro frequentanti ſcholas mille aureos pro ſtudio, ſi poſtea luxibus vacat, deobligor à promiſſione. Quia promiſſio debet eſſe ſpontanea, & voluntaria: ſed mutatis rebus, meritò deſinit eſſe voluntaria, ergo &c. Ita *Caiet. & Victor. cum D. Thom. loco citato, & Nauar. in Manual. cap.* 18. *num.* 7.

3 3. Concluſ. Stando in legibus Caſtellæ promiſſio facta abſenti, etiam ſine tabellione, ſi ſit probabilis in foro externo, & facta animo obligandi fidem, obligat ex iuſtitia ſub peccato mortali ex genere: dum tamen res maneant immutatæ modo dicto. Ita *l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *nou. recog. & lib.* 3. *ordinat. tit.* 8. *l.* 3. Vbi nota, Quod ſtando in iure communi iſti teſtes ſine tabellione non faciunt nouam obligationem, ſed ſolùm dant teſtimonium de tali promiſſione. At ſtando in legibus Caſtellæ, ex ipſis gerunt vices partis, & nomine partis acceptant promiſſionem: aut ipſe Rex nomine partis ex tunc per ſuam legem acceptat illam, factam cum illis conditionibus. Quia Rex cùm expedit bono communi poteſt transferre dominium ex vno in alterum. Et hactenus dicta non procedunt de promiſſione rei aliàs indebitæ, extorta per iniuriam, & ſecluſo iuramento, quæ non obligat, ſicut nec promiſſio facta cum damno communi, aut tertij, etiam cum iuramento.

ARTICVLVS II. DE DONATIONE IN COMMVNI.

SVMMARIVM.

Quid ſit donatio, & quotuplex, num. 1.
Quibus caſibus donatio inter viuos poſſit reuocari, num. 2.
Donatio facta vi, aut metu cadente in conſtantem virum, non eſt valida, num. 3.
Neque etiam valet donatio prodiga etiam iurata, num. 4.
Donatio excedens 500. *aureos facta ſine auctoritate iudicis prohibetur in iure, ſed valet in conſcientia, num.* 5.
Donatio conditionalis non valet deficiente conditione, num. 6.
Donatio cauſalis inter viuos non valet cauſa non ſtante, ſecus

de

de donatione causali inter mortuos, *num.7.*
Donatio modalis valet etiam non secuto modo, num.8.

DVB. 2. *An per omnem donationem transferatur dominium.* 1

Not. 1. Quod donatio est datio irredibilis compensationem non intendens. Ita *D.Thom in* 1.*d* 18. *q*.1. *art*.2. Et sic donatio remuneratiua obsequiorum, & beneficiorum, non est propriè donatio, sed recompensatio, aut gratificatio.

Not. 2. Quod donatio est duplex, alia inter viuos, & fit quadrupliciter. 1. absolutè, vt si dicas, dono tibi hoc. 2. conditionaliter, vt si dicas, dono tibi hoc, si hoc feceris. 3. modaliter, vt si dicas, dono tibi hoc, vt vestiaris. 4. causaliter, vt si dicas, dono tibi hoc, quia me iuuasti, & ista potius est remuneratio, quàm donatio. Alia est donatio causa mortis, quando scilicet in ea fit mentio mortis, aut quod donator habeat donum dum viuit. Ita *lib*.3.*fori tit* 12.*le* 6.*&* 10. Et debet fieri coram quinque testibus, de quo *Hugo. de Celso, ver. donatio, num*.3. Et donatio ista est in vita reuocabilis. Secus de donatione inter viuos per se loquendo, si sit perfecta, vtpotè si traditum est donatum, aut scriptura donationis. Ita *l*.2. *tit*.12. *lib*.3. *fori, & l*.17. *Tauri*, *& l*.8.*tit* 30 *p*.3. Et si post hæc donatarius tradat donatum donanti, vt vtatur eo, *l*.10.*tit*.12.*lib*.3.*fori*. Dixi per se loquendo. Quia aliquoties donator potest reuocare donationem, vtpotè, ob ingratitudinem, vt si donatarius impias manus in eum iniecit, aut atroces iniurias ei intulit, siue graue damnum rerum suarum, aut vitæ periculum, siue corporis læsionem inferre præsumpsit. Ita *lib*.3. *fori*, *l*.1. *tit*.12. *& l*. 90.*tit*. 22. *p*. 4. Et habetur *cap. vlt. de donat.* vbi glossa addit aliam causam; vtpotè, si donatarius non impleuit conditionem positam. Et sermo est in textu, vt explicat glossa, de donatione etiam per traditionem perfecta, & absoluta. Ita etiam *Siluest. verb. donatio.* 1. At hæres donatoris non potest reuocare donationem, nec allegare dictas causas, si donator de his in testamento non meminit, nec allegauit dictas causas pro reuocanda donatione. Ita *l*.10. *tit*.14.*par*. 5. *& cap. fin. de donatione*. 2

1. Conclusio. Donatio facta vi, aut metu cadente in virum constantem non valet. Ita *l*.7.*tit*.12. *l*.3.*fori*, *& l*.11. *tit*.4. *p*.5. *& l*.13.*tit*.33.*p*.7. & communiter contra *Panor. c. Abbas*. Imò vt ait *Nauar. in Manual.cap*.17. *num*.4. *Adria.& Ludou.Lop.* 3

tom.2.

tom.2. cap.177. cum alijs contra alios Iuristas, donatio, quæ non fit animo libero est nulla, etsi non adsit tantus timor, quantus requiritur in foro externo ad eam inualidandum, iuxta notata *in l. interpositas, C. de transaction. & l. metum, 1. & 2. ff. quod metus causa*, & patet. Quia donatio est gratuita datio, & libera: sed metus etiam leuis extenuat libertatem, ergo & irritat donationem. Hæc autem dicta sint secluso iuramento. Quia si donator quouis metu coactus iuret donationem, implebit eam dum iuramentum non relaxatur, etsi donatarius tenebitur remittere donationem, aut acceptam restituere. Ita *cap 1. de iureiur.*

4 2 Concl. Donatio prodiga, etiam iurata, cùm sit contra bonos mores, vt si sit omnium bonorum, iuxta *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 10. ad 2.* aut ita quod non suppetit donanti facultas alendi familiam iuxta decentiam sui status, est nulla. *Ludou. Lop. lib.2. instr. nego. c.43 Man. Rodr. in sum 1. par. cap.94. Iul. Clar. tract. de donat & Bart l. Stipul.* Et *in l.7. tit.12. lib. 3.* fori, irritatur donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum. Imò *lib 5. nou Reco. tit.10. lib.8.* vetatur donatio bonorum præsentium. Et intelliguntur ista de donatione propria. Nam si donatio fit Ecclesiæ, aut alteri causæ piæ, valet: cùm ista non sit propriè donatio, sed fiat causa obtinendi gratiam peccatorum veniam, iuxta *Iul. Clar. & Nauar. c.26. num. 39.* Sed donatarius tenebitur ad debita, & alimenta donantis; item intelliguntur, nisi donator intret Religionem, iuxta *D. Thom. 2.2 q.117. art.1. ad 2.* de quo dicemus *dub.4.*

5 3. Conclusio. Donatio excedens 500. aureos facta sine auctoritate iudicis competentis, vetatur *l. Sancimus, C de donat.* Sed valet in conscientia si aliàs non sit inofficiosa. Ita *Ioseph in Flo. & Ludou. Lop. in instru nego. lib.2. c.43.* Imò si firmetur iuramento, valet, etiam in foro externo, iuxta *cap. si verò, & cap. debitores, de iureiur.* maximè si fit renunciando dictæ legi. Etsi secundùm *Ludou. Lop. & Man. Rodr.* verb. *donatio cap.64* hoc non sit necesse.

6 4. Conclusio. Donatio conditionalis non valet deficiente conditione. Ita *cap. cùm sit, de condit. appos.* Imò etsi conditio sit turpis, aut impossibilis, aut matrimonij, seu maioris boni impeditiua, si constet voluntatem donantis esse, vt tali conditione stante, & non aliter, valeat donatio, si non stet conditio, est nulla donatio. Ita *Caiet. verb. pæna, Soto, & Nauar. c.23. num.67.* iuxta *cap. verum, de condit. appos.* Quia deficiente voluntate

luntate donantis non transfertur dominium. Et intelligitur si donatarius non fecit totum posse, vt impleretur conditio. Nam si fecit, & per illum non stetit impletio conditionis, debetur donatum. Ita *l.22.tit.9.p.6.Et iuxta reg.66.iuris in* 6. vbi dicitur: *Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet ac si esset impleta.* At si donans cum conditione turpi, aut impossibili, &c. voluit suam donationem iuxta ius valere; aut si non constet de voluntate donantis, tunc cum eius voluntas sit declaranda iuxta ius, erit valida illa donatio, etsi deficiat dicta conditio. Quia in iure conditio turpis, aut impossibilis, &c habetur pro non adiecta, seu impertinenti. Ita *c.fin.& c.verum, de condi.appo Et ita intelligitur Silu.ver. hæreditas.4. & Armi.* Et idem colligunt à fortiori de donato propter nuptias, aut hac conditione, vt nubat; valet enim donatio, etsi donataria inter religionem, & omittat nuptias Nisi alias donator voluit dare hac conditione, vt nubat, & non aliter.

1. Concl Donatio causalis inter viuos non valet causa non stante, nisi aliter constet de voluntate donantis. Et sic mulier cui datur aliquid, vt alliciatur ad turpia, si non consentiat, reddet illud. Ita *Lud.Lop. cum Ioseph tom.1. cap.76* Quia deficit tunc voluntas donantis. Et hoc maximè est verum in muliere solita consentire. Nam si sit honesta, & semper protestata est, quod non consentiet, etsi illud accipiat, & alias vir non explicuit se illud dare ob dictam causam, nil restituet. Ita *Manua. Rod.in su.1.p.c.95.* Dixi inter viuos, nam donatio causalis causa mortis valida est, etiam non stante causa, vt si Petru à nullo deceptus censens Paulum esse filium suum instituit eum hæredem, licèt Paulus sciat se non esse filium eius, nihil restituet. Ita *l.19.20 & 21.ti.9.par.6 & Soto 4.de iust.q.7. art.2. contra Molin.tractat.2.de iust.di.235.* vbi etiam ait ille, quod vltima dispositio, & testamentum, vt valeat, non sit inuoluntarium etiam mixto errore, vi aut metu iniustè illato, ita illi dispositioni causam dantibus, vt illis seclusis testator aliter disponeret Et idem ait de precibus importunis, & molestijs, quibus non obstantibus testator aliter disponeret de rebus suis. Dixi à nullo deceptus, nam secus sit, si deceptus ab alio id fecit. 7

6 Concl. Donatio modalis valet, etiam non secuto modo. *Ita cap.verum cit* vt si des Mariæ centum, quibus nubere possit, sunt ei dandi, aut ejus hæredibus, etsi non nubat. Quia talis donatio est pura, & sine conditione. Ita *Baldus lib.4. cons.* 8

249. Secus si dicas, mando Mariæ centum pro dote sua, aut vt nubat, Quia tunc talis donatio esset conditionalis, de qua supra. Ita communiter, *vt ait Acosta, lib. 2. de condi. appo. cap. 22. & Couarr. de testa. c. 5. num.* 11. Hæc de donatione in communi.

ARTICVLVS III. DE DONATIONE IN PARTICVLARI.

SVMMARIVM.

Qui sint inhabiles ad donandum, n. 1.
An serui possint aliquid donare, n. 2.
Quid possint minores circa donationem, num. 3.
Decretum Concilij Trident. irritans renunciationes bonorum factas à nouitijs ante duos menses proximos professioni, num. 4.
Hoc decreto probabiliter annullantur renunciationes factæ ante susceptum habitum vel cum pacto quod non valebit renunciatio si à religione exeat, num. 5.
Non tamen irritantur donationes causa mortis, num. 6.
Omnis alia donatio non sequuta professione est irrita, num. 7.
Quæ sint bona filij familias, & de quibus possit donare, num. 8.
An filius peccet accipiendo de bonis patris, num 9.
Vxor liberè disponit de bonis paraphernalibus, num. 10.
Quid possit vxor circa eleemosynas, n. 11.
Quid si vir durus expresse vetet donationes? num. 12.
Quid si maritus auarus vel bonorum dissipator, non præbeat familiæ necessaria, n. 13
Quid possit maritus circa bonorum administrationem, num. 14.
Quantum possit Pater vel vidua expendere in pias causas, n. 15.
Quantum pater vel mater possit donare extraneis, num. 16.
Quæ & quibus casibus possit pater donare filio, num. 17.
An possit pater dare filio titulo meliorationis, num. 18.
An hæc melioratio sit reuocabilis à meliorante, n 19.
Quæ donationes valeant inter coniuges ante vel post matrimonium facta, num. 20.
Qui sint priuati facultate donandi, num. 21.
Quæ donationes sint vetitæ, num. 22.

1 NOt. Solos habentes peculium, rationis compotes, & per leges non inhabiles posse donare. Ex defectu primi religiosi

ligiosi, & serui donare nequeunt. Ex defectu secundi non possunt donare amentes, minores. Ex defectu tertij multæ donationes sunt vetitæ vxoribus, filijs, & alijs, de quibus suo ordine dicemus. Et de donationibus religiosorum vide in nostr. Epit. de statu religionis, lib. 1. c. 3.

Dub. 3. *An serui possint aliquid donare ex aliquo sibi proprio.* 2

1. Con. Serui capti in bello iusto, sicut licitè fugere possunt, sic & retinere sibi donatum, hæreditatem, aut lucratum. Et sic illud donare possunt: cum sint illorum domini. *Ita Man. Rod. ver. donatio.*

2. Concl. Serui emptitij sunt etiam domini sibi donatorum, & sibi lucratorum post seruitium exhib tum suis dominis, aut ex sua portione resaruatorum. *Ita Man. Rod. loco cita. contra Ludou. Lop. instruct. nego. lib.* 1. *cap.* 40. Quia ratione seruitutis solum tenentur non defraudare dominos in seruitio ordinario, at si de somno, & requie detrahendo aliquid lucrantur, possunt sibi retinere, & donare.

3. Concl. Serui bello capti, quales sunt omnes ferè Æthyopes commorantes apud nos, & illorum descendentes, sicut sunt domini suæ libertatis, ac iniustè fiunt mancipia, sic & rerum quas acquirunt. Imò & possunt pro sua libertate iniustè vsurpata, & pro suo labore, & seruitio dominis impenso tollere ab eis illud precium, quo talis libertas & seruitium arbitrio prudentum æstimatur. Et sic isti possunt ista bona donare.

Dub. 4. *An amentes, & minores possint aliquid donare.* 3

1. Concl. Donatio furiosi, *vt habetur. l. si furiosus, de homicidio*, & donatio minoris, 14. annorum, etiam iurata, *vt habetur l. 16. ti. 5. par.* non valent. Quia donatio ast actio humana, vtpote, libera, & in facultate hominis existens, sed furiosus, & minor ille regulariter non possunt habere talem actionem, ergo.

2. Concl. Si minor ille post 14. annum ratificet contractum, aut donationem, erunt valida. Er si tunc facit sine tutore donationem iuratam, in foro externo non cogatur implere, *vt habetur l. 16. tit. 5. par. 5.* At in conscientia erit implenda, dum iuramentum non irritatur à tutore. Quia cum ista iuramenta non sint contra bonos mores, ob reuerentiam diuini nominis sunt implenda. Et nota, quod tutor pro pupillo aliquid potest donare, vt mittere munera ex more

con-

consueta magistro & consanguineis sui pupilli, & remittere debita isti, aliàs non ita liquida. *Ita l. pactum curatoris, C. de pact. & Lud. Lo. cap. 39.*

3. Concl. Minor iste sub tutore aliàs doli capax potest donare, & ludere quod filius familias imò, & plus: cum iam habeat bona hæreditata.

4 4. Concl. Minor post 14. annum intrans religionem potest omnia bona sua donare. Sed *iuxta Conc. Trid. ses. 25. c. 16. vbi sic habetur? Nulla renuntiatio antea facta, etiam cum iuramēto, aut in fauorem causæ piæ, valeat; nisi cum licentia Episcopi, aut eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem. Ac non aliàs sortiatur effectum nisi professione secuta. Aliter verò facta, etiam cum renuntiatione istius fauoriss sit, irrita.* Et intelligitur ista lex etiam deexcedentibus. 16. annum renuntiantibus. Nam ista verba, antea facta, non referuntur ad ætatem renuntiantis, de qua iam dixerat in Cap. præcedenti, sed ad duos menses proximos ante proffessionem. *Ita Fari, deci. 265. ex declaratione Card. Et deci. 122.* refert eosdem declarasse validam renuntiationem factam cum modis requisitis intra duos menses proximos tempori, quo professio fieri legitimè posset etsi actualis professio per aliquot dies differatur. Et decis. 227. refert dictam Congregationem declarasse, istud decretum Concilij non loqui de renuntiationibus factis ante habitum susceptum. Et ita etiam refert. Nau. *lib.* 3. *conf.* 81. *de regu* vbi etiam oppositum colligit probabiliter

5 ex mente Concilj, & fine qui est libertas in nouitio ad profitendum, aut non profitendum, quæ libertas tolletur, si videret, quòd redeundo ad sæculum non haberet quo viuat. Ex quo etiam patet non valere donationem, aut renuntiationem ante duos menses factam cum pacto, quod non valeat si à religione exeat. *Ita etiam Nauar. conf.* 82. Quia etiam sic tollitur à nouitio dicta libertas, tum quia parentes, vt sic bona filiorum obtineant, facilè filijs suadent religionis ingressum, & ipsi precibus, & timore reuerentiali coacti non renuent: tùm etiam, quia continget donatarium in odium nouitij incurrisse, & sic nouitius, vt donationem annullet, à religione exeat contra suam voluntatem, quod non esset necesse, si donatio sine requisitis in Conc. Trid. cit. esset ex se irrita.

6 *Et nota* 1. Concilium solum loqui de donatione inter viuos, non de donatione causa mortis. *Ita Nau. conf.* 83. *contra Farina. loco ci.* Nec obstat, quòd Concilium absolutè

loquitur

loquitur de omni renuntiatione, quia debet intelligi de illa, quæ obstat intentioni Concilij, quæ est libertas profitendi, vel non profitendi, vt dixi, quæ solum tollitur per donationem inter viuos Cum ista si fit absolutè, est irreuocabilis, & si fit cum pacto, quod non valeat si à religione exeat, vt reuocetur, debet nouitius a religione exire. Donatio autem causa mortis sẽper est reuocabilis, dum nouitius non profitetur, & sine eo quod exeat à religione. *Nota* 2. Quòd donatio facta à nouitio, etiam cum dictis conditionibus, si non profitetur, est irrita, va in Conc ci. decernitur. Etsi sic moritur ante professionem cum dicta renuntiatione, & sine alio testamento, succedunt ei hæredes ab intestato. *Ita Congregatio Card. vt refert Parase. in suo compend.* *Nec obstat*, quod iam saluatur intentio Concilij prædicta, etsi donatio sit valida. Quia licet hoc ita sit, at Concilium noluit à nouitio tollere posse testari pro anima sua si velit, & sic absolutè irritat donationẽ non secuta professione. 7

Dub. 5. *An filius familias non emancipatus possit aliquid donare.* Et sermo est de filio habente, *iuxta l. 4. tit de testa. l. 5. noua Reco.* legitimam ætatem, vt si vir habet, 14. annos & fœmina duodecim, *iuxta l.* 13. Qui enim habet 25. annos, donare potest. *Ita l. 2. ti. 4. p. 5.* Et nota, quod bona filij, alia sunt castrensia, id est, acquisita ex militia: alia quasi castrensia, id est acquisita aliquo officio publico beneficiarij, aduocati, tabellionis, medici, aut alterius officij, ob quod reportat publicum stipendium, aut acquisita ex domo Regis, seu Reginæ: alia sunt aduentitia, id est, acquisita à filio sua industria, seu euentu, siue ex donatione facta sibi, & non intuitu patris, aut si aliquid à matre, seu alio hæreditauit: alia sunt profectitia, id est acquisita à filio ex bonis paternis, aut occasione patris sibi obuenientia. 8

1. Concl. Filius familias potest de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, etiam patre inuito, in vita pro libito disponere. *Ita c. licet de sep. in 6* cum istorum bonorum habeat dominium, & vsumfructum *Ita Sil. ver. peculium 1. q. 3. Lud. Lop. in instr. nego l 2 c. 39. Nau in Man c. 17 n 141 & communiter.* Et potest de isdem testari, duabus tertijs partibus suo ascendenti relictis, secundum aliquos, quos refert, & sequitur Moli. *to. 1. de iust. tracta 2. d.* 231. contra alios.

2. Concl. Filius familias non potest disponere de vsufructu suorum bonorum aduentitorum: cum iste vsus sit patris. Et licèt possit testari dè tertio istorum bonorum, *vt pates*

tet ex l. 5. Tauri: cum in alijs duabus tertij necessariò succedant ascendentes, tamen si pater habet vsum fructum etiam illius tertiæ partis, mortuo filio non implebuntur eius legata, aliàs scilicet, non pia, aut saltem exceptis missis, & expensis funeris, ante mortem patris: cum ius testandi filij debeat esse sine præiudicio patris. *Ita Doctores quos refert, & sequitur Moli. de iust. & iur. tracta. 2. d. 138* Et intelligitur Conc. nisi quando donator bonorum aduentitiorum filij voluit, quod vsus fructus illorum sit statim filij: aut nisi sit clericus maiorum ordinum. *Ita Siluest. ver. clericus. 4. cum Hosti & Panor. & Arm. ver. clericus, ex authen. presbyteros, de Episcopis, & clericis.* Et iste pro recuperandis suis bonis non eget patris consensu, vt dicunt dicti Doctores. Item. Etsi stando in iure communi, *vt ait Sil. ver peculium, 1. & Arm. ver. peculium*, possit pater dum viuit sibi retinere dimidios fructus bonorum aduentitiorum filij post nuptias filij sed stando in legibus Castellæ, filio, & filiæ coniugatis, & velatis, qui *vt habetur leg. 47. Taur.* in omnibus habentur vt emancipati, tradetur vsusfructus suorum omnium aduentitiorum. *Ita l. 8. & 9. titu. 1. lib 5. nou. Recopil.* At si pater sponte emancipet filium, potest sibi retinere dimidios fructus dictorum bonorum. *Ita l. 93. tit. 18. p. 3. & l. 15 tit. 18. par. 4.*

3. Concl. Filius non potest disponere de bonis profectitij, cum ista sint patris. Sed illo mortuo potest vltra suā legitimam accipere de bonis patris, quantum in eis præ alijs fratribus laborauit, aut saltem quantum daretur extraneo tantumdem laboranti. Sed duplici limitatione, *ait Nauar num. 144. contra Sila.* 1. Quod alias filius non teneretur alere patrem, vtpotè habentem quo viuat. 2. Quod filius saltem tacitè protestetur se nolle ei gratis inseruire.

9 4. Concl. Filius familias potest ex bonis patris isto non concedente accipere sibi necessaria iuxta suam qualitatem pro victu, & vestibus. Imo si peregrinatur, aut est in studio, potest ex sibi datis pro victu aliquid insumere in luxu, elemosynis, aut alijs iuxta quod sibi similes licitè faciunt. Ista enim censetur voluntas rationabilis patris, vt est communis sententia, *de quo Medin. in sum. de ludo, & Nauarr. num. 556.*

5. Concl. Filius aliter quam dixi accipiens ex bonis parentum aliquid notabile, restituet parentibus, aut alijs fratribus. *Itta Nauar. & communiter.*

Dub.

Dub. 6. *An vxor possit aliquid donare?*

1. Conclus. Stando in iure communi potest vxor pro libito disponere de bonis paraphernalibus, qualia sunt quæ præter dotem, & arras traduntur vxoribus magnatum, aut quæ ex aliquo lucro, etiam illicito acquirunt, post sufficientem domus administrationem, in quo sensu loquitur *D. Thom.* 2.2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 2. At stando in legibus Castellæ, vbi lucra sunt communia coniugibus, & istorum bonorum sicut & arrarum, & aliorum bonorum administratio reseruatur marito pro oneribus matrimonij, *iuxta lib.* 3. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori, & lib.* 7. *tit.* 11. *p.* 4. non potest vxor disponere, etiam de dictis paraphernalibus, sine licentia saltem interpretatiua mariti. 10

2. Concl. Iuxta licentiam viri interpretatiuam licitè vxor, absente viro, aut dementato, elargitur solitas viri eleemosynas. Ita *Palud. in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *ar.* 6 *& Nau. c* 17. *nu* 155. Nam administratio domus ad vxorem spectat tunc, nisi per virum, aut alium superiorem aliter statuatur. Item potest vxor ex sibi signato à viro pro victu aliquid sibi subtrahere & donare. Et potest titulo eleemosinæ, aut gratitudinis donare, quòd aliæ vxores similes ex more patriæ donant: vt sunt vestes detritæ, & comextibilia. Et *iuxta Bannes* 2.2. *qu.* 32. *art.* 8 potest vxor diuitis quotannis inscio viro dispensare in licitis vigesimam partem lucri annualis. Quia dictorum dispensatio debet esse interpretatiuè volita à bono viro. 11

At si vir ita durus expressè vetet dictorum donationem? Ad hoc *D. Anton.* 2. *p. tit.* 9 *c.* 16 §. 1. *& Nauarr.* dicunt, quod vxor intelligat illud sibi vetari, ne immodicas donationes faciat: & sic non cesset ab illis paruis largitionibus. Sed si sibi persuadet maritum omnem vetare donationem? abstineat, *ait Siluest. ver. eleemosina*, nisi in duobus casibus. 1. si pauper extremè eget, & aliàs maritus non exponatur periculo extremæ indigentiæ. 2. vtiliter gerendo negotium viri vt si sit sceleratus, & facit eleemosynas, vt à Deo conuertatur, siue ad euitandum eius damnum: sicut fecit Abigai donando panes Dauidi, 1. *Regum* 25. dum tamen ista fiant sine scandalo viri, *vt ait Nauarr.* Ista sententia Siluestri, etsi probabilis, aliis verò, *de quo Ludou. Lop. tom.* 1. *c.* 174. videtur, quòd tunc fit maxima iniuria vxori, dum viro cogitur, ne iuxta morem vxorum sibi similium parua illa largiatur, & sic seclusis rixis grauibus cum viro & scandalo non pec- 12

H cabit

cabit vxor grauiter,non obediendo viro in his.Et meritò.Nam etsi iuxta leges Castellæ administratio domus ad maritum spectet: at non fuit legis intentio ita ligare vxorum manus, vt non possint in hoc,quod earum filii,imò & plus: cùm non sint ancillæ,sed sociæ virorum consortes,& dominæ domus.

13 3. Conclus. Si maritus auarus, aut bonorum dissipator non præbet necessaria familiæ, licet vxori illi clàm accipere. Imò suis parentibus,& fratribus grauiter indigentibus potest etiam renuente viro, dare de bonis communibus, iuxta decentiam personarum & sufficientiam facultatum,maximè si vir in fraudem vxoris aliquid suis consanguineis,aut aliter elargitur. Et intelligitur hoc, quando maritus non vult ista prouidere. Tenebitur verò vxor in partitione bonorum illud sic datum de parte sua defalcare: sicut, & maritus tenetur defalcare sit data suis fratribus,& ab eo consumpta in fraudem vxoris. Et intelligitur hoc de amplis donationibus datis consanguineis pro conseruando decentiam status,*vt ait Cord.q.*125. non de paruis eleemosynis, illis sicut aliis pauperibus datis. Nam cum istæ extraneis largiantur sine illo grauamine defalcationis, sic & possunt etiam largiri parentibus. Ex dictis patet à fortiori teneri vxorem defalcare ex sua parte, quæ consumpsit aliter quam dixi.

14 Dub.7.*An possit pater, seu maritus aliquid donare suis aut aliys.*

1. Conclus. Cum maritus iuxta leges Castellæ sit bonorum administrator, *vt dixi dub.*6. potest etiam renuente vxore,illa distrahere per contractus onerosos, vtpotè vendendo, emendo,permutando,remunerando seruitia,& beneficia: dum tamen istæ remunerationes,merita seruitiorum, aut beneficiorum notabiliter non excedant,nec fiant ad hoc quod vxor, aut alij hæredes in suis partibus defraudentur.

15 2. Conclus. Pater, & idem de matre vidua, potest extendere etiam vltra quintum suorum bonorum in opera pia, in eleemosynas, in Dei cultum pro anima sua. Ita *Nauarr. numer* 39. *Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.* 170. *Sot distinct.*41. *quæst.* 1. *art.* 4. Quia in lege,vt dicemus,solum vetatur ei donatio propria excedens quintum bonorum: sed largitio pro causis piis non est propriè donatio: cum non careat omni spe retributionis, ergo. Et ex hoc patet posse parentes in vita, & morte instituere capellaniam ex bonis excedentibus quintum bonorum: dum tamen consulatur statui filiorum.

rum.

tum. Quia ista institutio non est donatio gratiosa, sed onerosus contractus, *vt ait Lud. Lop.* Et nota, quod nomine causæ piæ non intelliguntur modò expensæ funeris, vt cera, Missæ, offerenda, &c. Ista enim, sicut & alimenta filij spurij, de quinta parte bonorum deducentur. *Ita lib. 5. no. Reco'. 3. tit. 6.* Hæc de donationibus improprijs, nam de proprijs sit.

3. Concl. Pater, vel mater habens descendentes legitimos, 16
non potest donare extraneis vltra quintum suorum bonorum. *Ita lib. 5. nou. Recep. tit. 6. lib, 12. & l.* 18 *Tau.* Imò si post donationem nascatur filius donatori, donatarius restituet donatum. *Ita Silu. ver. donatio. 1. Couarr. in 4. decre 2. p. c. 6. num. 17. iuxta l. si vnquam. C. de reuocan don. & Hugo de Celso in repr. ver. donatio, numero* 5. Nisi aliàs donatio fiat inter coniuges modo dicendo dub. 8.

4 Concl Maritus non potest donare bona immobilia, imo nec mobilia in notabili quantitate, nisi computando hoc in partem suam. At de bonis communibus potest, sine animo tamen damnificandi vxorem, aut filios, facere plures donationes modicas, etiam si omnes eam summam conficiant, quam quia notabilis est, simul & semel donare non posset. *Ita Lud. Lop. tom. 1. cap. 175.* Item non potest maritus alienare dotem vxoris: nisi sit sibi data in rebus mensurabilibus, aut ponderabilibus, & appretiata. *Ita lib. 7. & 21. tit. 11. p. 4.*

5. Conclusio Donatio patris facta filio, etiam non emancipato, valet in casibus sequentibus. 17
1. Si donet illi mobilia pro bello, aut studio. 2. Si donet filio vsumfructum suorum bonorum aduentitiorum. 3. Si quid donet vni filio pro seruitijs ab eo præ alijs filijs impensis: dum tamen donatum non excedat seruitia, alias excessus non valet in eo qod excedit tertium vel quintum bonorum, de quo potest pater disponere in fauorem filorum. Si tamen filius viuente patre non recipit seruitiorum remunerationem: nec aliàs de hoc conuenit cum patre, nec protestatus est petiturum mortuo patre, non poterit hoc ab alijs hæredibus petere. Quia amore filiali censebitur illa seruitia fecisse. 4. Si quid donet filijs pro matrimonio. Vbi nota, quòd si ambo coniuges promittunt dotem filio, aut aliam donationem propter nuptias, soluetur ex bonis communibus, & defectus supplebitur ex bonis amborum coniugum æqualiter. At si solus pater dictam dotem, aut donationem promittit, soluetur ex bonis communibus, & defectus suppleatur ex bonis patris. *Ita l.*

H 2 8. *tit.*

18 8. *ti.* 9. *lib.*6.*nou. Recop.*Not 2.quòd etsi l. 101. Matriti edita anno 1534. vetetur ne parentes causa nuptiarum possint filios meliorare in tertio, & quinto assis: bene verò antè, aut post matrimonium: at in conscientia tutè possidetur talis melioratio si fit. Quia lex ista non est cum tanto rigore recepta, *vt ait Lud. Lop. tom.* 1.*c* 175. Imò etsi cum parentes per contractum inter viuos,& cum scriptura publica promittunt nullum filium meliorare, non valet melioratio si fit, tamen si per contractum inter viuos promittant, etiam sine scriptura aliquem meliorare ex causa nuptiarum, aut ex alia causa onerosa cum tertia persona, ad id tenentur, & si non faciunt, dicta melioratio pro facta habeatur. *Ita l.* 3. *no. Reco. tit.* 6. *lib.* 6.

5. Valet donatio facta filio, aut alijs descendentibus legitimis, etiam viuentibus istorum parentibus, *vt dicitur l.*5 *.no. Reco l.*1 *tit.* 6. in tertio & quinto bonorum, & non plus;aliàs excessus restiauatur. *Ita l.*26.*Tauri.* Et vt iste excessus sciatur, attende valorem hæreditatis tempore obitus patris. *Ita lib.*5. *no. Reco. l* 6 *& l.*3. *ti.* 8. Nisi donatio fiat causa nuptiarum. Quia tunc datur optio, cui data est dos, taxandi illum, aut iuxta tempus obitus patris, aut iuxta tempus quo fuit dos data, seu promissa *Ita l.* 18. *&* 26. *Tauri. Et nota,* 1.quòd melioratio ista potest fieri inter ipsos descendentes cum hoc grauamine,quod si melioratus moriatur sine filijs, alij descendentes succedant in melioratione. *Ita l-* 27. *Taur.* Et à fortiori potest poni quoduis grauamen hæredi non necessario. Non vero potest poni conditio, seu grauamen in legitima filij *Ita l.* 9. *tit.* 5. *lib.* 3. *fori, & cap. Rainutius de testam.* Nec vnico descendenti in quatuor ex quinque partibus bonorum parentum, cum istas necessariò hæreditet, bene tamen in quinta parte, cum illa extraneo legari possit. Et idem est de tertia parte habentis solos ascendentes: cum ista extraneo legari possit.

19 *Not.* 2. quod dicta melioratio est in vita reuocabilis à meliorante. *Ita l.* 1. *tit.*6. *lib.* 5. *no. Reco.* Nisi in tribus casibus. 1. Quando meliorator per contractum inter viuos posuit filium in possessione. 2. Quando traditur filio coram tabellione instrumentum donationis. 3. Quando donatio, etiam sine scriptura est promissa ex causa onerosa cum tertia persona, vt si ex causa nuptiarum, aut alia simili. Ita l. 6. In his casibus non est reuocabilis melioratio, nisi meliorator reseruaret sibi facultatem reuocandi illam, aut nisi ob aliam causam donationes fiant reuocabiles iuxta leges.

Not.

Not. 3. Quòd melioratio non extrahatur ex dotibus, aut donationibus propter nuptias aliorum filiorum. Nec ex donationibus allatis à filijs, vel descendentibus ad partitionem. Et prius extrahatur quintum, quam tertium. Ita l. 9. Item melioratio soluatur in bonis signatis à meliorante. Et si non signauit bona, non soluatur melioratio in pecunia, nisi hæreditas non possit conuenienter diuidi. Ita l. 4.

Not. 4. Quod si parentes alicui suorum descendentium aliquid donarunt in vita, aut morte, etsi non dicant, quod volunt illum meliorare, ista donatio, si alias non sit facta alia melioratio totius tertij & quinti, computetur in tertio & quinto bonorum. Et si excedit tertium & quintum, computetur excessus in legitima Et si etiam excedit legitimam, excessus iste restituatur alijs hæredibus. *Ita l.* 36. *Tauri*.

Dub. 8. *An donationes inter coniuges valeant?*

1 Concl. Licet dare sponsæ ante matrimonium vulgò dictas, ioias, non excedentes valorem octauæ partis dotis suæ. 20
Ita l. 1. tit. 2. lib. 5. no. Reco. Et si non sit matrimonium culpa mulieris, aut quia sponsus, obijt, sunt ista integrè restituenda. Nisi alias sponsa sit à sponso osculata. Quia tunc sibi retineat dimidiam istorum partem. *Ita l. 3. & 5. tit. 2. lib. 3. fori, & l. 23. tit. 11. par. 4*. Et si matrimonium consummatum morte soluatur, dicta omnia sunt vxoris, aut hæredum eius, si alias non sint sibi datæ arræ. Quia si datæ sunt, ex iois, aut arris eliget alterum istorum, quod maluerit ipsa, aut eius hæres intra quindecim dies, à die quo sint requisiti per maritum, aut eius hæredes. *Ita l. 52. Tauri*.

2. Concl. Donatio remuneratiua valet inter coniuges, vt cum maritus dat vnam rem vxori, & vxor alteram marito. *Ita l. quod autem §. si vir. ff. eodem*. Et sic maritus ob dotem sibi datam ab vxore, & ob eius virginitatem dat vxori arras, quæ alio nomine vocantur donatio propter nuptias. Quæ tamen non excedent decimam partem bonorum mariti. *Ita lege 1. tit. 2. lib. 3. fori*. Nec iste potest cedere huic fauori. 2. Plebeius potest dotare fœminam nobilem. Quia ista nubendo cum plebeio confert ei munus quoddam remunerabile. *Ita Silue. cum Bart. ver. donatio. 2. q. 1. & ver. dos*. Vbi etiam notat istam donationem valere, etiam si fiat matrimonio contracto At si sit ista dotatio inter æquales, aut à viro nobili dotante plebeiam, vt sit firma, fiet ante contractum matrimonium. *iuxta lib. 3. titul. 12. libr. 3.*

fori, *& Hugo verb. donatio*, *num.* 3.

3. Concl. Donatio pura, & simplex facta inter coniuges contracto matrimonio, aut ante illud, sed pro tempore matrimonij, non valet Ne coniuges mutuo amore ad inuicem donationibus spolientur. Ita *Ludou. Lop. tom.* 1. *capi* 172. *Siluest. Nauar. c.* 17. *num.* 149 *& Manu. Rodr. in sum.* 1. *par. c.* 92. Et intelligitur per se loquendo. Nam in sequentibus casibus valet. Primò. Si Rex donet aliquid Reginæ, aut è contra. Ita *lege penult. C. eodem.* 2. Si datur pecunia pro adustis domibus reparandis. Ita *l. quod si vir, ff. de donat.* 3. Si donator per talem donationem non fit pauperior, etsi donatarius ditior fiat, aut è contra. Ita *cap. donatio, de donat. inter virum, & vxorem, & l. etsi constante, ff. eodem*, *& l. quod autem*. Nisi donator reuocet donationem, iuxta *l.* 4. 5. 6. *tit.* 11. *par.* 4. *& l.* 19. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori*. 4. Si donatio fit causa mortis, vt donatarius post mortem donantis donatum habeat. Ita *l. sed interim, ff. eodem*. Dum tamen donans non se priuet facultate reuocandi donationem, iuxta *gloss. ibi*. Si vxor donet aliquid marito ad dignitatem, aut honorem aliquem acquirendum. Ita *l. quod adipiscenda, ff. eodem*. 6. Si durante matrimonio maritus remittit vxori dotem promissam, aut partem eius. Ita *Bald. in l. etsi constante, C. de donat. ante nupt.* Remissio verò alterius debiti non valet. Ita *l. si sponsus, ff. eodem*. 7. Si maritus deputet vxori pro victu suo, & suorum certum quid pro æstimatione fructuum dotis, & non plus. Ita *glossa in l. ex annuo, ff. de donat. & Silu. loco citato* refert dictos casus, & eorum iura.

21 Tandem *Not.* Esse aliquos priuatos per leges facultate donandi. Primò, Reus læsæ maiestatis, *in l. final. ad legem Iuliam*. 2. Qui contraxit veras nuptias. 3. Qui commisit crimen capitale non potest donare post condemnationem. Ita *l.* 2. *tit.* 4. *par.* 5. 4. Qui in aliqua re cadit in commissum. Etsi vt ait *Nauar.* pœna commissi non incurritur ante condemnationem. 5. Hæreticus post sententiam declaratoriam, & non ante, priuatur omnibus bonis, quæ possidet à die patrati sceleris vbicumque inueniantur. Ita *in direct. Inquis. lib.* 3. *tit.* 9. Et sic post istam sententiam nil potest donare. Ita *cap. cùm secundùm leges, de hereticis in* 6. Vnde si probabiliter creditur, quod crimen manifestabitur, non potest suis bonis contractus celebrare: cùm tradat rem vitiosam, nec seruet indemnem secum contrahentem. Sed potest tunc donare, & pro necessarijs sua consumere. Ita *Victor. de relect. de indiff.* Et

addit

addit *Nauar. cap.* 17. *num.* 106. *Angel. & Silu. verb. donatio.* 1. Quod donatum à committente crimen inducens ipso facto priuationem bonorum, iustè retinetur à donatario ante sententiam declaratoriam.

Not. 2. Esse aliquas donationes vetitas. Et 1. Donatio pro omni illicito, quod à lege punitur, vt pro adulterio, &c. Et sic intelligitur *lex affectionis, de donat.* 2. Miles non potest aliquid donare concubinæ, aut meretrici. Ita *l.* 2. *C. de donat. inter virum, & uxorem* Cui iunge clericum, Doctorem, & aduocatum, qui dicuntur milites, per notata *in l. miles, ff. de sententia, & re iud.* At dictæ leges non obligant in conscientia, etsi concedatur ibi repetitio donati. 3. Aduocatis, & ministris iustitiæ est vetita munerum receptio, vt dicetur suo loco. 4. Qui ex aliqua donatione fit impotens ad soluendà debita non potest donare, manumittere mancipia, remittere debita, aut celebrare contractus, quibus fit impotens ad debita soluendum, vt dicetur de vsurario. Et potest donatio, aut alienatio per creditorem reuocari intra annum à notitia talis alienationis. Ita *l.* 7. *tit.* 15. *p.* 5. 22

ARTICVLVS IV. DE LEGIBVS PARTITIONVM.

SVMMARIVM.

Quæ bona sint communia inter coniuges, & quæ propria alicui coniugum, num. 1.

Soluto matrimonio, ex cumulo bonorum vxor primo extrahit sibi dotem, & arras ante alia debita, num. 2.

Quibusdam tamen casibus id non licet, num. 3.

Quando vxor amittat dotem, & arras, num. 4.

Quomodo solutis debitis bona, quæ supersunt sunt diuidenda inter coniuges, num. 5.

Vxor pauper diuitis mariti, hæreditat quartam partem bonorum mariti, & è contra, num. 6.

An vxor possit occultare aliqua bona, dum sequestrantur bona mariti viuentis, num. 7.

Quæ bona sint adducenda à filijs ad partitionem mortuis parentibus, num. 8.

DVB. 9. *Quomodo diuidantur bona soluto matrimonio.* 1

Not. 1. Quòd inter ista bona, alia sunt à viro allata,

alia ab vxore, ex dictis bonis lucrata, quæ vocantur (bienes gananciales, ò meioras.)

Not. 2. Bona castrensia viri aliàs non lucrata expensis amborum coniugum non esse communia, sed peculiaria viri. Secus sit de reditibus istorum bonorum habitis durante matrimonio. Ita *l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 3. *ordinam.* & *lib.* 5. *nou. Recom. l.* 5. *tit.* 9. Item fructus in fundo apparentes soluto matrimonio sunt communes, & si tunc non pullularunt, ructus futuri erunt coniugis, cuius est fundus, demptis expensis. Ita *l.* 3. *fori*, *l* 9. *tit.* 4. Et procedit hoc in fructibus hortorum, vinearum, & arborum. Nam si fructus colligantur ex agricultura, & agri seminatione, etsi non pullularint, erunt communes sicut & expensæ. At fructus arborum, & vinearum plantatarum durante matrimonio sunt communes, sed vinea, & arbores erunt coniugis, cuius est terra. Ita *l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 3. *fori*.

Not. 3. Quod grex pecorum, mancipia, aut alia allata ab vxore in dotem, si traduntur marito appretiata, censentur transire in dominium per quandam veluti tacitam venditionem. Et sic subibit illorum periculum, & tenebitur ex fructibus reficere numerum animalium sibi traditorum, vt verus vsufructuarius. Ita *l.* 21. *tit. p.* 1. & de reliquis sustentabit onera matrimonij. Et quæ supersunt erunt communia. Si verò ista tradantur viro inappretiata, vxor reportabit illorum periculum, & fructus cedent marito pro oneribus matrimonij, sed cum obligatione reficiendi numerum animalium sibi traditorum. Ita *loco cit. Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.* 176. & *Hugo verb. dote, num.* 16. 17. & 18.

2 1. Conclusio. Ex cumulo bonorum primò extrahatur dos, & arræ, aut joiæ, iuxta dicta *dub.* 8. Et sermo est, de dote appretiata, iuxta *l.* 16. *tit.* 1. *par.* 4. & de inappretiata, vt habetur *lege* 19. & 13. *tit.* 1. *par.* 5. Quia dos, & arræ, aut joiæ præferuntur alijs debitis, etiam antiquioribus non habentibus hypothecas expressas super bona viri anteriora ad dotem.

3 Nisi in quatuor casibus. 1. Quando vxor obligauit se, & sua ad debita mariti, vt ait *Nauar. in addit. ad cap.* 17. *num.* 134. & 135.

2. Quando viuente marito bona dotalia sunt restituta vxori, vt ex eis faciat sibi placitum, & illa consumpsit pro oneribus matrimonij. Tunc censetur illa mutuasse marito. Et sic priùs soluet debita antiquiora, sed non posteriora. 3. Si vir suasu vxoris in præiudicium creditorum bona sua dissipauit,

sipauit, tunc vxor ex dote foluet creditoribus. 4. Si vxor bona à viro accepta, vt folueret creditoribus confumpfit pro oneribus matrimonij, etiam maximè neceffarijs: tunc fi non fint alia bona mariti, de fuis foluet vxor creditoribus, cùm fit caufa, ficut & in 3. cafu, quòd debita non foluantur creditoribus.

Not. 1. Quod fi fint plures dotes plurium vxorum, prios dos priùs foluetur. Nifi extent bona allata ab alia vxore: qui ifta in iftis eft præferenda. Ita *Hugo verb. obligatio, num.* 13.

Not. 2. Quod nec vir etiam cum vxore, nec vxor mortuo viro, dum habet filium, poteft arras alienare: cum filius fuccedat ei in arris. Ita *l 7. tit part.* 4. *& l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori.*

Not. 3. Quod fi vxor ob adulterium: imò fi ob fornicandum receffit à domo viri, & fi de facto ob impedimentum non fornicetur, nec poftea fit eidem reconciliata, amittit dotem, & arars. Ita *cap. plerumque, de donat. inter virum, & vxorem, & lib.* 15. *tit.* 17. *par.* 7. *& l. fin. tit.* 2. *lib.* 3. *fori.* Vidua etiam fornicando amittit arras. Ita *l.* 9. *tit.* 12. *lib.* 3. *fori.* Sed prædicta n on reddantur ante condemnationem. 4

2. Conclufio. Poft dotem, & arras foluantur debita contracta durante matrimonio ex bonis communibus, aut ex bonis mariti, fi non fufficiunt bona communia. Ita *l.* 14. *tit.* 20. *lib.* 3. *fori*. At debita contracta ante matrimonium foluentur à coniuge debitore.

3. Conclufio. Solutis dote, arris, & debitis, excipietur vxori lectus quotidianus ex bonis communibus, aut ex bonis mariti, fi non fufficiunt bona communia. Et fi vxor iterum nubit, reftituet lectum pro medietate, fi fit deductus ex bonis communibus, aut totum lectum, fi fit deductus ex bonis mariti. Ita *l* 6. *lib.* 3. *fori*. Et fi vxor attulit lectum, non deducatur ifte pro lecto communi. Ita *ibi*. Et idem eft de marito fuperftite, cum correlatiuorum eadem fit ratio, dicunt Iuriftæ. Veftes etiam pullatæ coniugis fuperftitis deducantur ex bonis communibus. Ita communiter Iuriftæ *in l.* 3. *Tauri*.

4. Conclufio. Deductis prædictis, & alijs bonis à marito allatis, bona quæ fuperfunt, funt communia æqualiter diuidenda inter coniuges, aut eorum hæredes, etfi vnus eorum plura bona attulerit. Ita *l.* 3. *lib.* 3. *fori*. Et nota, quod fi coniux fuperftes iterum nubat, poteft de iftis bonis communibus, ac de alijs fuis difponere, iuxta *l.* 14. *Tauri*. 5

Nec

6 Nec tenetur ea seruare filijs prioris matrimonij. Sed cùm hoc stat, quod quoties vidua nubendo tenetur seruare filijs prioris coniugij bonorum proprietatem habitam à priori marito, aut ex successione filiorum prioris coniugij, similiter tenetur viduus iterum vxorem ducens. Ita *l. 15 Tauri, & glossa communiter approbata in l. fœminæ, §. illud, C. de secundis nuptijs*. Et sic vt explicat *Cifuentes cum alijs, in l. 15. Tauri*, quod legatur coniugi, aut acquirit ab altero coniuge, & non titulo verè remuneratiuo alicuius rei, si iterum nubat post obitum istius restituetur filijs prioris coniugij, etiam si illud sit sibi relictum absolutè, & in perpetuum. Eo quod iste iterum nubendo mortuo coniugi iniuriam facit, ratione cuius fit peioris conditionis altero extraneo, cui dictum legatum ex quinto bonorum absolutè relinquitur. Et intelligitur, nisi aliàs de licentia saltem tacita mortui coniugis, aut filiorum eius matrimonium contrahat, aut postea alijs matrimonium celebratum ratificetur Et idem est de hæreditato per coniugem superstitem ab aliquo filio prioris coniugij intestato de bonis saltem obuenientibus isti à parente mortuo. Secus sit de bonis filij ex eius testamento, aut donatione suo parenti viuo obuenientibus.

7 5. Conclusio. Vxor pauper mariti diuitis, hæreditat quartam partem bonorum mariti, si aliter pro sua qualitate viuere nequit, etiam si extent filij mariti. Ita *l. 7. tit 13. par. 6.* Et idem colligunt Iuristæ de marito paupere respectu vxoris diuitis, cum correlatiuorum eadem sit in omnibus ratio. Et arbitrio iudicis relinquitur declarare quis in hac parte dicatur pauper. Non tamen potest vxor pro obsequijs viro præstitis aliquid accipere, quia ratione matrimonij ad ista tenetur. Imò nec potest aliquid accipere pro arris, quando sine testibus, & scriptura sunt promissæ. Quia talis arrarum sponsio gratiosa reputatur, sicut fit sæpè in nuptijs. Ita *Ludou. Lop. tom. 1. cap. 16. Nauar. cap. 17. num. 11.* Imò si vxor attulit præter dotem aliam supellectilem vt sindones, &c. quæ non sunt computata in dotem, vtpotè nec appretiata, nec inuentoriata, si sunt consumpta in communi vsu coniugum, non sunt vxori reddenda. Quia cùm non intrent partem dotis, non debet maritus ea seruare integra. Ita *Siluest. verb. dos, quæst. 2. & 3.* Ex dictis patet vxorem etiam sub excommunicatione demandatam, non teneri manifestare accepta ex bonis mariti pro compensanda dote, aut alijs sibi debitis,

tis, iuxta dicta. Ita *Nauar. num.* 135 Item si mariti viuentis bona sequestrentur, potest etiam vltra dicta occultare medietatem bonorum communium, sibi debitam, *iuxta debita*, si timet, quod vix, aut magnis expensis eam recuperabit. Dicitur enim *lib.* 5. *nou. Recopil. titul.* 10. *l.* 10. neutrum coniugum ob alterius delictum partem suam ex bonis multiplicatis sibi contingentem, etiam in casu hæresis, aut alterius criminis amittere, nec insontem, & culpæ inexpertem mulcta suæ medietatis dictorum bonorum mulctari. Ita etiam *ca. decreuit, de hæreticis in* 6. Nisi fortè, vt ibi dicitur, mulier nupsit viro, quem tunc hæreticum censebat. Imò si viuente marito eius bona sequestrentur, potest occultare de bonis mobilibus necessaria ad vsus quotidianos, vt mensam, lectum, vestes, & alia, supellectilem, & necessaria ad victum. Ita *Hugo verb. sequestratum, & verb. executio, num.* 36. *& Ludou. Lop. tom. . cap.* 162. In dictis enim, & equis, aut alijs animalibus, & instrumentis pro labore necessarijs vetatur fieri sequestrum, aut executio, *l.* 4. *&* 5. *tit.* 13. *p.* 5. *& l.* 7. 8. *&* 9. *tit.* 12. *lib.* 5. *ord. & l.* 5. *tit.* 19 *lib.* 3. *fori*. Et quoties ista licitè occultantur, scientes, & iuuantes non teneantur id reuelare, etiam sub excommunicatione, & iuramento quæsiti. Quia illa excommunicatio solùm procedit contra celantes aliqua bona illicitè: Et ista debet esse intentio excommunicantis, & ad hoc solum habet ius.

Dub. 10. *Quæ bona sint adducenda à filijs ad partitionem mortuis parentibus?* 8

1. Concl. Arma, libri, &c. data filio militi, Doctori, aduocato, aut maioribus ordinibus initiato, cùm sint facta quasi castrensia, non afferentur ad partitionem, nec possunt à patre reuocari. Nisi aliàs sint penes patrem seruata, nec filio tradita, quia cùm filius tunc non acceperit possessionem, non censetur in illis melioratus. Ita *l.* 1. *C. de castren. peculio, & Nau. c.* 17. *num.* 156 Aut nisi talis donatio sit aliàs inofficiosa; vtpotè excedens tertium, & quintum bonorum, in quibus parentes possunt quos velint filios meliorare, quia tunc excessus in his restituetur, aut in legitima filij computabitur.

2. Conclusio. Bona consumpta cum filio à patre in studio, non adducentur ad partitionem, etsi filius non doctoretur. Ita *l. pater familia hæreticis*. Et *Hugo verb. diuisio, num.* 7. adducit multas leges Castellæ ad hoc. Nisi pater haberet apud se bona castrensia, quasi castrensia, aut aduentitia filij. Quia

cense-

censetur tunc patrem ex his velle alere filium. Ita *l. fin. C. de dotis promiss.* Aut nisi filius accepta pro libris consumpsit cum meretricibus, tunc computentur in legitima filij. Ita *Armi. verb. peculium*.

3. Conclusio. Sumptus excessiui facti à patre cùm vno filiorum in luxu, & vestibus, non adducentur ad partitionem: nisi solæ vestes pretiosæ, quæ supersunt. Ita Nauarr. *in addit. ad cap 17. num.* 158. & 180. Imò vt ait *Ludou. Lop. tom. 1. cap.* 171. nec ista adducentur ad partitionem, nisi istorum donatio sit à patre reuocata, aut nisi excedat quintum, & tertium bonorum. At si pater dabat filio pecunias, quas filius pro libito in his luxibus insumebat, tenetur eas in sua legitima computare. Ita *lib.* 5. *nouis Recopil. tit.* 8. *lib.* 3. Nisi aliàs constet patrem voluisse illas donare titulo meliorationis in tertio, & quinto bonorum, & non plus.

4. Conclusio. Bona soluta à patre lege coacto pro damno, aut debitis à filio, non pro necessarijs, sed pro luxibus, computentur in legitima filij. Ita *l. si filius familias, C. ad Senatumconsultum Macedon.* Secus si pater ista soluit pietate motus, & sponte, vt filium à morte, vel carcere eriperet. Quia tunc si donatio non sit magna, & aliàs non constet de voluntate patris, videbitur illud dare titulo meliorationis. Ita *Armil. verb. peculium*, Nauar. *num.* 164. & *communiter*.

5. Conclusio. Sumptus facti à patre pro colligendis fructibus ex bonis filij aduentitijs non computentur in istius legitima. Cùm isti fructus sint patris, & iuxta regulam iuris, qui sentit commodum debet etiam sentire & damnum. Imò tenetur pater reparare damnum illatum in his bonis. At sumptus facti à patre pro augendo ista bona, computentur in legitima filij, si pater illos fecit animo repetendi. Et si dubitetur de isto animo, & sumptus sint magni, credatur illos fecisse animo repetendi. Secus si sint parui. Et idem de sumptibus nuptiarum, qui cùm sint magni, si dubitetur de animo patris, credatur illos fecisse animo repetendi. Ita *l* 3. §. *fin. de muner. & honor. & l. ex parte,* § *filius ff. familia ercifcund.*

6. Conclusio. Vestes, ornamenta, &c. accepta tempore nuptiarum computentur in legitima filij. Nisi oppositum constet de voluntate patris. Ita Nauar. *in addition. ad cap.* 17. *num.* 166. Non enim præsumitur donatio istorum, sed

sed concessio vsus illorum. Ita *l. ad vestimentorum, ff. de peculio, & l. mortis, ff. de dona. inter virum, & vxorem*. Sed non computentur in legitima alimenta necessaria ad victum quotidianum: nec dicta ornamenta precio quo empta sunt, sed quo æstimantur tempore partitionis. Imò nec ista computentur in legitima filii, quando opes, & dignitas parentum sunt ita magnæ, quòd illorum donatio præsumatur. Ita *l. filius, ff. de donationibus & Silu. verum peculium 2.*

7. Conclus. Si filii coniugati volunt hæreditare parentes, adducent ad partitionem omnia recepta à parentibus, exceptis bonis castrensibus, & quasi castrensibus cum fructibus, etiam apud patrem existentibus, & exceptis suis bonis aduentitiis. *Ita l. 14. tit. 4. l. 3. fori.* Nisi *vt dicitur, l. 3. tit. 15. par. 6* parentes aliter ordinassent, si alias potuerunt in istis bonis alias non excedentibus tertium & quintum bonorum istos meliorare, vtpotè, si non sit facta alia melioratio, aut scriptura de nullum meliorando, aut aliter. Tunc enim non possunt parentes defendere, quod accepta ab istis filiis, non adducantur ad partitionem, *iuxta l. 18. & 19. Tauri.* At si filius coniugatus separet se ab hæreditando, non adducet ad partitionem recepta, sed excessum suæ legitimæ, aut meliorationis, si potuit iuxta modò dicta meliorari, etsi non sit expresè melioratus. Ita *l. 26. Tauri, & lib. 3 tit. 8. lib. 5. no. Reco.* Et debet istorum valor taxari iuxta dicta dub 7. Et nota 1. Quod bona ad partitionem adducta p ssunt extrahi ab adducente illa pro pretio taxato. Ita *l. 3. tit. 4. par 5. & l. 2. tit. 5. part. 6.* Nota 2. Quod diuisio, & partitio facta inter hæredes, aut alios, etiam sine scriptura, non potest rescindi. Nisi sit minor, qui illud petit, & ostendat se damnificatum. *l. 8. & 13. tit. 4. l. 3. fori.*

8. Conclusio. Si filius in fauorem patris dolo, aut metu reuerentiali renuntiet suæ legitimæ, non valet renuntiatio. Et sic potest de cumulo bonorum suam partem suam sumere. Secus si spontè, & scienter iuret se fore contentum minori portione, *iuxta cap. quamuis, de pactis, in 6* Etsi in foro externo semper præsumitur metum, aut dolum adfuisse; *iuxta Iuristas relatos à Ludou. Lop. tom. 1. c. 173.*

AR-

ARTICVLVS I. DE LEGIBVS IMPEDIENTIBVS translationem dominij, & primò circa spurios.

SVMMARIVM.

Parentes tenentur iure naturæ alere filios spurios, & in morte possunt dare illi quintam partem bonorum, num. 1.
Quid filij illegitimi possunt obtinere ex bonis parentum ex testamento vel ab intestato, num. 2.
An filij clericorum vel religiosorum possint aliquid recipere à parentibus vltra alimenta, num. 3.
Quis possit legitimare spurios, num. 4.
An pater possit relinquere amico sua bona sub confidentia quod illa dabit filio spurio, num 5.

1 DVB. 11. *An leges inhabilitantes spurios ad bona parentum obligent?*

1. Concl. Parentes iure naturæ tenentur alere filios, etiam spurios, vtpotè incestuosos, sacrilegos, adulterinos, & conseruare naturam eis ab ipsis communicatam. Ita *cap cum haberet, de eo qui duxit quàm po.* vbi præcipitur parentibus alere filios etiam ex damnato coitu genitos, pro suo posse. Et idem præcipitur *l. 1. & 5 ti. 19 p 4. & l. 9. & 10 Tauri* permittitur parentibus dare filijs spuriis in vita, & morte titulo alimentorum quintam partem bonorum, imo plus, si quinta non sat est attenta qualitate parentum, & filiorum, & aliàs deficientibus filiis legitimis, & naturalibus. Ita *Anton. Gomez, & Azeuedo in l. 9. Couarr. & Perez ab eo relati Molina libro 2. de primogen. cap. 5 1* Et si quinta pars excedit alimenta spurii, non minuatur nisi solis filiis clericorum, & religiosorum, circa quos seruetur lex 22. Ioannis Regis primi concedentis istis de quinta parte sola alimenta necessaria. Ita *lib. 1. ord. ti. 1 l. 22.*

2. Conclus. Parentes etiam habentes ascendentes, si non habent descendentes legitimos, possunt relinquere totam substantiam filio naturali: Ita *l. 9. & 10. Tauri* Imo mater cum sit certior de prole, ad id tenetur, & ille succedet ei intestatæ. Ita *l. vltim. ti. 13. p. 9.* At si sint alii legitimi, & filius istæ naturalis legitimetur per sequens matrimonium, succedet æqualiter cum aliis in hæreditate. Ita *cap 2. & cap. tanta, qui si ij*

sint

fint legit.& l.cum quis,& l.nuper.de naturalibus liberis,& l.2. tit.15.p.4. Si tamen non legitimatur, sola quinta pars potest ei legari; dum non sint plures, quam quatuor filij legitimi. Quia tunc filius naturalis non capiet totum quintum, ne plus illegitimo, quam legitimis proueniat. Ita *Molin.loc.citat & Azeuedo in lege 9. Tauri, vbi pro se citat Garsian & Matienço*. Et in eodem casu dicunt isti, non potest pater legare extraneo quintam partem bonorum. Sed si pater decedat intestatus sine descendentibus legitimis, filius naturalis succedet in sextam partem bonorum. Et si decedit cum testamento, omisso filio naturali, hæres tenetur istum alimentare. Ita *l.8. & 9.tit.part.6.* Etsi pro alimentis non sat est sexta, aut quinta pars, *vt permittit.in l.9.Tauri*, hæres tenetur illum alimentare pro modo facultatum. Ita *Gregor Lopez in 6. par. citat.* Et ita intelligitur *Roderic. Suarez, in l.1 tit.6.lib.fori,* vbi indistinctè videtur dicere, vltra quintum, aut sextum prædictum filio naturali alimenta deberi.

3 Concl. Spurius genitus ex soluta & vxorato, succedit ab intestato, & per testamentum in omnibus bonis matri non habenti descendentes legitimos, etsi habeat ascendentes legitimos. Ita *l9.Tauri.* Sicut & isti spurio decedēti intestato sine descendentibus succedent parentes pro parte, qua spurij succederent parentibus. Et si spurii non habent ascendentes, succedent eis fratres ex parte matris, etiam illegitimi, si non adsint legitimi. Ita *l.vlt.tit.13.par.6.vide Hugo.ver.haredes,nu. 60.70. & 72.*

4. Concl. Probabile est, solos filios clericorum, & religiosorum inhabilitari per leges ad recipiendum vltra dicta alimenta aliquid à parentibus in vita aut in morte. Ita *Soto 4. de iust.q.5. ar. 1.ad 4.* Sed probabilius est omnes spurios præter naturales, & alios tertiæ conclusionis ad illud esse inhabiles iure communi, & Hispan. Ita *Bannes 2.2 tract.de dominio, disp.5.* Dicitur enim in *Auth.* licet *C.de donat.* Ex damnato coitu nati, vtpotè incestuosi, sacrilegi, adulterini scilicet, vtrimque, aut saltem ex patre matris, omni prorsus beneficio excludantur. *Et l.10.tit.3.p.6.* vetantur parentes aliquam donationem facere spuriis, quales sunt prædicti. *Et l.3.tit.5.p.4.* vetatur ne tales spurii iure hæreditatio succedant parentibus, auis, aut consanguineis descendentibus. Et specialiter id decernitur de filiis clericorũ *l.1.ordina.tit.3.& l.5.ti.3 l.2.* & de filiis religiosorum, & monialium *in l. 9. Tauri.* Istæ autem le- 3

leges non sunt purè pœnales, sed positiuè iustæ, inhabilitantes spurios, *vt ait Bannes, & Couar. in 4. decret. 2. par. cap. 8. con* 1. Et si spurij contra illas leges aliquid acquirant, tenentur illud restituere veris hæredibus. Et in omni sententia tam parentes, quam spurij peccant mort. violando istas leges. Et nota. Quod filii religiosorum, etsi per dictas leges sint inhabiles ad bona parentis non religiosi, sed non ad ea, quæ parens religiosus eis dederit. Quia cum religiosi ex voto paupertatis careant bonis, illa bona, quæ de Prælati licentia possunt consumere in vsus licitos, possunt dare suis spuriis: cum adhuc ista sic concessa non sint bona religiosi, sed religionis, & tenebitur religiosus de istis alere spurium, & de hoc curare saltem pro medietate. Nam ad aliam medietatem tenebitur alter parens.

4 5. Conclusio. Papa in terris Ecclesiæ, *iuxta cap. per venerabilem, qui filij sint legit.* & Rex legitimat spurios, vt succedant in hæreditate parentum dum tamen parentes, nec antè, nec post spurii legitimationem habeant descendētes legitimos. Ita *l. 22. Tauri* Et licet filius naturalis, *iuxta cap. 1. & c. tanta tit. citat* legitimetur per sequens matrimonium, si parentes non habeant impedimentum dirimens matrimonium, secus si habeant, & alias filius iste nascatur ante dispensatione de contrahendo matrimonio, non si nascatur post dispensationem, etsi ante illam sit genitus. Ita *Sarmi. libr. select. cap. 9. num. 9. Couarru. in Epit. decre. 2. p. cap. 8. § 2. num. 30. Silu. ver. de filijs legiti. qu. 7. & Ledesm. in summ cap. vlt de matrim.*

6. Conclusio. Solus Papa legitimat illegitimos ad ordines & dignitates. Ita *cap. per venerabilem, qui fili sint legi* Et ex Papæ commissione alii dispensant, *iuxta dicta à nobi tract. de irregul. & in nostro Epitom. de statu relig. libr. 1. cap. 6. dub. 18.*

5 Dub. 12. *Quid si quando pater reliquit amico sua bona sub confidentia, quòd ea dabit suo filio spurio?*

1. Conclus. si pater absolutè reliquit sua bona amico, sperando quod illa dabit suo spurio, sed sine obligatione de hoc, non peccat, etsi talem spem amico declaret. Et amicus iste potest sibi retinere illa bona. Tenebitur tamen ex iustitia alere spurium cum eius pater ad id ex iustiti a teneretur. Imò ex gratitudine, & aliquando sub peccato mort. tenebitur ei alia beneficia impendere vltra alimenta. Et si iste amicus omnia bona det spurio, iste tutè illa recipit. Quia per

leges, solum inhabilitatur ad bona parentum: at ista non sunt iam bona parentum.

2. Conclus. Si pater dedit bona amico hac conditione, vt reddat ea suo spurio peccabit mort. nec spurius potest illa bona accipere; sed sunt restituenda hæredi ab intestata. Ita Soto.

3. Concl. Si pater sine cnnditione instituit hæredem amicum data fide de reddendo hæreditatem spurio, amicus iste est verus hæres, nec inhabilis per legem ad hæreditatem; sed priuatur hæreditate per legem in pœnam datæ fidei contra legem; & tenetur reddere hæreditatem spurio, non ex fidelitate solum, secundum aliquos probabiliter sic sentientes, sed etiam ex iustitia *secundum Bannes, & alios*. Et patet: quia iste tenetur ad hoc sub peccato mort. vt etiam contrarij fatentur, sed virtus fidelitatis etiam in re grauissima solum obligat snb peccato ven. ergo miscetur ibi obligatio alterius virtutis, vtpotè, iustitiæ ob datam fidem.

CIRCA LVDOS.

SVMMARIVM.

Conditiones requisita ad ludum & quinam possint ludere. n. 1.
An per ludum transferatur dominium rerum lucratarum. num. 2.
Quando ludus sit peccatum mortale, num. 3.

DVB. 13. *An leges vetantes ludos impediant translationem dominij.*

1. Concl. Stando in lege naturæ per omnem ludum transfertur dominium; cum tribus conditionibus. 1. Quod ludentes habeant bona, quæ possint alienare. Et quæ possunt donare, possunt ludere. Et sic religiosus potest ludere, quod de licentia sui Prælati potest consumere in quosuis vsus. Secus si licentia sit limitata ad vsus certos. Et si licentia sit data ad vsus licitos absolutè, adhuc potest aliquid paruum ludere. Nam ludus in parua quantitate, & ob leuamen animi licitus, est. Et idem potest de pecunijs datis sibi ad iter. Vxor etiam, & filius familias possunt aliquid paruum ludere iuxta eorum qualitatem sine expressa licentia mariti. Sicut & scholaris, cui quotannis dantur centum aurei pro

alimentis, potest ludere, sicut & aliter distrahere quinque, & ad hoc præsumitur licentia patris interpretatiua. Et de bonis castrensibus, & quasi castrensibus potest in vita ludere, & distrahere sibi volitum, vt dixi dub. 5. Et nota, quod qui non potest perdere pecuniam in ludo, nec potest lucrari. Nec potest lucrari vltra quantitatem quam potest perdere. Si enim habes decem solùm & exponis ludo viginti, solum potes lucrari decem, & istis acquisitis, potes exponere ludo viginti, & lucrari totidem. In omni enim contractu est seruanda æqualitas. 2. Conditio ludi est, quod fiat sine dolo. Nec censentur dolus communes ludentium cautelæ, v.g. embidar de falso. 3. Conditio, quod ludus fiat sine vi. Et censentur vis importunæ preces, & opprobria quibus notaris de miseria, &c. vt inciteris ad ludum. Et qui sic coactus ludit potest lucrari secundum Doctores, *quos refert, & sequitur Ludou. Lop. tom. 1. cap. 184. contra Victor. & Bannes. 2.2. q. 62. art. 2. dub. 5. Et contra Led. c. 6. de iust. com.* cum scienti, & volenti non fiat iniuria: sed non potest perdere: *vt ait Soto, ex mente D. Thom. de iust. q. 5. art. 2. contra Adria.* Et idem videtur contra Soto, de ludente cum filio familias, aut alio non valente perdere. Iam enim videtur renuntiare iuri suo. Alia conditio solet assignari pro ludo, vt quod seruetur æqualitas inter ludentes, ita vt qui melius ludit, id alteri declaret, & det illi atras. Etsi alter eas nolit, aut si sciens alterius peritiam adhuc vult cum eo ludere, iam renuntiat iuri suo, & sic alter tunc non peccabit contra iustitiam ludendo. Nam scienti, & volenti non fit iniuria. Hæc de ludo stando in iure naturæ.

2. Conclusio. Stando in iure Hispano per ludum alearum si luditur à militibus durante bello, & reportantibus stipendia, non transfertur dominium. Ita *lib. 3. ordinam. tit. 2. l. 1.* Vbi sic dicitur: (Mandamos, que el que gana a las tablas, o dados al soldado dineros, armas, bestias, sea tenido de lo boluer.) Mandamus quod omne lucratum à militibus in lusu chartarum, denarij, arma, bestiæ, sit obnoxium restitutioni. In quibus verbis, vt patet, non speratur sententia iudicis.

2 3. Conclusio. Aliter ludentes ludo vetito, etiam lege Hispaniæ acquirunt dominium rerum sic lucratarum, & solum conceditur perdenti ludo vetito repetitio intra octo dies rei perditæ, *l. 2. tit. 10. lib. 8. ordi. rega.* Et si iste negligit repetere, conceditur cuiuis alteri, aut iudici ex officio ista repeti-

petitio intra duos menses tantum. Ita *in reper. preg. l. 8. tit. 8. leg. 3.* Et multo probabilius est, istam repetitionem esse faciendam coram iudice, vt lucrator restituere teneatur. Et sic qui perdidit, non potest sua authoritate vsurpare sibi pecuniam ludo amissam, *quidquid Adrian probabiliter dicat secundum Ioseph. contra Bannes, Ludou Lop. tom. 1. cap. 183. Soto, Med. in sum. Nauarr.* Nam alter fit dominus rei lucratæ, cum ludus transferat dominium, & leges solum concedant perdenti, vt sibi per dictam repetitionem, & non aliter reddatur res ludo perdita.

4 Concl. Stando in iure communi, qui perdit data fide, tenetur soluere. Ita *probabiliter contrà Soto, & Conat.* cum nulla lex in tali iure irritet talem ludum, & alias fides, & promissio sit seruanda. Sed stando in iure Hispano non tenetur Hispanus soluere pecuniam amissam data fide, etiã ludo licito. Ita *in reper. preg. tit. 8. l. 2. vbi dicitur:* (Damos por ningunas qualesquier obligaciones, promessas, escrituras que acerca de los iuegos se hizieren) idest, annullamus quascumque obligationes, promissiones, scripta circa quoscumque lusus. Et meritò, nam cum animus ludentis ludo incaluit, si ludatur credita pecunia, luditur sine termino, quod non fit præsente pecunia. Et intelliguntur ista secluso iuramento, cum ibi non irritetur. Alias enim ob reuerentiam diuini nominis seruetur, dum non relaxatur. Poterit tamen postea repetere coram iudice pecuniam datam. Et nota, quod si perdens data fide det rem amissam, transfert dominium: cum leges hoc non impediant. Ita *Medi. in sum Nau. in Man. cap. 17. nu. 18. Lud. Lop. to. 1. c. 184. contra Soto, & alios. Et patet ex vsu.*

Hactenus de peccato iniustitiæ commisso in ludo. Nam ex alijs fit ludus peccatum mort. contra alias virtutes, vt si fit cum irreuerentia Dei, blasphemando, peiurando, aut ob ludum omittendo Missam, solutionem debitorum, sustentationem familiæ, exponendo se, vxorem, & filias periculo peccandi mort. Nec isti absoluantur cum sint in malo statu. Item ludus turpium in Ecclesia est peccatum mort. Ita *Silu. verb. ludus* Cedit enim in contemptum Dei, & domus eius, quam decet sanctitudo. At si ibi represententur aliqua vana, & solatiua, nec lasciua, dum absit mala intentio, & pusillorum scandalum, non damnetur: sicut nec ibi choriзare. 3

Tandem, recipiens in domo sua vacantes lusibus morta-

libus,& eis miniſtrans menſam, aleas, & lumina ad diu, & no-ctu ludendum,peccat mort. *Ita Nauarr. n.16. & communiter.* Quia non ſolum conſentit, ſed & iuuat ad peccatum luden-tium. Imò in duobus caſibus reſtituet, non reſtituendo luden-tes. 1. Si ludit,& perdit qui non poteſt perdere,vt pupilli, re-ligioſi, &c.alias ludentes vltra ſibi licitum. 2. Si lucrator vſus eſt dolo, ſciente,& tacente receptore ludentium. Ita *Nau. & Ludou. Lop.c.182.*

CIRCA TESTAMENTA.

SVMMARIVM.

Quæ ſint requiſita vt teſtamentum ſit validum,n.1.
Probabile eſt contractum validum iure naturæ valere in con-ſcientia etſi irritetur iure humano,num.2.
Probabile eſt etiam talem contractum & teſtamentum eſſe irri-tum in conſcientia,n.3.
Probabilius tamen eſt teſtamenta per leges irrita defectu ſolem-nitatis valere in conſcientia ante ſententiam iudicis, n 4.
Quomodo teſtamenta ſoluantur, n.5.
Quinam poſſint teſtari,n.6.
Qui poteſt teſtari, poteſt hoc alteri committere, & ad quid te-neatur talis commiſſarius, n.7.
Morienti inteſtato qui hæredes ſuccedant & quo ordine, n.8.

1 DVB.14. *An contractus irriti per leges ex defectu alicuius ſolemnitatis ſint irrita in conſcientia: cuius modi ſunt te-ſtamenta?*

Et nota, quòd in teſtamento aperto requiruntur tres teſtes, & tabellio: & ſine tabellione quinque teſtes vicini oppidi vbi ſit teſtamentum, & ad minus ſint tres teſtes, ſi ſit ſine tabellio-ne,& quinque haberi non poſſint. Et ſi ſit cum ſeptem teſtibus, etiam non vicinis,& ſine tabellione, valet teſtamentum ſi ha-bet alia requiſita. Et valet etiamſi teſtator non nominet hære-dem, aut ab eo nominatus non acceptet. Et in teſtamento cæci ſint quinq; teſtes,& tabellio. *Prædicta habentur,lib.5.ordinam. tit.4.l.1.& lib.5. non.* Recopi.*tit.*4. *l.*1.*&* 2. Et pro teſtamento clauſo requiruntur ibi, *& l.3 Taur.* ſeptem teſtes, qui ſubſcri-bant ipſi,aut alij pro ipſis, & requiritur ſubſcriptio teſtatoris, aut alterius pro eo,& ſubſcriptio, & ſigillum tabellionis. Re-

qui-

quiritur etiam in testibus certa qualitas, vt quod veniant rogati, nec sint surdi, muti, infames, mulier, seruus, minor 13. annorum, amens, hæres, aut istius consanguinei intra quartum gradum. Ita *l.* 1. 9. *&* 11. *tit.* 1. *par.* 6. Nisi pro causis pijs. Et pro codicillis idem, ac pro testamento aperto requiritur.

1. Concl. Legata pia coram duobus testibus, etiam sine tabellione facta soluantur. Ita *cap. relatum,* 1. *de testam.* At legata non pia testamenti minus solemnis, secundum *Panor. in c. cum esses, de testam. Armil. verb. legatum, Siluest. verb. hæreditas,* 3. soluentur: & si non soluantur clam accipi possunt à legatario. At *Victor. Soto* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 3. dicunt ex tali testamento non oriri obligationem naturalem ad ista soluendum. Et nota 1. quod si legatarius præmoritur leganti, spirat legatum, & fit hæredis. At si moritur postea, etiam antequam hæres adeat hæreditatem, legatum transit ad hæredes legatarij. Ita *l. vnica, C. de caduc. tollend. Armil. Siluest. verb. legatum,* 1. *Hugo verb. legatos, num.* 52. Et si legatarius moritur ante tempus signatum à testatore, vt sibi detur legatum, aut si non signato tali tempore moritur antequam petat legatum, spirat legatum: At si legatum debeatur solui cum hæredi placeat, & hæres moritur, tenetur statim solui. Vide *Hugo num.* 48. *verb. derechos, num.* 11. Nota 1. quod si in aliquo testamento aliquid legatur pro pauperibus, sunt in Hispania excludendi ab isto legato, illi quibus in testamento aliquid in particulari legatur, etiamsi sint pauperes, & consanguinei testatoris. Ita *l.* 3. *tit.* 10. *par.* 6. Quod obligat in vtroque foro. De quo *Enriq. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *in gloss. in fin.*

2. Conclusio. Probabile est, contractum validum iure naturæ valere in conscientia, etsi irritetur in iure humano. Vt si Petrus sit à Paulo institutus hæres per testamentum minus solemne omisso fratre, qui est hæres ab intestato, in foro externo hæreditas dabitur fratri, at in conscientia hæreditas est Petri. Ita *Adrian. Siluest. Innocent. Panormit. Ancharan. Butrio, Bart. Iason. Felin. Alciat. Decius, & alij relati à Bannes tractatu de dominio.* Ex quo patet, quod etsi electio irritat solo iure humano sit etiam irrita in conscientia secundum Bannes, nec electus possit eam acceptare. At secundum dictos Doctores valet in conscientia. Et patet ex dictis, cuius signum est, quod talis electio, cui deficit aliquid ex necessariò requisitis de solo iure humano, cassatur à superiore, ergo ex se valida erat. 2

3 3. Concl. Probabile etiam est contractum irritum iure humano esse irritum in conscientia. Ita *Cano. Bald. Alex. Immol. Couarr. & alij relati à Bannes*. Aliàs illa lex esset mala, & peccaret iudex iudicando iuxta illam: Et sic hæres institutus per testamentum minus solemne tenetur restituere hæreditatem hæredi ab intestato. Si obijcias caput cum esses, de testamen. vbi consultus Papa de consuetudine Episcopatus Hostiensis, vbi nullum testamentum admittebatur sine dictis solemnitatibus: ait Papa, istam consuetudinem esse alienam à diuina lege, & more Ecclesiæ: cum in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum. Et decernit ibi, testamenta facta coram duabus, aut tribus personis idoneis esse valida. Ad hoc dico ex glossa ibi duo. 1. quod Papa illud statuit pro illo Episcopatu, & alijs sibi spiritualiter, & temporaliter subiectis At non potest irritare leges Regnorū sibi non subiectorū temporaliter, aliàs non contrarias fini spirituali, *vt habetur cap. cum ad verum, & cap. quoniam d.* 10. Cuiusmodi sunt leges testamentorum, quibus obuiatur hominum fraudolentijs. Nam etsi esset conformius legi diuinæ dictum duorum, aut trium testium, si homines naturali sinceritate viuerent: hac tamen deficiente, licet augere testes in multis casibus pro vitando multa damna; vt ad condemnandum Episcopum, &c. Dico 2. & melius, Papam illud statuisse pro relictis Ecclesiæ, & pijs causis.

4 4. Conclus. Probabilius videtur, quod etsi leges cohibentes voluntatem domini, ne in alium transferat dominium rei suæ, obligent in conscientia, nec transferatur dominium contra illas, vt patet in legibus pupillorum, primogenitorum, & spuriorum; secus tamen est de legibus prescribentibus solum modum, sub quo fiat translatio dominij ob vitandas lites, vt in legibus testamentorum, & alienationis bonorum Ecclesiæ: vbi non cohibetur voluntas domini, vt transferat dominium rei suæ: etsi pars cui fauet lex, possit vti beneficio legis, & repetere, & si alter per sententiam damnetur, tenetur reddere, sed non ante sententiam. Et sic sunt vsu receptæ istæ leges. *Ita Victor. Soto, Bannes, & communiter Thomistæ*. Ex his patet, quòd licèt qui acquisiuit hæreditatem per testamentum minus solemne, non teneatur hoc declarare hæredi ab intestato: at si iste petit declarationem, non potest alter hoc occultare, nec vti dolo adducendo falsos testes, aliàs restituet. Quia hæres ab inte-

stato

stato iustè petit declarationem, ergo alter iniustè celat, aliàs daretur bellum iustum vtrimque seclusa ignorantia. *Ita Bannes loco cit.*

5. Concl. Prius testamentum soluitur, primò reuocando illud coram testibus, etsi non fiat aliud. 2. si post testamentum nascitur proles testatori. Ita *l. 70. tit. 1. par. 6.* Tertio, si testator rumpit testamentum, aut sigilla testamenti obserati. Ita *lib. 75. tit. 1. p. 6.* Quartò Testamentum vbi instituitur hæres extraneus soluitur per aliud testamentum, etiam non consummatum, vbi instituitur hæres ex succedentibus ab intestato. Ita *lib. 22. tit. 1. par. 6.* Item etsi valet testamentum, aut dispositio, vbi quis etiam coram duobus testibus, & sine tabellione disponit de rebus suis inter suos descendentes, *iuxta l. 7. tit. 1. par. 6.* At si post hæc conficitur aliud testamentum cum solemnitate requisita, prior dispositio soluitur *lege 24. tit. 1. par. 6.* Et nota, quod si testamentum fit coram testibus, & sine scriptura, iudex postea conuocabit testes, & iuxta eorum declarationem conficiet testamentum. Ita *l. 4. tit. 16. p. 3.*

Dub. 15. *De valentibus testari.*

1. Concl. Damnatus ad mortem potest testari de suis bo- 5
nis, exceptis confiscatis, & confiscandis, & cameræ aut alteri applicandis. Ita *l. 5. nou. Recop. l. 3. tit. 4.* Et per istam legem corrigitur lex 15. ti. 1. par. 9. negans istis testari. Item filius aut filia, etiam sub potestate patris, habentes ætatem legitimam, vt si filius habet 14. annos, & filia, 12. possunt testari. Ita *l. 4. tit. 4. l. 5. nou. Recopil.* Et per istam legem corrigitur lex 13. & 16. tit. 1. par. 6. Sed isti tenentur suis ascendentibus relinquere duas tertias partes suorum bonorum, iuxta dicta dub. 5.

2. Concl. Qui potest testari, potest hoc alteri committe- 6
re, sed coram tabellione, & testibus pro testamento requisitis, aliàs non valet commissio. Ita *l. 5. noua Recopila. tit. 4. lege 13.* Et iste commissarius tenetur exequi suam commissionem intra quatuor menses, si est præsens vbi sibi datur commissio, & si est absens, sed intra Regnum, intra sex menses, & si est extra Regnum, intra annum. Quibus terminis transactis spirat commissio, etiam ignorata, Et tunc si in commissione præcipitur sibi facere aliquid determinatè, vt quod instituat Petrum hæredem, &c. talis res pro facta habeatur. Ita *l. 6.* Et in casu quo commissarius non confecit testamentum, hæres succedens ab intestato, alias nec

ascendens, nec descendens defuncti, tenetur applicare quintam partem bonorum pro anima defuncti. Et si hoc intra annum à morte defuncti non implet, cogatur per iudicem ad petitionem cuiusuis de oppido. *Ita loco cit. l.* 10.

3. Concl. Dictus commissarius sine speciali commissione non potest instituere hæredem, nec aliquem hæredum meliorare, nec substituere, nec dare tutorem filijs defuncti. Ita *l.* 5. Nec potest reuocare testamentum semel à se factum, nec facere codicillum, etiam ad pias causas, etsi sibi reseruet posse reuocare, addere, minuere, aut facere codicillum. Ita *l.* 9. Nec potest reuocare, sine speciali commissione testamentum factum à defuncto aut partem eius, *l.* 8.

4. Concl. Dictus commissarius in virtute commissionis sibi datæ absolutè, & in generali potest exonerare conscientiam defuncti soluendo debita, & de residuo distribuet quintum bonorum pro anima: & alia diuidet inter hæredes ab intestato. Quibus si caret, dato vxori defuncti sibi debito secundum leges, disponet de alijs in causas pias, & vtiles defuncto. Ita *l.6.* Et si defunctus nominauit hæredem, commissarius solutis debitis de sola quinta parte disponet pro anima, si defunctus nihil aliud concessit. Ita *l.* 11.

8 Dub. 16. *De successione hæredum.*

1. Concl. Morienti intestato succedunt hæredes hoc ordine. 1. Descendentes. 2. pater, & mater æqualiter. Et vno istorum deficiente succedit alter, & non ascendentes, aut descendentes deficientis. 3. Succedunt aui paterni in bonis à patre habitis, & aui materni in bonis habitis à matre, & lucra istorum bonorum æqualiter inter eos diuidantur. Ita *l.* 10. *tit.* 6. *lib* 3. *fori.* 4. Deficientibus prædictis succedunt fratres, & loco istorum iam defunctorum, eorum filij. Et sunt præferendi fratres amborum parentum, ac istorum filij, fratribus vnius parentis. Et idem de priuignis deficientibus fratribus ac eorum filijs, *de quo Hugo ver. haredero, n.*42.43. 44. Quinto. Deficientibus prædictis succedunt proximiores consanguinei collaterales. 6. Morienti sine consanguineis etiam collateralibus, succedit Rex. *Ita l.* 1. *C. de bonis vacan. & lib.* 5. *noua Recop. tit.* 8. *lib.* 12. Et clerico tunc succedit ecclesia, aut altare cui seruit. *Ita* 1. 2. *q.* 1. *c.* 2. *&* *q.* 5. *& c.* 1. *de succe. ab intest.* Et lib. 1. nou. Re. tit. 9. l. 2. & 3. habetur, quod Ordines Trinitatis, & Mercenarij non reportent legata incerta, nec quintam partem morientium ab intestato.

2. Concl.

2. Concl. Hæres fideicommissarius, vt post certum tempus restituat hæreditatem alteri per leges non impedito, potest quando ipse, aut eius hæres hæreditatem restituet, sibi retinere quartam partem, quæ dicitur Trebellianica. Ita *l. vltima tit. 5. p. 6. & l. 8. tit. 11. p. 6. Vide Hugo ver. fidricommissio.* Et computentur in istam quartam partem fructus percepti. Nisi iste hæres fideicommissarius sit hæres ex descendentibus legitimis. Quia tunc præsumitur testatorem vltra dictam quartam voluisse illos fructus illi applicare. Ita *l. 8. tit. 2. p. 6. de quo Hugo ver. fructus, n. 14. & Lud. Lop. tom. 1. c. 140.*

3. Concl. Hæres voluntarius hæreditat saltem quartam partem bonorum testatoris, quæ dicitur Falcidia. Sed hæc deducetur ex bonis remanentibus, solutis debitis, expẽsis funeris, testam. codicilli, & inuẽtarij, & solutis legatis Ecclesiæ hospitali, loco religioso, pauperibus, redemptioni captiuorum, aut altero legato pio: ex istis non deducitur falcidia, sed integrè soluantur ab hęrede voluntario. Nec etiam deducitur falcidia ex legato alicui sub conditione, quod non alienetur, sed quod veniat suis hæredibus, nec ex legato pro dote mulieris, nec ex legato ex quo testator specialiter præcepit, vt non deducatur. Item non deducatur falcidia ex vllis bonis, si hæres iste non fecit inuentarium tempore debito. Et ista falcidia deducitur iuxta valorem bonorum testatoris tempore obitus eius. Namelioratio, & fructus, sicut & deterioratio est hæredis, & non legatarij. Et prædictorum leges refert Hugo *ver. falcidia num. 3.*

4. Concl. Legatarij non possunt legata petere intra tempus datum hæredi pro faciendo inuentario. Ad quod tenetur hæres intra 30. dies, & perficere intra tres menses: Et si bona sint dispersa, potest addi vnus annus. Et debet fieri inuentarium per tabellionem coram testibus, vocatis creditoribus, & legatarijs oppidi, vbi sit, commorantibus. Et facto inuentario prius soluantur debita: deinde legata, deducta falcidia, iuxta dicta, *de quo Hugo ver. inuentario.*

5 Conclus. Legatario detur legatum alias purum, & simplex cum fructibus perceptis, à tempore quo sibi debetur legatum, vtpotè à die quo hæres per se, aut per alterum adiuit hæreditatem verbo, aut facto. Ita *lib. si ita relictum, § Pegasius ff. e legatis, & l. 37. tit. 9. part. 6. de quo Lud. Lop. ti. 1. cap. 240.* Quia si ex tunc legatum est debitum, ergo & fructus, si fructiferum sit cum res domino fructificet. Et nota,

ta, quod hæres, & legatarius debent suo nomine, & cognomine nominari, aut ita signari, vt clarè noscantur: alias succedet hæres ab intestato. *Ita l. 10. & 11. tit. 3. par. 6.*

6. Concl. Hæredi potest à iudice concedi vnus annus pro acceptando hæreditatem, intra quem non potest aliquid hæreditatis alienare, vel vendere, nisi pro sepultura defuncti, aut alijs necessarijs hæreditati. *Ita l. 3. tit. 6. par. 6.* Et si vendat, impignoret, colligat fructus, aut similia faciat, censetur acceptare hæreditatem. *Ita lib. 11. 12. tit. 6. par. Vide Hugo. ver. deliberar. & ver. haredero, num. 41. & 45.*

7. Concl. Episcopus coget fideicommissarios, seu executores testamentorum, etiam si sint religiosi, vt defunctorum pias exequantur voluntates, licet testator hoc interdixerit. *Ita c. tua nobis, de testam.*

ARTICVLVS VI. DE LEGIBVS PRÆSCRIPTIONVM, ET VSVCAPIONVM.

SVMMARIVM.

Quomodo differant præscriptio & vsucapio, num. 1.
Leges præscriptionum obligant in conscientia, num. 2.
Cum mala fide non currit præscripti, num. 3.
Dubium probabile habitum in principio possessionis tollit inchoationem præscriptionis, num. 4.
Inchoata vero præscriptione tale dubium nihil efficit, n. 5.

1 DVB. 17. An leges istæ conferant ius in conscientia. Et nota, quod præscriptio, vsucapio differunt. 1. Quod illa est circa immobilia, ista circa mobilia. 2. Vsucapio fit inrer præsentes per triennium, & inter absentes per quatriennium. At præscriptio inter præsentes in eadem Prouincia fit per decennium, & inter absentes per 20. annos. Et ista est præscriptio longi temporis. Nam præscriptio longissimi temporis fit inter præsentes per triginta annos, & inter absentes per quadraginta. Et ista est necessaria pro rebus Ecclesiastici, *in cap. illud, de præscriptionibus*. Imò contra Ecclesiam Romanam, *in cap. ad audientiam, de prascrip. &c. si qui, de prescrip. in 6.* & contra bona religiosorum non præscribitur, nisi per centum annos. *Soto, 4. de iust. q. 5. art.*

5. *art.* 4. *Et vide in nostro Epit. de stat. relig. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 2.

1. Concl. Leges dictæ sunt iustæ, & conferunt ius in conscientia. *Ita communiter Theologi, & Iuristæ*. Quia quando expedit bono communi, lex potest transferre dominium ex vno in alterum, sicut & impedire talem translationem: sed expedit maximè bono communi, quod istæ leges conferant ius: tum ne rerum dominia tanto tempore maneât incerta, aliàs qui eas possiderent, non curarent de eis, timentes, ne aliquando à veris dominis repetantur: tum quia hac via obuiatur multis litibus. Ergo, &c. 2

2. Concl. Qui possidet rem mala fide, tempore requisito pro præscriptione, aut vsucapione, non acquirit eius dominium. Patet ex reg. 2. iuris, vbi dicitur. Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. Et aliàs daretur furibus occasio furandi. 3

3. Concl. Si res possidetur dubia fide, & dubium sit leue, non tollitur præscriptio. Sicut cum eodem leui dubio, an Maria sit vxor mea, teneor ei reddere debitum, & possum petere. At si dubium sit probabile, & habitum à principio, tollit inchoationem præscriptionis ante factam sufficientem diligentiam, vt est communis sententia. Ad inchoandum enim præscriptionem requiritur bona fides, tam in iure canonico, *vt patet cap. vigilanti, & cap. vltim. de præscrip.* quàm in iure ciuili, *vt patet l.* 1. *C. de vsu cap.* At si facta sufficienti diligentia, adhuc manet in dubio rationabili, incipit præscribere, & continuat præscriptionem. Sicut idem dicitur de dubio rationabili, an Maria sit mea vxor *De quo, q.* 3. *de matrimonio, dub.* 1. *dicemus*. 4

4. Concl. Dictum dubium probabile veniens incepta præscriptione *secundum Soto,* 4. *de iusti quæst* 5 *ar.* 4. *& Adrianum in* 4. *in materia de resti.* interrumpit illam, si aliàs possessor non adhibet sufficientem diligentiam ad inquirendum dominum rei. Quia iam iste videtur habere malam fidem: cum non habeat conscientiam, quod illa res sit sua, & negligat examinare cuius sit. In quo certum est, peccare mort. cum exponat se periculo retinendi alienum inuito domino rationabiliter: sed peccatum mort. nulli debet fauere, ergo. 5

5. Concl. Probabilius est, dubium hoc etiam non adhibita illa diligentia, non interrumpere præscriptionem inceptam. *Ita Couarr. in reg. possessor, par* 2. §. 3. *Bannes hic & alij, quos refert, & sequitur Siluest. verb. præscriptio,* 2. §. 3. *& est communis Iuristis*. Quia in iure ad inchoandum præ-

præscriptionem requiritur bona fides, & ad continuandum illam solùm requiritur, quod possessor non habeat malam fidem: sed qui dubitat probabiliter, an res sit sua, non habet malam fidem, cum dubium probabile sit medium inter bonam, & malam fidem, ergo. Et sic patet ad argumenta opposita.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE FVRTO.

D. Thomas 1. 2. quæst. 66.

SVMMARIVM.

Quid sit furtum, num. 1.
An liceat occultè accipere rem suam ab alio iniustè detentam, num. 2.
Ad quem pertineat res inuenta cuius ignoratur dominus, num. 3.
Ad quem pertineat thesaurus inuentus, num. 4.
Furtum in materia graui est peccat. mort. & quæ sit materia grauis, num. 5.
An qui à multis accipit paruam quantitatem peccet mortaliter, num. 6.
An liceat furari ob necessitatem, num. 7.

1 DVB. 1. *Quid sit furtum?*
1. Concl. Furtum est ablatio occulta rei alienæ inuito domino rationabiliter. *Ita communiter cum D. Tho. art.* 3. Et idem est de iniusta detentione alieni, quæ in conscientia reputantur furtum. *Ita D. Tho. ad* 2. Ex quo patet, quòd probabilis præsumptio, quod dominus rei æquo animo feret acceptionem eius, excusat à furto. Et non sat est dubium de tali animo.

2 2. Concl. D. Thom. art. 5. ad 1. Non est furtum accipere alienum authoritate Dei, aut iudicis, sicut Israelitæ ex mandato Dei omnium domini spoliauerunt Ægyptios, Exod. 12. Item. Qui occultè accipit rem suam ab alio iniustè detentam, etsi peccet contra iustititiam legalem vsurpando officium iudicis, ait D. Tho. ad 3. sed nihil restituer, cum non acceperit alienum. Sat erit dicere ei, quod illam

iam

iam acceperit, ne sit sollicitus in restituendo eam, si id possit facere sine suo graui damno. Imò si sim certus, me non posse via iuridica recuperare rem meam ex defectu probationis, aut ob malitiam iudicis, aut quia amittam creditoris gratiam, aut aliter, possum clam illam accipere. Ita *Caiet. Bannes, & communiter*, 1.2. *q.66. art.*5. Nec hoc scientes tenentur illud reuelare, etiam sub excommunicatione interrogati. Et ista certa sunt, dum tamen accipiens certò sciat, rem acceptam sibi deberi. Nam in dubio melior est conditio possidentis. Vnde famuli nihil possunt clam accipere à dominis vltra salarium taxatum, allegantes non sibi satis solui pro seruitio, nisi certè constet, salarium esse minus iusto, vt ait *Nauar. cap.*17. *num.*108. Vbi addit, quòd assumens illum, qui suas operas locare consueuit nullo taxato pretio, tenetur ei, quod alteri simili dare, si conduceretur. Et ad idem tenetur, qui alium occupat in alio seruitio post impletum ministerium, ad quod est conductus.

3. Concl. *D. Thom. art.*3. *ad* 2. Non est fur, qui accipit sibi inuenta, quæ non fuere alicuius, vt sunt lapilli, gemmæ in littore maris repertæ. Talia enim primò occupanti iure naturæ conceduntur. Nec est fur, qui animo restituendi accipit quod de proximo fuit alicuius, sicut nec qui sibi accipit alienum habitum pro derelicto. Ita *D. Thom. ibi.*

4. Conclusio. *D. Thom. loco cit.* Inuentum cuius dominus diligenter inquisitus non comparet, iure naturæ fit inuentoris. Ita *Orella, Bannes, & communiter Thomist. Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.*151. *Sarmient. lib.*9. *selectar. cap.*10. & alij contra *Nauar. cap.*17 *num.*170. *& Couar. in regul pecca um* 3. *par.* §.1. *num.*5. asserentes esse erogandum pauperibus. Et *Couar.* allegat pro se *D. Thom.* 2.2. *q.*62. *art.* 5. *ad* 3. Sed D. Thom. ibi agit de iniustè acquisitis, quorum dominus diligenter inquisitus ignoratur, vt patet ex contextu, de quo *Bannes dub.*7. *ibi.* De inuentis enim agit D. Thom. hic, & censet esse inuentoris. Nec etiam sunt reddenda pro redemptione captiuorum, vt ait *Bannes, Soto,* 5. *de iustitia, quæst* 3. *art.*3. *& communiter contra alios.* Nam vt ait *Enriq. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.*36. solùm sunt applicata per legem Regni redemptioni captiuorum bona dicta (Mostrencos, de la res) vt sunt iumenta, pecudes, & similia animalia. Et nouissimè in prag. Matriti edita 10. die Februar. anno 1623. applicantur ista pro nuptijs mulierum pauperum, & orphanarum. Etsi enim ista, sicut & alia,

alia, eorum domino diligenter inquisito, & non inuento, iure naturali, & communi fient inuentoris: tamen circa ista sunt seruandæ leges Castellæ, *lib. 6. ordina. tit.* 12. *l.* 1 vbi habetur, quod illorum inuentor tradat ea iudici, vt in diebus mercati voce præconis dominus inquiratur, & non inuento dentur cui ex priuilegio Regis competunt. Et lex ista, *quidquid dicat Manu. Rodr. in sum.* 1. *par. cap.* 41. *num.* 2. *& Aragon.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. obligat in conscientia, vt ait *Bannes.* Sed adhuc ista non sunt reddenda antequam petantur, vt postea dixit *Manu. Rodr. in qq. regul. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 4. Et adhuc petita sunt danda, si perseuerent in propria specie apud inuentores, non si sint erogata in pios vsus, maximè de consilio Confessoris, vt ait *Nauar. in man. cap.* 17. *num* 393. Imò & potest istorum inuentor pro istis componi cum Bulla compositionis, vt sibi ibi concedetur, nec tenetur tunc amplius restituere.

4 5. Conclusio. *D. Thom. loco citato.* Stando in iure natu ræ, licet inuentori thesauri illud retinere vbicumque inueniatur. Sed stando in iure communi, & Hispano, thesaurus arte magica inuentus applicatur fisco. Ita *l.* 2. *C. de Thesaur. & l.* 44. *tit* 28. *part.* 2. Sed cùm istæ leges sint pœnales in odium Artis magicæ, non obligant ante sententiam iudicis. Et idem dic contra *Nauar. cap.* 17. *num* 172. de thesauro de industria inuento in alieno fundo applicato per leges domino fundi. Nam leges istæ sunt pœnales. Secus de thesauro casu inuento in alieno fundo per dictas leges diuidendo inter inuentorem, & dominum fundi. Quæ leges quoad hoc non sunt pœnales, contra alios, sed positiuæ, iustæ, ordinatæ ad componendas lites inter inuentorem, & dominum agri. Vterque enim poterat contendere thesaurum esse suum, alter titulo inuentionis, alter titulo dominij agri. Ita *D Thom.* Potest tamen, qui scit in alterius agro latere thesaurum, emere illum agrum, & retinere sibi totum thesaurum. Hoc enim approbatur à Christo Matthæi 13. in parabola ementis agrum. Et patet: Nam si ignoraret ibi latere thesaurum, licitè emeret talem agrum: sed scientia emptoris circa ea, quæ non pertinent ad substantiam rei, non auget eius valorem, ergo. Imò *lex* 6. *Castella lib.* 6. *ordinam. tit.* 12. quæ thesaurum etiam in proprio fundo inuentum applicat Regi, excepta inuentori quinta, aut quarta parte, non est pœnalis, sed positiua, & iusta, vt ait *Bannes, & communiter contra Siluest. verb. inuentum, & contra Soto.* Imò *D. Anton.* 2. *par. tit.* 3. §. 5. *cap.* 1.

*cap.*1.*& Palud.num.*4.*d.*15.*q.*3.*art.*5.dicunt esse communem vsum in toto orbe. Sed quia lex ista est velut impositiua tributi, intelligitur vt aliæ leges tributorum, quod liceat inuentori retinere Thesaurum dum non petitur, & petitus reddatur sine dono. Ex quo patet à fortiori, esse iustam legem applicantem Regi mineralia, vt patet *l.6.tit.28 par.5* Quia ista sunt velut fructus, quos terra parit pro defensione patriæ, & cum Regis sit illam defendere, meritò ei cedunt.

Nos. prædicta procedere de Thesauro propriè sic dicto, qui est vetus depositio pecuniæ, cuius nulla extat memoria, ita vt dominium non habeat. Ita *l. nunquam*, §. *Thesaurus, ff de acquirendo rerum dominio*. Sed loquendo de Thesauro impropriè sic dicto, qui est depositio pecuniæ, aut alterius rei pecunia æstimabilis, reconditæ sub terra causa honoris, aut lucri, certum est inuentorem non acquirere eius dominium: cùm non habeatur pro derelicto, sed ordinetur in vtilitatem Reipublicæ, aut dominorum. Nisi aliàs recondatur in sepulchris superstitionis gratia pro cultu idolorum, & falsæ religionis, sicut fit inter Mauros, & olim inter Indos. Accipientes enim hoc, non restituant.

Dub. 2. *An furtum sit peccatum?* 5

1. Conclusio. Furtum ex genere suo est peccatum mortale, cùm ex natura sua habeat sufficientem materiam ad destruendam charitatem, & pacem. Sed ex paruitate materiæ fit peccatum veniale. Ita *D. Thom. art.6.* Sed in assignando materiam grauem pro peccato mortali, furti non datur certa regula, sicut nec pro alijs peccatis; sed arbitrio prudentium relinquitur, qui ex varijs circumstantijs loci, temporis, copiæ, inopiæ pecuniæ, hoc taxant. Vbi nota in furto duplicem materiam grauem assignari: vna ex parte personæ, à qua res furatur attento damno ei euenienti ex ablatione rei suæ. Si enim damnum sit graue, materia ablata censetur grauis cum illo respectu, vt si à sutore furetur acus, quo victum lucratur. Altera materia est grauis ex se, & obiecto. Circa quam variant Doctores, alij taxantes duos argenteos, alij à quatuor vsque ad sex Sed hæc taxa non videtur sufficiens. Nam in vna Prouincia tanti æstimatur vnus argenteus, quanti in alia duo, & tantùm illo, quantum istis emitur. Et pro diuersitate temporum variatur valor pecuniæ, sicut & aliarum rerum, iuxta copiam eius, & inopiam. Melius ergo taxatur materia grauis, vt sit illa, quæ est permutabilis pro

re alicuius considerationis, & momenti. His positis sit

2. Conclusio. Qui furatur materiam grauem primi generis, non est fur, peccat tamen mortaliter ob damnum illatum, quod reparare tenetur, cùm notabiliter lædat proximum.

3. Conclusio. Qui accipit etiam ab homine ditissimo materiam ex obiecto grauem, peccat mortaliter. Quia furtum ex genere suo est peccatum mortale, ergo semper erit mortale, quoties furatur materia grauis. Quia ad hoc est impertinens damnum alteri illatum. Aliàs non peccaret mortaliter, qui à Rege furaretur mille aureos cùm parum illud lædat: nec qui à multis furando vnum assem veniret ad materiam mille ducatorum, cùm paruum damnum singulis inferat. Consequens tamen falsum est. Nam etsi singuli sint parum læsi, tamen fur iste habet in suis bonis plus notabiliter, quam debet habere: quod etiam cauetur à virtute iustitiæ.

6 4. Conclusio. Qui ab vno, aut multis furatur paruam quantitatem animo deueniendi ad materiam grauem, in quouis furto peccat mortaliter ob illum animum. At si sine illo animo per furta parua deuenit ad materiam grauem, secundùm aliquos, actus, quo attingitur materia grauis in virtute præcedentium, est peccatum mortale, dum tamen vltimum furtum præcedentibus moraliter coniungatur, nec sit notabilis interruptio inter illa furta. Sed verius ait *Nauar. cap.* 17. *num.* 140. quòd nunquam peccauit mortaliter, sed tenetur sub peccato mortali restituere illam materiam grauem minutatim furatam.

7 Dub. 3. *An liceat furari ob necessitatem?*

1. Conclusio. *D. Thom. art.* 7. Si necessitas sit euidens, & maximè vrgens, ita vt ex ea graue periculum, cui aliter non subuenitur, immineat, licet pauperi sibi accipere necessaria ex alieno, nec tenetur sic extremè egens restituere, si veniat ad pinguiorem fortunam, contra *Nauar. cap.* 17. *num.* 55. Et patet, quia diuisio, & appropriatio rerum est introducta iure gentium ob bonum, & pacem orbis, sed ius gentium non derogat iuri naturæ, quo in extrema necessitate omnia sunt communia, ne orbis pereat, ergo.

2. Conclusio. Diues ex sola charitate tenetur subuenire extremè indigenti: sed ex iustitia tenetur non impedire eum accipientem sibi necessaria. Et si impedit, potest extremè egens illa accipere vi. Nam ista vis non est aggressio, sed defensio. Et impeditor tenetur restituere damna secuta ex suo impedimento.

Dub 4.

Dub.4. *An rapina sit peccatum?*

1. Conclusio. *D.Thom.art.*8. Affirmatiua. Quia rapina est ablatio alieni vi, priuata auctoritate. Imò & iudex accipiens ab alio aliquid contra iuris órdinem est raptor, & restituere tenetur.

2. Concl. *D.Thom. art.*9. Rapina est grauior furto: cùm per eam inferatur damnum in diuitijs, & iniuria in personam: at per furtum solùm infertur damnum in diuitijs.

QVÆSTIO TERTIA.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

D. Thom. 2.2. quæst.77.

SVMMARIVM.

1 DVB. 1. *An liceat vendere rem pluris, aut emere minoris, quam valet.*

1. Conclusio. Pretia rerum non constant ex natura rei, sed taxantur à lege, vel consuetudine, attenta eorum vtilitate in ordine ad vsus hominum. Pro quo triplex regula assignatur. 1. *Regula est*. Lex humana Reipublicæ Regis, aut alterius habentis ad hoc auctoritatem. Et pretium sic taxatum consistit in indiuisibili, vel ex parte magnitudinis: vt in taxa tritici, vbi taxatur pretium 18. argenteorum, ita vt hoc pretium non excedatur, etsi ab eo aliquoties deficiatur: aut ex parte paruitatis, vt in censibus redimibilibus, qui non possunt minoris emi, quam viginti pro vno, bene tamen maiori pretio, aut ex parte vtriusque, vt quando ædiles taxant pretium ciborum. Et si dictæ taxæ fiant arbitrio prudentum, attenta rerum vtilitate ad vsus hominum, copia, & inopia, & sumptibus factis erga illa, erunt iustæ, & obligabunt. 2. Regula est Communis vsus fori. Et hoc pretium non consistit in indiuisibili, sed variatur ex circumstantijs loci, temporis, copiæ, inopiæ mercium, & mercatorum. Copia enim mercis cum inopia emptorum minuit pretium mercis: & copia emptorum cum inopia mercium, auget pretium eius. Et sic omne, quod causat talem copiam, aut inopiam, auget vel minuit pretium. Nam si merces inquirat emptorem, vilescit. Quia tunc censetur esse copia illius, & inopia emptorum. Et sic ait *Nauar. in Manual. cap. 23. num. 84.* quod potest quis emere rem minoris iusto pretio, si eius venditio multum refert venditori, & parum emptori, vt qui solo victu locat operas operarij. At si emptor inquirat mercem, crescit pretium ob contrariam rationem. Item si simul venditur magna copia mercium, vilescit pretium. Quia est inopia emptorum sic ementium. Et si venduntur minutatim, augetur pretium, cùm sint multi emptores. At inopia mercis cum inopia emptorum, sicut & copia vtriusque, nec auget, nec minuit pretium, vt cùm venduntur res in subhastatione. Nam etsi inquirant emptores, etiam voce præconis: si tamen multi emptores concurrant, iustè augetur pretium. Sicut si multæ merces vendantur minutatim, & sint pauci emptores, iustè vilescit pretium. Imò in eodem tempore, & loco cum eadem copia, & inopia mercis, & emptorum, adhuc pretium non stat in indiuisibili, sed assignatur triplex pretium iustum, vtpotè infimum, medium, & rigorosum, iuxta quod

quod potest vendi vlna panni peo decem, pro vndecim, pro duodecim.

3. *Regula*. Pro rebus, quæ non veniunt communiter in vsus hominum, vt gemmæ, &c. est conuentio inter emptorem, & venditorem secluso dolo, & hoc pretium multo minus consistit in indiuisibili, sed variatur ex dictis.

2. Conclusio *D. Thom. art.* 1. Iniustum est vendere rem pluris, aut emere minoris, quam valeat, per se loquendo, nam aliquando per accidens licebit, vt patet in hortulano habente mulam vitiosam, quæ prodest ei vt sana, tunc si ille non exponit eam venditioni, sed in gratiam tui vendit eam, potest recuperare in pretio damnum, quod incurrit ex eius venditione. 2

3. Conclusio. *D. Thom. art.* 1. Non licet vendere commodum, quod reportat emptor ex re empta. Tum, quia hoc commodum est ipsius emptoris. Tum, quia res debent appretiari, secundùm quod seruiunt communibus vtilitatibus hominum, & non secundùm quod seruiunt vtilitati istius particularis.

Dub. 2. *Circa* 1. *Regulam*. *An taxa tritici obliget: scilicet in Hispania*. 3

1. Conclusio. Rex per suam legem potest taxare pretia rerum: Et ita expedit conseruationi boni communis, maximè pro rebus communiter singulis necessarijs, sicut triticum.

2. Conclusio. Taxa tritici obligat non solùm ex obedientia, sed etiam ex iustitia. Et patet: Quia habito maturo consilio cum prudentibus, & consideratis circa triticum communiter euenientibus, & expensis regulariter factis ab agricolis, taxatur faneca tritici pro 18. argenteis. Nec in hoc sunt attendenda damna, aut commoda vnius, vel alterius, nec excessus vnius tritici supra aliud. Tum, quia excessus expensarum, & qualitatis tritici regulariter est paruus. Tum, quia non taxatur in hoc infimum pretium pro viliori tritico, nec supremum pro perfectiori, sed medium vtrique proportionatum. Quod maximè expedit pro mercibus ita necessarijs, & in quibus non est ita notabilis excessus, vt in vinis, pro quibus omnibus esset iniustum taxare idem pretium.

Dub. 3. *An dicta taxa obliget etiam pro annis maximè sterilibus?*

In hoc. 1. Sententia negat. Ita *Manuel Rodr. in sum. 2. par. cap. 79.* Et probat 1. Quia iuxta *D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7.* ob necessitatem frigoris, licet furari ligna, ergo ob necessitatem

famis licet non seruare taxam. 2. Lex Ecclesiæ non obligat cum periculo vitæ, ergo nec lex ciuilis.

2. *Sententia ait*, Esse iniustum velle quòd triticum eodem pretio vendatur tempore copiæ, & sterilitatis. Quia sicut pretium aliarum rerum, sic & tritici crescit, aut decrescit iuxta eius copiam, & inopiam. Ita *Molin. tom. 2. de iustitia, d.* 364. Et addit *ex Nauar.* quod in maxima necessitate tritici tollitur eius taxa. Et ita tenet communiter Schola Patrum Societatis.

1. Conclusio. Ista taxa obligat pro annis maximè sterilibus. Ita communiter Thomistæ, *Medin. Bannes, Orella, Mondragon.* & consiliarij Regis timorati, & docti: qui omnibus pensatis iuxta dicta *dub.* 2. fecerunt dictam taxam, & præcipiunt ab omnibus seruari, & puniunt violatores. Et cum ipsi habeant magnam copiam tritici vendendam, & considerent rationes, quæ sunt in oppositum taxæ, nihil innouant annis sterilibus.

2. Conclusio. Sententia opposita est improbabilis. Ita *Ledesm. in sum. 2. par. tract.* 8. *cap.* 32. Et patet. Tum rationibus dictis. Tum, quia, vt Molina fatetur, quando dubium fit, an taxa obliget, standum est pro taxa; sed in nostro casu ad minus versatur ingens dubium, an obliget taxa, ergo.

Ad 1. oppositum dico, Quòd D. Thom. non ait esse licitum furari, nec vllus sanæ mentis hoc dicere potest: cùm furtum sit intrinsecè malum, sed solùm ait licere in extrema necessitate accipere alienum: ista verò acceptio non est furtum, vt ibi ait D. Thom.

Ad 2. dico. Ita esse, quòd leges humanæ, non obligant cum vitæ periculo, sed ex hoc non sequitur, quod possis vendere triticum pluris pretio taxato, cùm non patiaris aliquam necessitatem, qua cogaris sic vendere. Ad Molinam dico, verum esse antecedens, sed ex hoc non sequitur, licere excedere taxam, sed quod infra illam taxetur pretium maius, aut minus: iuxta eius copiam, & inopiam. Ex dictis patet non licere vendere triticum, aut alia, computando sumptus, laborem, & industriam, v. g. si faneca tritici constat agricolæ, 20. argenteis, non potest eam illo pretio vendere. Ita *Man. Rodr. in sum. c.* 79. *Cord. in sum. q.* 84 *Palud. lib.* 4. *de contract. c.* 2. *Gutier. in pract. lib.* 2. *q.* 180. *Ledesm. loco citato contra Mexiam*. Quia taxa non attendit bonum, aut damnum particulare, sed bonum commune. Item, si vt ait Mexia,

xia, liceret venditori tritici seruare se indemnem, liceret alijs negotiantibus semper lucrari aliquid in suis contractibus, quod falsum est, vt ait *Sot. 6. de iustitia, quæst. 2. art. 3.* & communiter Doctores taxantes semper pretia rerum iuxta earum copiam, & inopiam.

Dub. 4. *An permissio violandi taxam conferat ius in conscientia.* 5

1. Conclusio. Si Rex, Regale consilium, aut alij ex istorum commissione dicant, quod nulli vetetur vendere triticum pretio possibili, talis permissio est dispensatio taxæ.

2. Conclusio. Si ista permissio ita sit, quod aliqui taxæ violatores, etsi non omnes, puniuntur; talis permissio non dat licentiam violandi taxam. Quia ex hoc, quòd aliqui puniuntur, non consentit Rex tali violationi. Ita *Ludou. Lop. in sum. 1. par. cap. 226.*

3. Conclusio. Si Rex potens sine scandalo punire taxæ violatores, & cogere vt afferant triticum, non facit, sed dissimulat: probabilius est talem permissionem dare licentiam violandi taxam. Nam iuxta regulam iuris, qui tacet consentire videtur. Ita *Panor. in cap. circa, de consang. Medin. C. de restit. q. 56 Butrio, vt refert Siluest. verb. lex, q. 6. Cord. in sum. quæst. 78. & communiter.*

4. Conclusio. Solis agricolis conceditur iam in prag. edita Eboræ 18. Maij anni 1619. vendere sine taxa, & decoquere ad vendendum solum triticum à se collectum, dum tamen singulis annis vsque in finem Octobris illud coram iudice vbi fuit collectum registretur, ne vltra à se collectum sic vendant.

Dub. 5. *An liceat vltra taxam tritici reportare expensas asportationis.* 6

1. Conclusio Affirmatiua; cùm ita concedatur in pragmatica. Et istæ expensæ possunt reportari etiam à nobilibus, & communitatibus vendentibus triticum suorum redituum, etsi illi non soluerint suis agricolis tales expensas. Quia ex eo quod agricolæ obligantur asportare gratis triticum in nobilium domos, recipiunt ab istis alia beneficia æquiualentia. Ita *Manuel Rodr. & alij contra Ledesm.* Item pro obligatione quærendi triticum ponendum, v. g. Matriti, potes vltra dictas expensas plus accipere ad arbitrium prudentum, cùm ista obligatio, & diligentia sit distincto pretio æstimabilis.

2. Conclusio. Licitè permutatur triticum emptum pro 14.

argenteis pro empto pro 10. ob expensas. Et qui accepit triticum 20. argenteorum non potest illud vendere pro 20. sed pro 14. Et qui accepit triticum 14. argenteorum potest vendere illud pro 20. argenteis: quia hoc moraliter attendatur. Nam supposito, quod vtrumque triticum in se est æqualis valoris, & per illud cambium non sit permutatum pretium tritici, sed eius substantia: cùm pretium pendeat ex expensis, quæ in cambientibus remansere, quiuis eorum potest vendere suas expensas. Ita *Ledesm. loco citato*. Ex quo infert, quòd qui miscuit decem fanecas tritici emptas pro 14. argenteis, cum alijs emptis pro 20. potest vendere dimidias pro 20. & aliàs pro 14. Sed melius faciet vendendo omnes pro decem, & septem, *subiendo el precio de vnas, y baxando el de otras*.

7 *An liceat titulo gratitudinis aliquid accipere vltra taxam?* Dico, quod si illud sine vi, & dolo offertur ab emptore pro gratia sibi dandi triticum, & non alijs, in tempore necessitatis licebit illud accipere. Ita *Ledesm. Manuel Rodr. & Medin. q. 36. de restit.* cùm illud amplius non titulo pretij, sed gratitudinis detur. Sed diligenter attende, an voluntariè detur. Et si excessus sit magnus in casu dubij non censeatur gratis datus; quia illa gratia non est digna tanta gratificatione, & sic restituatur.

8 *An verò qui emit triticum vltra taxam, v. g. pro 10. argenteis possit illud vendere pro eisdem?* Ad hoc dico, quod si illud pretium fuit iustum ob expensas asportationis, potest vendi illud pretio. Secus si fuit iniustum ob deceptionem, aut aliter. Quia deceptio illa non confert ius vendendi triticum, sicut nec alia, vltra pretium iustum. At hoc non intelligitur de tritico sic empto à Republica pro victu ciuium; quia tunc ciues soluent totum pretium datum, sicut qui mandauit alteri emere triticum pretio sibi possibili.

9 Dub. 6. *An liceat habenti triticum purgatum, & volenti vendere illud, miscere illud paleis quibus regulariter colligitur, & venditur?*

1. Conclusio. Probabile est non licere. Ita *Medin. in sum. Ledesm. 2. par. tract. 8. cap. 32. & Manuel. Rodr. in sum. cap. 79. num. 10.* Nec est idem, dicunt isti, de vendente triticum cum paleis, quibus regulariter colligitur; quia iste non vtitur dolo, sed triticum bonum, aut malum vendit, prout Deus dedit.

2. Con-

2. Concl. Probabilius videtur oppositum. Ita *Lud. Lop. to. 1. c. 192.* quia etsi iste vtatur dolo, tamen pretium rei attenditur ex eius valore: sed triticum post purgationem paleis mixtum est ita bonum sicut & alterum ex area collectum cum mixtione palearum: ergo potest eodem pretio vendi. 2. Si petas à me triticum ita purum ac defertur in molendinum, possem pro faneca ita purgata maius exigere pretium: ergo similiter. Ad arg. dico, quod dolus inducit obligationem restituendi quando in re intulit inæqualitatem, & iniustitiam, vt si ponas triticum in loco humido, vt sic turgescens plures impleat modios.

Dub. 7. *An sit taxa pro pane cocto.*

Concl. Iudices, & rectores sub peccato mort. & obligatione restituendi damna, tenentur taxare panem coctum: cùm ita sibi præcipiatur in pragmatica tritici, & ratione officij tenentur ex iustitia seruare istam legem. Et intelligitur per se loquendo. Nam aliquando melius faciunt panem non taxando, vt si ex hoc deficiat panis. Ita *cōmuniter Doctores.* Sed non ex hoc poterunt pistores vendere tunc pro suo libito panem, sed pretio moderato deductis expensis. Imò & hoc ipsum debent attendere iudices taxantes panem. Quia si vnum triticum sit emptum pro 14. argenteis, aliud pro 20. aliud pretium erit taxandum pro pane tritici 14. argenteorum, & aliud pro pane tritici 20. argenteorum. Alias erit iniusta taxatio, & cum obligatione restituendi excessum, aut defectum iusti pretij. 10

An liceat omnibus vendere panem coctum. Dico 1. Peccant mor. contra obedientiam legis vendentes per se, aut alios panem coctum, exceptis pistoribus, & agricolis in casibus sibi concessis; quia alijs hoc vetatur lege maximè expediente bono communi, aliàs nullus venderet triticum, sed panem coctum, vt sic plus lucraretur. Et intelligitur per se loquendo, quia clerici licitè vendunt panes sibi in Ecclesia oblatos, *vt ait Ledes. & Man. & Ro.* Nam lex dicta lata est in eos, qui in fraudem pragmaticæ tritici, non vendunt triticum, sed panem, vt sic plus lucrentur. 11

Dico 2. Non peccas contra iustitiam vendendo panem coctum pretio iustè taxato pistoribus obligatis, aut pretio iusto currente si non sit taxa, dando pistoribus obligatis pro obligatione vendendi panem, iuxta dicenda dub. 11. Et intelligitur dum tamen panis istius voluntariè vendentis habeat similes expensas panis taxati. Nam si, v. g. sint diuersa pretia, aliud

pro pane ttitici, 20. argenteorum, aliud pro pane tritici 14. argenteorum, non possum vendere panem tritici 14. argenteorum pretio panis tritici 20. argenteorum. Ità *manu. Rodr. & Lud. Lop. in instruct. nego. lib. 1. cap. 15. & Gutierez in pract. lib. 2. q. 181.*

12 Dub. 7. *An sint licita monopolia; vtpotè, cum merces reducuntur vendendæ ad paucos venditores.*

1. Conclusio. Licitè conceditur alicui in præmium sui laboris venditio alicuius mercis, sine damno Reip. sicut conceditur auctoribus librorum, vt ipsi soli eos vendant: quia sic alij excitantur ad studium, & laborem.

2. Conclus. Non licet illud concedere pro rebus maximè necessarijs, nisi aliàs vrgeat maxima necessitas & Rex taxet pretium istarum mercium. Quia ex inopia venditorum crescit pretium. Imo si præueniendo alios emptores emis res non ita necessarias, vt postea alijs cariùs reuendas, ex eo quod tu solus eas vendis, peccas mort. contra iustitiam. At si alij emerunt sibi necessaria, licitè emis quod superest, vt postea tempore inopiæ vendas etiam carius. Nam hoc vtile est ciuibus cùm tunc habeant merces velut in deposito pro tempore necessitatis, nec extra oppidum deferantur. Et intelligitur hoc seclusa lege in contrarium, sicut in Hispania est lex vetans emptionem tritici ad reuendendum. Et qui oppositum facit peccat. mortal. contra istam legem, aliàs importantissimam.

3. Conclus. Non licet venditoribus pacisci inter se, v.g. de non vendendis calceis, nisi tanti; quia ablato isto pacto, minoris emerentur. Et idem est de emptoribus inter se conuenientibus de non emendis mercibus nisi tanti. Excusabuntur autem emptores si illud pactum fecere, vt redimant vexationem venditorum, qui dictum pactum priùs fecerunt. Quoties ergo ratione monopolij fit excessus, aut defectus in pretio iusto, restituetur. Et si quis ignorando monopolium vendidit pretio currente, ablata ignorantia, restituet ratione rei acceptæ excessum iusti pretij. At qui fecerunt monopolium, restituent etiam ratione iniustæ acceptionis excessum pretij, etiam ab alijs reportatum, dum alij non restituunt.

13 Dub. 9. *An contractus vbi interuenit deceptio citra dimidium iusti pretij, cui in iudicio ob vitandas lites denegatur actio; transferat dominium.*

1. Conclus. Si vterque contrahens ignorando pretium mercis

cis bona fide se commisit fortunæ æquali, valet contractus, nec tenetur læsor resarcire damnum: cum sit seruata in hoc omnis æqualitas.

2. Concl. Si vterque contrahens bona fide ex ignorantia antecedenti, seu dante causam contractui, celebret illum, non valet contractus. Et tenetur læsor resarcire ratione rei acceptæ, & restituere rem cum fructibus quos secum habet, aut id in quo ditatus est, demptis expensis; quia res suo domino fructificat. Et si velit sibi retinere rem, vt sibi conceditur, *l.2.C.de rescind. vend.* restitutis fructibus perceptis secum habitis, aut id in quo factus est ditior: cum nondum comparasset dominium rei, supplebit pretium rei. Et intelligitur conclusio, quando excessus est magnus, nam si sit paruus, vt si pro re valente decem dentur nouem, secundum rectam prudentiam non censetur venditor inuoluntarius circa substantiam contractus, sed circa defectum pretij, & sic hoc solum suppleatur. Et à fortiori patet, contractum celebratum mala fide ex parte lædentis, & cum ignorantia ex parte læsi, esse nullum, & teneri læsorem ratione iniustæ acceptationis restituere læsorem cum fructibus etiam consumptis, demptis expensis. Nisi alias excessus, aut defectus sit paruus; quia tunc hoc solum suppleatur.

3. Concl. Contractus celebratus mala fide, sciente & volente læso vt patet in contractu vsurario, valet. Et solum restituetur excessus, aut defectus pretij, cum in hoc solo sit læsus inuoluntarius. Ita *Med.& Bannes 2.2.quæst.77.art.1.dub.4.contra Conra.& Ioseph.in Flo.*

Dub. 10 *An venditor teneatur dicere vitium rei venditæ.* 14

1. Conclus. *ex D.Thom.ad* 3. Vitium occultum, & nociuum declaretur emptori: cum contractus debeat cedere in vtilitatem amborum contrahentium. Et tenetur venditor, *ait D. Thom.* ad damni compensationem. Secus de vitio noto, aut non nociuo; nisi alias emptor dicat nolle rem vitiosam, aut si quæsitus venditor an res sit vitiosa, tacet, aut præuenit emptorem dicendo rem esse sanam. Quia tunc contractus est nullus, cum sit inuoluntarius ex parte emptoris. Et idem est, si res sciente venditore, est inutilis emptori: vt si miles emat equum ad bellum & alter vendat equum ad hoc inutilem. Secùs si bona fide vendat ignorando intentum emptoris: ipse emptor sibi imputet, si non explicuit se. Aut si venditur emptori ad reuendendum aliis, quibus erit vtilis,

lis, ſed tunc facta venditione moneatur emptor de vitio rei, vt non vendatur pluris quam valet, verbi gratia, ſi vendo tibi vinum ad ſtatim bibendum optimum, in breui tamen corrumpendum, teneor tibi dicere hoc vitium vt non ſerues illud. Et idem eſt de emptore qui ſcit aliquam latere virtutem in re vendita communiter à petitis notam, vt patet in ruſtico vendente gemmam lapidario, tenetur emptor dicere venditori talem virtutem, aut augere pretium ratione illius; quia res illa iuſtè æſtimatur tanti. Nec ſatisfacit illius; emptor dicendo ruſtico, ſe velle manere tutum in conſcientia, quòd ſi forte res plus valet, illud ſibi donet. Quia etſi ſic donet, cenſetur donans inuoluntarius ex ignorantia antecedente & dante cauſam contractui & ſic contractus eſt nullus *contra Caiet.* Si tamen virtus latens in re eſt occulta, & latens etiam peritos in illa arte, nec communiter quæritur ob illam virtutem, cognoſcitur autem ab iſto emptore ob raram ſcientiam, diuinationem, aut aliter extraordinariè, non tenetur eam manifeſtare, nec augere pretium ob illam. Quia iuſtum pretium rei attenditur ex vtilitate in ordine ad vſus communes hominum: ſed res iſta communiter æſtimatur, v. g. centum aureis ſecundum quod deſeruit communi vſui hominum: ergo Et idem eſt de venditore ſciente extraordinariè aliquod vitium rei venditæ, quod à petitis non cognoſcitur, nec vitium reputatur.

2. Concluſ. Res licitè venditur iuxta valorem quem habet quando venditur. Licitè enim venditur domus pretio currente in curia, etiam à ſciente curiam in breui mutandam in aliũ locum. Et ſi emis aliquid, potes ſoluere in moneta, quam ſcis cras deponendam à ſuo valore. Et potes illam nunc mutare, & recipere poſtea valorem quem habebat, quando mutuaſti, etſi non eſſes eam conſumpturus ànte eius depoſitionem, *contra Siluest. & Angelum verb. vſura.* Quia per mutuum transfertur dominium, & res domino perit, & ſicut commodum ei cedit. Ex quo patet, quòd ſi mutuaſti decem aureos, quorum valor poſt mutuum eſt auctus, non potes eoſdem, aut valorem auctum recipere, *vt ait Soto, 6. de iuſt. q. 1. art. 2.* niſi eſſes illos ſeruaturus in tempus augmenti, *vt ait Silu. & Nau. in commem de vſuris, nu. 48. & colligitur ex cap. nauiganti, de vſu.* & aliàs ſit de hoc præmonitus mutuatarius, *iuxta dicenda, q. 5. de vſu. dub. 7.* Et ſermo eſt modò de aureis in ratione monetæ. Nam conſideranti in ratione metalli, poteſt obligari mutuatarius, vt reddat idẽ põdus auri, *iuxta dicẽda q. 6. art. 3. de cãbijs.*

3. Concl.

3. Concluſ. Copia futura mercis à te nota non minuit pretium tuæ mercis:ſed licitè vendis pretio currente. Ita *D. Tho. ad* 4. Quia tunc tanti æſtimatur, & ſcientia, aut ignorantia vendentis, ſicut dixi de vendente domum,nec auget, nec minuit pretium. Et licet interrogatus de copia futura taceas,aut dicas nil ſcire: cùm *vt ait D. Thom.* non tenearis veritatem manifeſtare ex iuſtitia. Imò etſi mentiaris dicendo, non eſſe futuram copiam:ſi aliàs ex tuo mendacio non creuit pretium, licitè vendis pretio currente At ſi creuit, reſtitues augmentum,& damna ſecuta etiam alijs emptoribus,qui ex alijs emerunt illo pretio aucto ob tuum mendacium. Iſtorum enim ex cauſa mortalis. 15

Dub. 11. *An liceat negotiando vendere cariùs rem, quam ſit empta.* 16

1. Concluſ. Aliquoties licet,aliquoties, non. Quia vt dixi dub. 1.ex varijs circumſtantijs loci,temporis,copiæ, & inopiæ variantur rerum pretia. Ita *D.Thom.ar.4.ad* 2. Falſa eſt enim regula *Sco.in* 4.*d.*15. *qu.*2. dicentis, poſſe negotiatores lucrari quod daret Reſp. ratione ſtipendij, ſi ex eius mandato negotiarentur. Alias ſi dimidia pars mercium abſque culpa negotiantis periret, poſſet ex mercibus remanentibus reſarcire damnum & ſtipendium,quod daretur à Rep.ob negotiandum. Et ſi deſert merces de longinquo, ob quod fecit maiores expenſas altero,qui ex loco proximo detulit ſimiles merces,poſſet ille rem eiuſdem valoris, imò viliorem, pluris vendere, quam alter.

2. Concluſio. Mercatoribus obligatis licet pro obligatione aliquid accipere vltra pretium alias iuſtum,ob copiam,aut inopiam, quod à non obligatis reportari poteſt. Quia iſta obligatio eſt diſtincto pretio æſtimabilis à valore mercis.

3. Concluſio. Si do alteri rem meam, vt vendat pro ſex, & vendit pro octo, non poteſt ſibi retinere illa duo. Nam hoc obſequium fit regulariter, amicabiliter, & gratis. Niſi alias, *vt ait Nauarr. cap.*23. *num.*97. qui vendit ſoleat hoc exercere pro pretio, nec excedat pretium ſui laboris, nec valorem rei venditæ: Nam ſi exceſſit valorem, reddetur exceſſus emptori.

Dub. 12. *An liceat vendere res in malum ordinatas.*

1. Concl. Non licet vendere res ordinatas ſolum ad malum vt idola;quia hoc eſſet cooperari peccato emptoris. 17

2. Concluſ. Licet vendere res indifferentes ad bonum, & malum.

malũ. Etsi aliàs, *vt ait Caie.* venditor sciat emptorem male illis vsurum, sed sine damno tertij. Licet enim locare domos meretricibus, *contra Nauar. cap. 17. num. 191. Medin. qu. 3. de resti. & contra alios relatos à Ludo. Lop. tom. 2. cap. 191.* Nec in hoc venditor complacet sibi aut consentit peccato emptoris: cùm non teneatur vitare eius peccatum hoc medio negandi merces, sed consilijs bonis. *Vide D. Tho. 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4.*

QVÆSTIO QVARTA.

DE SIMONIA.

D. Thomas 2. 2. q. 100.

SVMMARIVM.

Quid sit simonia, & quale peccatum, num. 1.
An sit simonia offerre pecuniam nolenti aliter baptizare vel absoluere in extrema necessitate, num. 2.
An liceat cum pecunia redimere vexationem in beneficijs, n. 3.
An liceat cum pecunia negotiari electionem dignioris, n. 4.
An liceat dare vel accipere pecuniam pro actibus supernaturalibus, num. 5.
An liceat Prælatis accipere pretium pro vsu suæ potestatis, num. 6.
An sit simonia accipere pretium pro omissione actus spiritualis, num. 7.
An liceat accipere pro annexis spiritualibus, n. 8.
An liceat vendere sepulturam, n. 9.
Quid sit pensio, an sit beneficium & an liceat eam vendere, num. 10.
An sit licita resignatio beneficiorum sub aliqua pensione, n. 11.
An sit licita permutatio beneficiorum, n. 12.
An resignatio confidentialis sit simonia, num. 13.
An sit simonia dare spirituale pro obsequio vel intuitu consanguinitatis, num. 14.
An sit simonia conferre beneficium pro vitando metu, n. 15.
Pœna lata contra simoniacos, n. 16.
An simoniaci semper incurrant has pœnas, n. 17.
An simoniacus mentalis teneatur restituere.

DVB.

DVB. 1. *Quid sit simonia.*

1. Concl. Simonia est studiosa voluntas, id est actus voluntatis studiosus, emendi, aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum. Ita definitur simonia per suum actum; sed per suum genus definitur sic: Simonia est irreligio, qua studiosa voluntate emitur, aut venditur spirituale, (id est supernaturale, v. g. Sacramenta, gratiæ gratis datæ, prædicatio, consilia ordinata ad salutem animæ: Theologia, siue quæ ex motione Dei interpretatur Sacram Scripturam, & numeratur inter gratias gratis datas. 1. Cor. 11. & vocatur ibi interpretatio sermonum; siue quæ ordinatur immediatè in finem supernaturalem, vt ad docendum id, quo rectè vita instituatur, hæreses confutentur, & fides roboretur) aut spirituali annexum, v.g. beneficia, prestimonia, docere Theologiam, quando hoc annectitur alicui beneficio, aut canonicatui. Secus si sic non annectitur: cùm alias sit naturalis, & acquisibilis viribus naturæ. *Ita D. Tho. art. 3. ad 3.* Nec licet accipere pretium pro licentia minifirandi Sacramenta, aduocandi, docendi Theologiam: etiam quando licet aduocato, & docenti Theologiam pretium ob hoc reportare. Bene tamen licet accipere pretium pro consilio ordinato immediatè in finem naturalem, etsi ordinetur mediatè in finem spiritualem, vt pro docendo te veritatem, quam alijs vis prædicare, aut pro consilio in ordine ad forum externum, etiam circa materiam spiritualem, vt circa matrimonium. Nam etsi res illa sit materialiter spiritualis, at formaliter, & ex parte finis est naturalis, & vendibilis. 1

2. Concl. Simonia est intrinsecè mala contra religionem ex parte materiæ, & contra iustitiam, dum venditur quod non est pretio æstimabile, & vendibile. Et est vetita primò & per se iure diuino; Matthæi 10. *Gratis accepistis, gratis date*, & secundariò, iure naturæ. Nam supposito quòd v. g. Sacramenta, & alia sunt supernaturalia, & sic inuendibilia, & supposito, quòd obtinentes ista non fiunt domini illorum, nec ea acceperunt ad vendendum, sed ad communicandum gratis; ratio naturalis dictat esse iniustam eorum venditionem, & pretium acceptum pto eis restituendum. Et idem est de rebus habentibus spiritualitatem ex annexione ad spirituale, vt beneficia: *Ita Soto 9. de iust. q. 8. artic. 1.* & Theologi contra Canonistas asserentes istorum venditionem

venditionem solum vetari iure Ecclesiastico. Sed nostra sententia colligitur ex *D. Tho. ar.* 4 *ad* 3. vbi ait, ius percipiendi decimas esse spirituale. Ex quo sic supposita annexione beneficij ad titulum spiritualem saltem primæ tonsuræ pro præstimonijs, licet facta ab ecclesia, est absolute spirituale, nec vendibile sine titulo cui annectitur, ergo cum vtrumque sit inuendibile, erit contra ius diuinum & naturale talis venditio.

2 Dub. 2. *An nolenti baptizare puerum morientem sine pretio, liceat offerre pecuniam, non in pretium, sed pro redimendo vexationem, vtpotè si non sit alius qui sine pretio baptizet.*

1. Concl. Satis probabilis est sententia affirmatiua. *Palud. in* 4.*d.*5. *Soto.q.*6.*art.*1. *Ricard.d.*25. *art.*3. *Alexand. quot.*9. *Panorm. in cap.cum Ecclesia, de simonia.* Sicut extremè indigenti licet petere mutuum sub vsuris à nolente aliter mutuare, etsi vsura sit intrinsecè mala: ita in nostro casu. Quia sic offerens pecunias, nec intendit emere Sacramentum, nec cooperatur malitiæ alterius, sed redimit suam vexationem, quod erit licitum. Nisi aliàs qui vendit, faciat illud in contemptum fidei. Imò ex his colligit Adria. satis probabiliter *contra Caieta. & Panormitan.* idem licere in eodem casu adulto morienti sine Baptismo, aut pœnitentia. Quia etsi iste non patiatur extremam necessitatem Baptismi, aut pœnitentiæ: cum possit conteri de peccatis, sed quia hoc est difficilimum, potest suam redimere vexationem illo medio offerendi pecunias. Ita *Ledesm. cum Victo. & Orella in sum. tract. de simonia.*

Dub. 3. *An liceat cum pecunia redimere vexationem in beneficijs.*

3 1. Conclusio *D. Thom. art.* 2. *ad* 5. Hoc non licet ante ius acquisitum ad beneficium. Ita *in ca. Matth. de simon.* Quia sic pararetur via ad spirituale per temporale. Et intelligitur de redemptione vexationis à valente prodesse, & obesse, vt ab electoribus si fit intentione, vt prosit, aut à competitoribus etiam indignis, vt desistant à præbenda. Non de redemptione vexationis à valente solum obesse vi, dolo, aut aliter iniustè. Quia hoc est merè temporale, & emibile: nec redimitur aliquid spirituale, nec sic paratur via ad illud, nisi fortè remotissimè: sicut qui dato pretio addiscit necessaria ad beneficium. Ex dictis patet, quòd si litigas cum alio pro beneficio, non potes sine Papæ licentia conuenire

cum

cum eo, vt accepta pensione, aut pecunia, desistat à lite; quia sic parares viam ad spirituale per temporale.

2. Conclusio *D.Tho.ibi.* Acquisito iure ad beneficium cum confirmatione, licitè redimitur cum pecunia vexatio ab omni impediente possessionem. *Ita cap. dilectus, de simonia* Et est communi Nec sic paratur via ad spirituale per temporale; cum redimens habeat totum ius ad beneficium: sed solùm tollit impedimentum iuris habiti. *Ledesm.cum Orella, contra Soto.*

Dub. 4. *An si electores volunt eligere ad beneficium, minus dignum, liceat negotiari cum pecunia electionem dignioris.* 4

1. Concl. Licet dare pecuniam ne eligatur indignus. Ita *communiter.* Nec sic paratur via ad spirituale, proximè, sed solum intenditur, ne eligatur indignus, sed seruetur iustitia distributiua in bonum Ecclesiæ. Imò licet dare tunc pecuniam, vt eligatur dignus in communi: cum sit idem dare pecuniam, vt eligatur dignus, & ne eligatur indignus. Ita *Lod.cum Caiet. & Orella.tract.de sim.* At non licet dare pecuniam, vt eligatur dignissimus, etiam in communi, quando sunt alij digni: etiam in sententia tenente Ecclesiam habere ius ad digniorem coram digno. Quia Ecclesia tunc obtinendo dignum non patitur grauissimam necessitatem, ob quam redimendam illud liceat: sed tunc pararetur via ad spirituale per temporale illi dignissimo.

2. Concl. Si sit solus vnus dignus secundum Soto, licet dare pecuniam, vt ille determinatè eligatur. Sed oppositum est communius, quia tunc potius istius, quam Ecclesiæ redimeretur vexatio: cum Ecclesiæ vexatio satis redimatur potendo dignum in communi. Etsi postea qui dat pecuniam possit declarare electoribus: quòd solus iste sit dignus, dum tamen ad eius electionem gratis procedatur. Ita *Ledes. cum Orella.*

Dub. 5. *An liceat dare, aut accipere pretium pro actibus spiritualibus; vt pro celebrando, absoluendo, &c.* 5

1. Concl. Negatiua. Imò nec licet dare, aut accipere pretium pro labore annexo istis actibus, sicut nec pro vsu calicis, aut chrismatis: quia esset vendere spirituali annexum. Licet autem accipere pretium pro labore extrinseco istis actibus, vt pro eundo ad prædicandum, aut missandùm longiùs, & pro obligatione celebrandi in capellanijs. Ista enim sunt temporalia, & extrinseca rei spirituali.

2. Con-

2. Concl. Licet accipere pecuniam pro Sacramentis, non in pretium, sed vt stipendium ad victum. *Hæc est de fide, & colligitur ex varijs rationibus quibus hoc ostenditur. 1. Cor. 9.* Et quoties dicunt, ista esse gratis præstanda, intelligitur, idest sine pretio, non sine stipendio. Et quando in sacra Scriptura vocatur pretium, & merces, est impropria locutio. Et si pro his accipis excessiuum stipendium, eris iniustus, sed non simoniacus, cum illud non aceipias in pretium. Imò si celebres, intendendo principaliter stipendium, & non cultum Dei, non eris simoniacus, cum talis intentio non dicat animum emendi, aut vendendi spirituale, sed accipiendi stipendium, etsi aliàs pecces mort. abutendò re Sacra, vt medio ad rem inferiorem. Ex his patet. 1. licere ex natura rei pacisci de tali stipendio. *Ita Caie. & Siluest. ver. simonia, & Nau. in cap.* 23. *nu.* 106. Et licèt c. vlt. de pactis, in Conc. Triden. sess. 23. cap. de obseruandis in Missa, vetentur ista pacta, vt suspecta de simonia, sed hoc non intelligitur de obligatis ad Missandum, aut prædicandum pro aliquo tempore, qui pro tali obligatione possunt facere pactum: sed de prædicantibus, &c. semel, aut iterum sine tali obligatione. 2. Patet non licere accipere pretium pro exequijs defunctorum necessarijs: cum sint quid spirituale. *Ita c. suam, de simonia.* At possunt in illis statui pro victu ministrorum certæ oblationes, & stipendia. Pro alijs verò in funere non necessarijs, vt pro musica, & alijs deseruientibus ad pompam funeris, licet exigere pretium. Cantores etiam, organistæ, & alij similes possunt operas suas locare, cum sint spirttualibus accessoriæ.

6 Dub. 6. *An liceat Prælatis accipere pretium pro vsu suæ potestatis, v. g. pro visitandis, & corrigendis subditis authoritatiuè; pro dispensando in votis, aut alijs Ecclesiæ legibus, pro committendo alijs vices suas, aut administratione rerum Ecclesiasticarum.*

2. Conclusio Negatiua *D. Tho. art. 3. ad 3.* Quia ista administrantur ex potestate spirituali, ergo gratis sunt præstanda.

2. Concl. Prælati diuites tenentur alere ministros ad prædicta necessarios. Et sic isti ministri nihil possunt accipere à fidelibus pro sigillo, pro litteris testimonialibus, pro visitandis subditis, & similibus, ad quæ ex officio tenentur. At si accipiant, etsi peccent contra iustitiam, sed non sunt simoniaci: cum non accipiatur in pretium, sed vt stipendium.

dium. Et ſic in *Conc.Trid.ſeſ.*21.*c.*1. permittitur notarijs, alias ſalarium à ſuo domino non accipientibus, accipere pro iſtis teſtimoniis, vbi de hoc ſit conſuetudo, aliquid alias non excedens decimam partem nummi aurei: dum tamen ex hoc nihil proueniat Epiſcopo, etiam indirectè.

3. Concl. Licet Epiſcopo non habenti ſufficientes redditus, & ſuis miniſtris, accipere moderatum ſtipendium pro teſtimonijs ordinum, pro viſitandis ſubditis, &c. Ita *D.Thom.* Et Papa accipiendo pro diſpenſationibus maiorem, aut minorem pecuniam iuxta earum qualitatem, id facit titulo ſtipendii, quo coerceat inimicos Eccleſiæ, &c. Et Epiſcopi accipiendo pecuniam quando abſoluunt ab excommunicatione, id faciunt in pœnam delicti, & non in pretium pro abſolutione.

Dub.7. *An ſit ſimonia accipere pretium pro omiſſione actus ſpiritualis.* 7

1. Concl. Non eſt ſimonia accipere pretium pro omittendo actu ſpiritali ad nullam poteſtatem ſpiritalem pertinenti: v.g. pro non orando, pro non intrando religionem. Nec pro omittendo actu pertinenti ad ſolam poteſtatem Ordinis, vt pro non celebrando. Quia talis omiſſio nec eſt ſpiritalis in ſe, vt patet, nec in ſuo principio: cum non procedat à poteſtate ſpiritali: Character enim non reſpicit omiſſionem Miſſæ, ſed Miſſæ celebrationem.

2. Concluſio. Accipere pretium pro omittendo actu etiam pertinenti aliquando ad poteſtatem iuriſdictionis, quando hic & nunc nec elicitur, nec regulatur ab ea, vt pro non audiendo confeſſionem, non corrigendo, &c. quando ex officio non teneris ad iſta, non eſt ſimonia. Secus ſi omiſſio talis actus ſit authoritatiuè ex poteſtate iuriſdictionis, vt ſi confeſſor audita tua confeſſione, & dictante claue te non eſſe dignum abſolutione, vendit negationem abſolutionis. Ita ***Palud.in*** 4 ***Silu. verb. ſimonia*** 9. ***Panor. in c. nemo, de ſimo.*** Quia talis negatio tunc procedit à poteſtate ſpiritali clauium conceſſa confeſſoribus. Ioan. 20. qua poſſunt ſoluere, & ligare negando abſolutionem. At ſi parochus, aut alius confeſſor neget abſolutionem non auctoritatiuè, ſed ob aliam cauſam, & vendat talem negationem, non erit ſimonia iuxta ſententiam probabilem. Quia talis negatio non procedit à poteſtate ſpiritali, quæ non dictat tunc talem negationem, ſed ex malitia procedit negantis.

L Dub. 8.

8 Dub. 8. *An liceat accipere pretium pro annexis spiritualibus.*

1. Concl. Simonia est accipere pretium pro annexis spiritualibus, sicut ab eis dependentibus, vt pro beneficijs: quia ista non possunt esse sine titulo spirituali cui annectuntur: ergo si venduntur, erit cum illo, & sic simonia.

2. Conclusio. Non est simonia accipere pretium pro annexis spiritualibus, sicut quid præsuppositum ad illa, vt sunt vasa sacra; nam ista sunt vendibilia ex se, seclusa annexione ad spiritualia.

3. Concl. Commendaturæ datæ cum obligatione militandi, & defendendi Ecclesiam, aut in præmium militiæ præcedentis, non sunt beneficia Ecclesiastica: quia vt ait Soto, non sunt annexæ titulo spirituali professionis, sed titulo militiæ: quidquid alij dicant; & sic earum venditio non est simonia. Erit autem contra iustitiam; cum sint instituta, vt præmia militantium. Nec Papa est earum dominus, sed dispensator, & sic non potest eas vendere sine causa rationabili concernente bonum Ecclesiæ, alias venditio erit nulla.

9 Dub. 9. *An sit simonia vendere sepulturam.*

1. Concl. Vendere sepulturam secundum se consideratam, vt dicit humationem corporis defuncti, non est simonia: quia ibi non est aliquid spirituale, nec defunctus illud affert, nec locus id exigit. Secus de sepultura secundũ quod quæritur à fidelibus in locis benedictis. Ita *c. non satis de simonia.* Quia sic dicit aliquid spirituale in ordine ad finem supernaturalem; quæritur enim ob religionem loci. Licet tamen accipere pecuniam pro sepultura ista titulo stipendij, aut eleemosynæ ad reparandam Ecclesiam, & alendos ministros, vt patet ex vsu taxante talia stipendia.

2. Conclus. Vendere terram necessariam ad sepulturam in Ecclesia, ex se non est simonia: cum sit mere temporale, secus ex prohibitione Ecclesiæ *in cap. non satis, de simonia.* ista enim prohibitio facta est in ordine ad reuerentiam debitam rebus sacris, & benedictioni sepulturæ. At non erit simonia accipere pretium pro sepultura in loco honoratiori, aut pro iure perpetuo ad sepulturam; ista enim sunt temporalia, & per accidens vnita spiritualitati sepulturæ. Et idem ait D. Thom. ad 3. de iure patronatus ad sepulturam, aut capellam; hoc enim est temporale, & vendibile. Secus de iure præsentandi ad beneficium. Et sic licet vendendo id cui

anne-

annectitur hoc ius, transeat cum eo, sed nihil addatur in pretio pro illo iure. Ita *c. quia, & cap. de iure, pat. De quo Armi. ver. ius patr.*

Dub. 10. *An pensiones sint beneficia.*

1. Et nota: Quod pensio est ius ad certam partem beneficij, 10
à Papa alicui consignata, aut ex eo quod diu seruiuit Ecclesiæ in temporalibus, vt militando, aduocando; seu in spiritualibus, vt docendo, prædicando, &c. Aut si alicui Ecclesiastico ob impotentiam, seu aliter, datur coadiutor, cui ex reditibus beneficii datur pensio. Aut si beneficiatus priuatur beneficio, & ei datur pensio. Aut si indigenti probo Sacerdoti, ne mendicet, datur pensio. Aut si monasterio, collegio, aut hospitali pro pauperibus assignatur pensio. Aut si ob bonum pacis inter litigantes circa beneficium, alteri vt desistat datur pensio. Et tandem voluntariè resignanti beneficium, consignatur pensio. Semper enim adesse debet vlla ex dictis causis pro consignanda pensione, alias etsi non sit simonia illam consignare sine causa, erit tamen contra iustitiam commutatiuam in ordine ad habentem beneficium, cui ex iustitia debentur omnes fructus.

1. Conclus. Pensiones consignatæ ratione coaudiutoriæ, prædicationis, aut alterius ministerii spiritualis sunt beneficia ecclesiastica, cum iam illi fructus annectantur titulo spirituali.

2. Conclus. Pensiones consignatæ ob militiam, aduocatiam, indigentiam, ob bonum pacis, aut ob resignationem, non sunt beneficia. Ita *Soto, Caietan. opusc.* 17. *resp. qu.* 10. *& Med. in sum.* §. 23. *contra Nauarr. c.* 23. *num.* 111. *& Lud. Lop. to.* 1. *cap.* 103. Et patet: Quia dictæ pensiones non consignantur titulo spirituali, sed temporali militiæ, indigentiæ, &c. Nec obligantur isti pensionarii ad aliquod munus spirituale. Nec ex vi talis pensionis tenentur recitare horas canonicas. Etsi ex decreto Pii V. in motu incipiente. *Ex proxima Late. Conc.* illi quibus conceduntur pensiones tanquam clericis, vtpotè requirendo ab eis primam tonsuram, teneantur recitare officium paruum beatissimæ Virginis; adhuc tamen istæ pensiones manent temporales. Et idem dic contra Soto de pensione consignata priuato suo beneficio: quia iam iste non habet ministerium spirituale, ob quod sibi detur pensio: sed ei datur titulo alimentorum. Nec obstat quòd istæ pensiones antea erant spirituales ex annexione ad beneficium; quia iam per Papam sunt ab eo separatæ.

Et si instes, quia istæ pensiones de licentia Papæ permutantur pro beneficijs, ergo sunt spirituales; Ad hoc dico *iuxta Adria, & Medin.* quod illa non est permutatio, sed translatio personarum, vtpotè pensionarij ad beneficium, & beneficiati ad pensionem. Ex dictis patet non esse simoniam vendere pensiones, quæ non sunt beneficia: cum sint temporales pretio æstimabiles, & pretio redimibiles. Ita *Soto* 9. *de iust.q.7.art.2.* etsi non possint redimi aut vendi sine licentia Papæ. Ita *communiter contra Nauar.c.25.n.*114. Quia etsi istæ pensiones sint factæ temporales, manent tamen sub dispensatione Papæ, & ex causa potest eas tollere.

11 Dub. 11. *An sit licita resignatio beneficiorum sub moderata pensione.*

1. Conclusio. Licita est talis resignatio certis conditionibus. Prima. Quod pacta inter partes fiant omnino libere; ita vt ante Papæ licentiam non fiat pactum irreuocabile resignandi beneficium, & soluendi pensionem: etsi possint de illo pacisci, non absolutè, sed sub pœna soluenda à primo reuocante consensum. 2. Quod non interueniat pretium pro renuntiatione. 3. Quod omnis conuentio de quouis temporali declaretur Papæ, v. g. quanta sit pensio, quibus, & cuius expensis expediantur bullæ, &c. His conditionibus erit licita resignatio Et patet ex vsu, non enim interuenit hic pretium, cum pensio non sit pretium beneficij. Et qui istas conditiones non seruat, committit simoniam, & excommunicatur, priuatur, & inhabilitatur ad beneficia omnia, & alijs pœnis punitur in motu Pij V. incipiente, Intolerabilis, Kalend. Iunij, anni 1569. *de quibus infra dub.* 16. Item resignator debet viuere viginti dies à dato consensu de resignand. Ita *in regula octaua Cancellariæ*, de infirmis resignant. Et intelligitur de infirmo resignante, non de sano. Ita *Nauar.lib.1.consil.2.cit. de renunt.*

2. Concl. Non est simonia resignare beneficium reseruando omnes fructus pro pensione: cum hoc soleat fieri de licentia Papæ: nec ibi adsit pretium, sed mere gratis fit resignatio. Sed si ista resignatio non fit in fauorem clerici diuitis, & omnino voluntarij, malè sonat. Quia tunc nec debitè Sacramenta ministrantur, nec subuenitur pauperibus, quibus parochus speciali vinculo charitatis subuenire tenetur. Item. Redditus beneficij sunt stipendia laborantium; ergo est contra ius diuinum, & naturale, quod nihil detur labo-

boranti, maximè quia in iure, *ait Soto 9. de iust.quæst.7.art.2.* cautum est, ne pensio excedat tertiam partem fructuum. Quod maximè est verum in beneficiis cum seruitio, & potissimè cum cura animarum.

Dub. 12. *An sit licita permutatio beneficiorum.*

1. Conclusio Non valet talis permutatio facta sine licentia, & causa rationabili. Patet ex varijs decretis in tit. de rerum permuta. Sed non erit simonia talis permutatio sine licentia attentata: cum non detur temporale pro spirituali, sed vnum spirituale pro altero. Nisi aliàs fiat cum permutationis pacto, aut pensionis obligatione. Quia iam daretur temporale pro spirituali. Ita *Soto, Penna. Silu. ver. sim. Adria. quodl. 9. ad 4. & Thomista 2.2. q. 100. art. 4.*

2. Conclus. Si beneficia permutanda sint inæqualia in redditibus, potest de licentia Papæ fieri compensatio in pensione, aut pecunia statim numerata. Ita *Caie. Silu. Med. in sum. §. 11. Ledes. cum Orella, tract. de simon.* Et videtur colligi *ex cap. ad quæstiones, de rerum permuta. contra Adria. quodl. 9. ad 5. Soto, & Nauarr. c. 23. nu.* 100. Et istorum ratio est, quia ille excessus est annexus præbendæ titulo spirituali. Se ista sententia procedit quando talis compensatio in pensione vel pecunia, fit sine licentia Papæ: secus si cum illa: Quia cum Papa possit separare illum excessum à titulo spirituali, & sic maneat temporalis, potest cum licentia Papæ statim pretio redimi. Ita *Ludou. Lop. c* 303.

3. Conclus. Si beneficia permutanda sint inæqualia in dignitate, habet speciem simoniæ, si fit etiam de licentia Papæ permutatio cum compensatione in pecunia. *Imo Silu. Soto, q. 7. art. 2. & Ledesm. cum Med. & Orella. tract. de simon.* dicunt esse simoniam. Sed Nauar. veriùs tenet oppositum. Quia non censetur vendi tunc ille excessus spiritualis, sed compensatio habet rationem pensionis, quam sine vitio simoniæ potest Papa dare cui velit, etsi aliàs peccet si causa deficiat.

Dub. 13. *An possim resignare tibi meum beneficinm sub confidentia, quod tu postea alteri resignabis, aut dabis mihi, aut alteri fructus beneficij, aut partem eorum: Et idem est de conferente, aut præsentante cum eadem confidentia ad beneficium.* 13

Conclusio. Si talis confidentialis resignatio fit sub obligatione ciuili, etiam implicita, erit simonia, cum illa obligatio sit pretio æstimabilis: Secùs si speretur ex gratitudine

etiam verbis explicata, cum nullum tem[p]orale detur in pretium, sed resignatio fiat omnino gratis. Si objicias: Quia Pius V. in motu cit. dub. 11. vetat sub [e]xcommunicatione Papæ reseruata, & priuatione, & inhab[il]itatione ad omnia beneficia omnes resignationes absolutè c[o]nfidentiales: Ad hoc dico *ex Nau. cap. 25. n. 103.* quòd lo[q]uitur de solis resignationibus confidentialibus aliàs simon[i]acis. Et si Ledes. tenet vetari ibi etiam resignationem sub spe gratitudinis, alias verbis, aut signis explicatam; cùm i[s]ta habeat speciem simoniæ, sed non quando spes solùm manc[et] interius.

Dub. 14. *An sit simonia dare spiritu[]ale pro munere ab obsequio, aut à lingua.*

4 1. Concl. D.Tho.art. 5. Dare ista ex pa[c]to, & obligatione pro spirituali, erit simonia: cùm vt sic sint pretio æstimabilia, Secùs si dentur ex liberalitate, ex consuetu[d]ine, aut ex honestate. Sicut nec sic mutuare esset vsura: ben[è] tamen si ista obsequia ex pacto pro mutuo darentur. Ex hi[s] patet, non esse simoniam seruire gratis Episcopo pro cõciliãda eius amicitia, vt ipse postea det gratis beneficium. Sicut nec erit vsura mutuare alteri pro eius gratia habẽda, vt sic iste postea det aliquid gratis. Nec ista obsequia habent tunc rationem pretij. Secus si Episcopus intendat à famulis seruitium in pretium ob spem beneficij, & ob hoc nullum, aut tenue salarium eis largiatur.

2. Concl. Dare beneficim consanguineo intuitu consanguinitatis, etsi possit esse peccatum mort. contra iustitiam distributiuam, vtpotè, si sit indignus: sed non simonia, *vt ait D. Tho. ad 2.* Sicut nec est vsura sic mutuare. Quia qui sic dat beneficium, aut mutuat, non accipit in pretium consanguinitatem, cum iam habeat illam Secùs, si, vt ait D. Thom. des alteri beneficium obligando eum, vt dicat se esse tuum consanguineum, vt sic nobiliteris. Hoc enim est pretio æstimabile, & esset vsura sic mutuare. Ex dictis patet: 1. Esse simoniam dare beneficium alteri, obligando eum vt te laudet coram Rege, aut vt à Rege Episcopatum tibi obtineat. *Ita colligitur ex D. Thom. ad. 3.* Quia ista tunc habent rationem pretij. Secùs si ista petantur sine obligatione. 2. Patet: Esse simoniam dare aliquid in pretium famulis Episcopi, vt intercedant pro beneficio. Sic enim paratur via ad spirituale per temporale. *Ita Soto 9. de iust. q. 7. art. 3. Nauar. c. 13. n.* 109. Secùs sit si sollicitatori Romæ instituto pro obtinendo beneficio soluatur stipendium sui laboris. Nam quod emis

à sol-

à sollicitatore, est temporale.

Dub. 15. *An sit simonia conferre beneficium ob vitandum metum amittendi aliquod bonum.* 15

1. Concl. Conferre beneficium ob vitandum metum amittendi vitam, honorem, aut amicitiam cum altero, aut aliud bonum ad quod collator beneficij habet ius ex iustitia acquisitum, non est simonia; sicut nec sic celebrare, aut prædicare: Quia metus iste non habet rationem pretij. Ita *Adrian quodlibet.9. citato & Soto.* Et idem est de conferente beneficium hac conditione, vt sibi soluatur debitum aliàs certum, *contra Pœnam, & Ludou. Lop. tom. 1.c.*304. Quia in dictis casibus datur beneficium omnino gratis, & nihil accipitur, aliàs indebitum, nec sic mutuare erit vsura. Ita *Ledesm. tract. 23. de simonia, & communiter.*

2. Concl. Conferre beneficium ex metu, quòd sibi non dabitur id ad quod quis non habet ius ex iustitia acquisitum, aut quod non conseruabitur in simili bono, erit simonia, si intersit pactum saltem implicitum inter istos, aut alios vice istorum. Quia dare beneficium ob assequendum illud bonum erit simonia, ergo similiter.

Dub. 16. *An sint pœna in iure pro simoniacis & quæ.* 16

1. Concl. Affirmatiua. Et prima pœna est priuatio beneficij, & pretij pro eo accepti, & inhabilitatio ad omnia beneficia, nec sis dominus fructus beneficij. *Ita c. si quis Episcopus, & cap. presbyterorum* 1. *q.* 1. Et solus Papa dispensat in hoc, vt patet ex c. *detestabile, de simonia.*

2. Pœna est excommunicatio. *Patet loco cit.* Et intelligitur de simonia in beneficio, Ordine, aut ingressu religionis commissa, & non aliter *contra Soto q.8. art.2.* Et per beneficium intelligitur etiam Prælatura religiosorum, sed non capellania fundata sine auctoritate Ordinarii, nec commendaturæ: cum ista non sint beneficia, nec vicaria temporalis: cum beneficium sit quid perpetuum, *secundum Felin. in ca. postulastis, de rescriptis.* Et in eodem casu excommunicantur mediatores istius simoniæ: cum sint verè simoniaci. Ita *communiter Theologi, & Canonistæ, & habetur in extraua. 2. de simonia.*

3. Pœna est suspensio à functione Ordinum simoniacè susceptorum, etiam si crimen sit secretum. *Ita D. Tho. ar. 6. ad 1.*

4. Pœna est infamia. *Patet c. sane, 15. q.3. & depositio c. sicut, de sim.* Sed ista, ait Victo, non incurritur ante senten-

 tiam

tiam iudicis, *iuxta cap. de hoc, de simon.* Et nota quòd Sixtus V. in bulla contra malos promotos ad Ordines, etiam minores, alias statuit pœnas, quas postea Clem. VIII. bul. 21. apud Manuel. Rodrig. in bullario, voluit solum habere robur contra simoniace ordinantes, & ordinatos Et sic ibi simoniace ordinantes primo suspenduntur ibi ab executione munerum Pontificalium, & à collatione Ordinum, etiam primæ tonsuræ. 2. Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ. Et si spreta dicta suspensione, aut interdicto, prædictis temere se ingerant, à regimine suæ Ecclesiæ, aut monasterij; & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum sunt suspensi, & à solo Papa dispensantur: Ordinati autem simoniacè, 1. suspenduntur ibi ab exercitio Ordinum simoniacè susceptorum, & sine spe ascendendi ad alios ordines. Et si ministrare præsumunt, fiunt irregulares, & priuati omni beneficio, & ad illud inhabiles. Et si sint regulares, priuantur etiam vtraque voce. Sed quis dispenset in istis pœnis dicetur à nobis in tract. de suspensione.

17 Dub. 27. *An dicti simoniaci in beneficio, Ordine, & religione, incurrant semper dictas pœnas.* Et sermo est de simoniaco reali, nam de mentali dicetur dub. 18.

1. Concl. Simoniacus realis, qui cum pacto saltem implicito signis insinuato dandi & accipiendi spirituale pro temporali, de facto recipit beneficium, & dat pretium, incurrit dictas pœnas, cum sit vere simoniacus. Et intelligitur si sciens, & volens, aut saltem non renuens, recepisti spirituale pro temporali. Nam si alijs procurantibus simoniam in damnum tuum, te ignorante, aut te sciente & in bonum tuum, sed te reuuente recepisti beneficium: non resignes illud; nisi postea consentias soluendo pecuniam promissam, aut reddendo solutam. *Ita cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis, de simoni.* At si non fuit facta simonia in tuam fraudem, & damnum & te ignorante, nec volente quando id noueris, teneris ratione rei acceptæ restituere beneficium cum fructibus quos habes, & id in quo factus es ditior, demptis expensis, sed non incurris alias pœnas, *vt ait D. Tho. art. 6. ad 3. & iuxta cap. ex insinuatione de simonia.*

2. Concl. Qui obligatur exteriùs dare temporale pro spirituali, aut è contra, sed sine animo obligandi se, sed recipiendi spirituale, & non dandi temporale, aut è contra, non incurrit dictas pœnas. Ita *Caiet. tom. 2. opusc. tract. 9. qu. 2. Soto 9. de iust. qu. 8. ar. 1. contra Nau. cap. 25. num. 106.* Quia

iste

iste non est verus simoniacus, cum non habeat animum emendi spirituale. Imò secundum Nauar. si accipit beneficium, non tenetur illud resignare.

3. Concl. Qui cum pacto dandi, & accipiendi spirituale pro temporali, soluit pretium, sed non recipit beneficium, non incurrit dictas pœnas, & pretium sibi restituetur. Ita *Ledesm. tract. de simon. cum Caiet. Victo. & Soto*. Quia dum non est traditum beneficium, non est consummata & perfecta simonia, sed leges solùm puniunt perfectam simoniam: ergo.

4. Concl. Qui cum dicto pacto non reuocato recepit beneficium, sed non soluit pretium, *secundum Sot. & Caiet. 2. 2. q. 100. ar. 6. ad 6.* non fit dominus beneficij, & sic demptis expensis restituet illud cum fructibus, non primo possessori, cum ad hoc sit inhabilis, sed Papæ, & incurrit alias pœnas. Sed oppositum est verius. *Ita Nau. cum aliijs ab eo relatis, & Ledesm. cum Orellan. & communiter Thomista*: cum ista non sit simonia consummata, dum non datur pretium. Et iste est stylus curiæ antiquus, qui *vt patet ex cap. ex litteris, de constit.* non solum declarat, sed facit ius. Item, in extrauag. 2. de simon. solum puniuntur simoniaci in Ordine, vel beneficio, cum ad opus dandi, vel accipiendi peruenerint. Et cum lex ista non magis loquatur de datione prætij, quam de datione beneficij, de vtraque datione eodem modo erit intelligenda. Dixi pacto non reuocato, nam in omni sententia saltem est certum, quod si detur beneficium post reuocationem pacti de dando pretium, valet collatio beneficii. *Ita Caiet. Nau. & Soto. q. 8. art. 1.*

Dub 18. *An simoniacus mentalis teneatur restituere.* 18
Et non est sermo de habente animum emendi, aut vendendi spirituale sine effectu. Quia ille, etsi sit simoniacus ob animum: sed non punitur ab Ecclesia magis, quam homicida mentalis. Sermo est de illo, qui cum dicto animo recepit de facto spirituale pro temporali, sine pacto tamen externo etiam implicito, ipsi autem contrahentes mutuò se intelligunt.

1. Concl. Probabilis est sententia affirmatiua. *Soto Victo. Penna. 2. 2. q. 100. art. 6.* Nam in foro externo, traditio pecuniæ ex vna parte, & traditio rei venditæ ex alia, etiam sine pacto externo, censetur vera emptio, & venditio. Item vsura mentalis in simili casu obligat restituere, ergo, & simónia mentalis.

2. Concl.

2. Conclusio. Probabilior videtur, & iuxta *cap. tua nos, de Simon.* sententia negatiua *Nauarri, cap.21. num.102.* vbi ait, quod est communis Theologis, & Canonistis, *Innocent. Siluest. verb. Simonia, & Caiet. cum D.Thom. art 6. ad 6.* dicente: quoad Deum sola voluntas facit simoniacum: sed quoad pœnam non punitur vt simoniacus, ita vt abrenunciare teneatur. Et patet. Iste non tenetur renunciare, & restituere iure diuino, aut naturali: Aliàs Papa simoniacè mentaliter electus non esset verus Papa: quod esset periculosum, & confusione plenum. Nec ex iure Ecclesiastico: cùm ibi non præcipiatur. Imò *in cap. mandato, de Simon.* cum glossa habetur, quod Monachi, qui dato aliquo sunt adepti locum in Monasterio, & Monasterium, quod pro illo concessit eis locum illum, non tenentur restituere, si nullum interfuit pactum externum.

Ad 1. primæ sententiæ dico, Probare ibi esse veram simoniã, sed Ecclesia non punit eam. Ad 2. negatur conseq. Quia vsurarius mentalis irrogat mutuatario iniuriam contra iustitiam commutatiuam, cuius violatio obligat restituere: at simoniacus solùm irrogat iniuriam rebus sacris contra Religionem.

3. Conclusio. Quoties tenetur restituere qui accipit pretium pro spiritualibus, ante sententiam iudicis restituetur ei, qui dedit: cùm non sit illo priuatus, & non Ecclesiæ, aut pauperibus, *contra Siluest. Caietan. Medin. Nauar. Couar. & alios.* At post sententiam restituetur Ecclesiæ, aut pauperibus. Ita *Ledesm. cum Orellam.*

QVÆSTIO QVINTA.

DE VSVRIS.

D. Thomas 2. 2. q.78.

SVMMARIVM.

An liceat accipere vsuram pro mutuo, num.1.
An liceat exigere pro mutuo aliquam commoditatem, num.2.
An liceat mutuanti deducere in pactum damnum emergens, vel lucrum cessans ex mutuo, num.3.
An mutuans possit vti pignore accepto pro mutuo, num.4.

An

An possit retinere pignus acceptum si non soluatur mutuum, n. 5.
An liceat pro periculo recuperandi mutuum aliquid accipere, num. 6.
An liceat emere debita minori pretio quam valent ob periculum recuperandi, num. 7.
An liceat emere vilius ob anticipatam solutionem, & vendere carius ob solutionem expectatam, num. 8.
An vsurarius teneatur restituere lucratum ex vsura, num. 9.
An acquirat dominium vsurarum, num. 10.
An contractus celebrati cum vsurario valeant, num. 11.
An ministri vsurarij teneantur restituere, vsurario non restituente, num. 12.
An omnes consumptores vsurarum, num. 13.
An hæredes vsurarij, num 14.
An liceat accipere mutuum sub vsuris, num. 15.
An liceat deponere pecunias apud vsurarium, num. 16.

DVB. 1. *An liceat accipere vsuram pro mutuo.* 1

1. Concl. Ad vsuram requiruntur tria. 1. Quod interueniat pactum saltem implicitum, verbis, aut signis, quibus vsurarius satis declaret mentem suam, vt si dicat, se maximè grauari ex mutuo, aut non habere aliàs quo viuat. 2. Quod interueniat mutuum saltem implicitum. 3. Quod lucrum accipiatur pro mutuo, nec sit aliàs debitum.

2. Concl. *D.Thom. art.* 1. Iniustum est accipere vsuram pro mutuo. Nam vsura est contra ius diuinum, *Luc.6. Mutuum date nihil inde sperantes*: & contra ius naturale: cùm ibi idem vendatur bis, aut vendatur quod non est. Ita *D.Thom.* Nam in rebus, quæ sunt materia mutui, vt pecunia, vinum, oleum, &c. vsus est earum consumptio, nec seorsum computantur res, & vsus eius, sed cui conceditur vnum, conceditur aliud: sed vsurarius separat ista, & seorsum vendit vsum istorum, ita vt pro vsu centum aureorum mutuatorum accipiat decem, v. g. vltra centum: ergo.

Dub. 2. *An liceat exigere pro mutuo aliquam commoditatem.* 2

1. Conclusio. *D.Thom. art.* 2. Exigere ex pacto, pro mutuo commoditatem pecunia æstimabilem, erit vsura, vt mutuare deducendo in pactum saltem tacitum, signa amicitiæ, aut remissionem iniuriæ, contra *Nauar. c.17. num.*237. Item est vsura, ait *D.Thom. ad* 4. mutuare alteri, vt obligetur remutuare,

re, aut molere etiam pretio iusto in suo molendino, seu asse- curare suam mercem, aut vt sibi concedat assecurationem suæ mercis. Ita *Sot. & Caiet.* 2.2.q.78.*art.*2. Item est vsura mutuare mulieri, vt concedat actus turpes, & mutuare Regi, vt concedat aliquod officium, aut non soluere tributa, dum sibi non soluitur mutuum, aut mutuare alteri, vt obligetur laborare in vinea mutuantis. Nisi aliàs talis contractus celebretur sub forma locationis, & pecunia non mutuetur, sed anticipatè soluatur pro labore. Ita *Bannes* 2.2.q.78. *art.*2. Item est vsura mutuare obligando mutuatarium, vt dimidium mutuum accipiat in mercibus. Secus si sine obligatione, dicendo se nolle mutuare tantam pecuniam: sed quod accipiat mutuatarius, si velit, aliquid in mercibus: tunc non erit vsura, etsi sciat mutuans mutuatarium vendito rum viliùs illas merces. Imò licet mutuans non possit obligare mutuatarium, vt illas merces sibi reuendat: tamen seclusa hac obligatione, licet mutuanti sicut & alijs, emere illas vili pretio aliorum. Quia idem est pretium iustum respectu omnium emptorum.

2. Conclusio. *D. Thom. ibi.* Licet exigere pro mutuo compensationem in rebus, quæ non æstimantur pretio, vt sunt amor, beneuolentia. Et exigere pro mutuo ex sola gratitudine rem pretio æstimabilem, non est vsura, etsi mutuans explicet se mutuare cum tali spe. Et dictæ conclusiones patent ex conditionibus dictis *dubio* 1.

3 Dub. 3. ***An liceat mutuanti deducere in pactum damnum emergens, aut lucrum cessans.***

1. Conclusio. Licet deducere in pactum damnum emergens ex mutuo, siue emergat à principio mutui, siue ex eo, quod mutuatarius est in mora reddendi mutuum, vt si habeo pecunias sufficientes pro reparanda domo, & hoc sciens adhuc mutuo repetas ea, & domus ruit, quia non fuit reparata, teneris vltra mutuum soluere, quæ desunt pro reparatione. Ita *D. Thom. art.*2.*ad* 1. Et patet; quia excessus ille non accipitur pro mutuo, sed pro damno, cuius causa est mutuatarius, aliàs de eo præmonitus.

2. Conclusio. Qui extrahit pecunias à negotiatione, eo quod non vult habere eas expositas periculo, si eas mutuet, nihil potest accipere pro mutuo. Ita *D. Thom.* Benè tamen licet exigere lucrum re vera cessans ex mutuo, vt si mutuans in gratiam mutuatarij aliàs præmoniti de tali cessatione lucri, extrahat etiam voluntariè pecunias à negotiatione. Ita communiter

muniter Canonistæ *in cap. salubriter, & cap. conquestus, de vsuris*, & Theologi *in* 4. *d.* 15 *Caietan. Bannes, & alij contra Soto, 6. de iustitia, q.* 1. *art.* 3. Et patet; quia pecunia negotiationi exposita pluris æstimatur: sicut triticum pluris æstimatur cùm est in potentia ad fructificandum, ergo si mutuatarius impedit tale lucrum, tenetur illud resarcire. Et intelligitur si mutuans non habet alias pecunias præter expositas negotiationi; nam si habet, non cessat iam lucrum; nisi decreuisset illas seruare in alios vsus; quia tunc idem est ac si non haberentur. Et sic intelligitur *Nauar. cap.* 17. *num.* 109. dicens licere mutuanti ob mercedem sui laboris, & sui famuli in numerando mutuum, aliquid accipere. Licet enim hoc ratione lucri cessantis. Quod continget si numeretur magnæ pecuniæ summa, in quo insumitur aliquod tempus, & vacant à suis negotijs, vbi tantumdem lucraretur. Secus si parua pecunia numeretur, vbi nec consumitur tantum tempus, nec cessat lucrum, nec labor numerandi est pretio æstimabilis, sed mutuo annexus, & gratis præstandus.

3. Conclusio. Licet exigere ratione mutui totum damnum emergens, sed non totum lucrum cessans, sed consideretur lucrum vt res in potentia, quæ minoris æstimatur quam res in actu. Et deducantur expensæ, & pericula, sed non labor, & industria negotiantis. Quia mutuatarius est causa, quòd iste non laboret. Et sic intelligitur *D. Thom. ad primum* dum ait, licere accipere damnum emergens, non lucrum cessans.

4. Conclusio. Mutuans potest à principio conuenire cum mutuatario de pretio lucri cessantis: at non potest illud tunc accipere, vt si mutuo centum pro decem, non possum statim accipere illa decem; quia alter tunc solum accipit nonaginta, & ex istis solis cessat lucrum.

Dub. 4. *An liceat mutuanti accipienti pignus pro mutuo vti illo, dum sibi non soluitur mutuum.* 4

1. Conclus. Affirmatiua de pignore, cuius vsus solet gratis præstari, vt est liber. Secus de vsu rei, quæ solet seorsum computari ab ipsa re, vt vsus vestis. Ita *cap. cum contra, de pignoribus, & cap. ad nostram, de iureiuran & D. Thom. ad* 6. Quia vsus iste est pretio æstimabilis seorsum ab ipsa re. Et sic si pignus sit fructuosum, fructus sunt computandi in sortem deducto labore, & expensis culturæ. Imò in sententia probabili contra *Hostien.* fructus, quos mutuans ex negligentia etiam leui ob defectum culturæ non colligit, sunt computandi,

tendi in fortem, si alias mutuatarius illos colligeret. Ità *glos. in c. cum contra. cit. & Panorm. ibi, & Ioan. And. c. 1. & 2. de vsuris, & iuxta c. grauis, de rest. spolia.*

2. Concl. Dicta doctrina regulariter est vera, sed in aliquibus casibus contingit oppositum. Primò Magnates accipientes oppida in pignus pro mutuo, iustè retinent illorum reditus non computando in fortem, eo quod illa gubernant ob quod illi reditus à vasallis præstantur. Secundò. Licet directo domino agri feudalis sibi impignorati pro mutuo percipere fructus eius non computando in fortem: si interim feudatarius liberatur à soluendo feudo. Ita *cap. 1. de feudis, & c. conquestus, de vsuris*. Quia feudatarius non habet ius ad fructus agri feudalis, nisi cum obligatione reddendi certam pensionem directo domino agri: ergo si illam non soluit, non potest fructus capere. Secus si soluit, & seruat alias conditiones feudi. Quia tunc dominus deductis expensis & labore, cæteros fructus computabit in fortem. Et intelligitur, *vt ait Silu. verb. feudum*, dum tamen ager non sit melioratus industria feudatarij Quia tunc dominus non potest capere fructus correspondentes meliorationi, etiam si alter non seruet conditiones feudi. Tertio. Licet marito dum sibi non datur vxoris dos à patre, aut alio dotante eam, accipere fructus pignoris sibi interim dati, non computando eos in fortem. Ita *cap. salubriter, de vsuris*. Quia maritus tenetur alere vxorem, & alia onera matrimonii ex dote: ergo dum non datur dos, potest ex fructibus pignoris illa prouidere: maximè si maritus, vt in Castella, teneatur conseruare integram dotem. Et etiamsi vir, & vxor habeant aliàs quo viuant. Quia non ex hoc, sed ex dote debet vir alere familiam. Imò & vxor iam vidua si adhuc non est sibi data dos potest eosdem fructus capere. Ei enim sicut & marito dantur loco alimentorum, & vt conseruet integram dotem pro alio matrimonio. Ita *Nau. cap. 17. num. 213 Silu. ver. vsura, Panorm. in cap. salubriter. Fumus, 2. 2. q. 78. art. 2. contra Host. Innocen. & Andr. ibi* Item monasterium dum sibi non datur dos monialis, potest eosdem fructus capere vltra dotem. Quia dos datur ad alendam monialem.

Sed an liceat marito accipere fructus pignoris excedentes fructus dotis? In hoc Bannes, & alii affirmant Sed probabilius videtur oppositum. Ita *Sot. 6. de iust. q. 1. art 2. & Silu. ver. vsura.* Et patet ex l. Titia, ff. de solu. vbi viduæ conceditur

ditur posse capere fructus pignoris adæquantes fructus dotis, & non plus: sed ius mariti, & viduæ in hoc est idem: imò maritus habet ius ad id ob vxorem: ergo.

Dub. 5. *An liceat mutuanti pacisci cum mutuatario, vt si intra certum tempus non soluat, cedat pignus datum mutuanti pro mutuo.* 5

1. Conclusio. Talis conditio non potest poni per modum pacti, & legis. Ita *cap. significante, de pignoribus, & l. fin. C. de pact.* Quia ad lucrum creditoris præsumitur fieri.

2. Conclusio. Talis conditio potest poni per modum lucri cessantis, aut damni emergentis, iuxta dicta, aut per modum pœnæ, vt ait *Siluest. verb. pactum*. Dum tamen, vt ait *Nauar. cap. 17. num. 215.* non soluatur ista pœna ab eo, qui ex impotentia, & sine culpa non valet soluere debitum. Quia vbi non est culpa, non debet esse pœna, vt dicitur *cap. 2. de constit. & Siluest. verb. vsura*. Et quod dicitur de pignore, intelligitur etiam de omni pœna posita non soluenti tali tempore signato, ex sua culpa. Ita *Nauar. Siluest. Scot. & Canonistæ, quos refert, & sequitur Ludou. Lop. tom. 1. cap. 218. & 221.* Quia cuilibet licet seruare se indemnem.

Dub. 6. *An liceat aliquid exigere vltra sortem ratione periculi quod meritò timetur in recuperando mutuum, aut aliud debitum.* 6

1. Conclusio. Licet mutuanti deducere in pacto vltra sortem expensas faciendas pro recuperando debitum. Imò secluso pacto tenetur mutuatarius soluere illas ratione damni emergentis.

2. Conclusio. Non licet mutuanti exigere aliquid pro periculo, & metu recuperandi debitum. Ita *Sot. 6. de iustitia, q. 4. art. 2. Bannes, & alij, quos refert, & sequitur Ludou. Lop. tom. 1. cap. 220.* Et oppositum, ait, est periculosum in fide. Quia *in cap. naniganti, de vsuris,* definitur esse vsurarium, qui recipit aliquid vltra sortem ex eo, quòd suscipit in se periculum mutui. Nec est idem de fideiussore, & assecuratore, quibus licet aliquid accipere pro periculo assecurationis. Quia ista sunt pretio æstimabilia cùm interueniat obligatio ciuilis ex parte fideiussoris, & assecuratoris: at periculum, & metus mutuantis non est quid separatum à mutuo, & sic gratis præstandus cum mutuo, quidquid dicat *Ioan. de Med. C. de restit. quæst. 38.* tenens oppositum.

An liceat emere pagam acerbam minori pretio ob periculum 7

lum recuperandi illam. Ad hoc dico 1. Non licet debenti pagam acerbam, minori pretio redimere illam, per se loquendo. Quia periculum solutionis tenet se ex parte debentis,& sic emeret suam malitiam. Dixi per se,quia si debitor timet periculum solutionis sine culpa sua euenturum ex impotentia soluendi,poterit eam redimere. Ita *Nauar. cap.* 17. *num.*202. Dico 2. Licet alijs emere minoris pagam re vera acerbam ob periculum solutionis. Ita *Adrian. Siluest. Med. citati à Bannes, art.* 4 *dub.* 5. Et patet; quia centum soluenda cum periculo æquiualent, v g nonaginta sine periculo. Dico 3. Probabile est posse emi vilius pagam, etsi non sit acerba. Ita *Caiet. verb. vsura, cap. vlt. Nauar. in Man. cap.* 17. *num.*220. & alij, qui dicunt ibi non reperiri mutuum etiam implicitum, sed veram emptionem vnius pecuniæ pro altera, aut pro iure ad illam. Sed probabilius videtur oppositum. Ita *Bannes*. Et patet; quia tanti æstimantur centum soluenda sine periculo, quanti centum præsentia. Aliàs liceret dare modò 90. pro 100. futuris, si ista æquiualent,& sic aperiretur via vsuris. Nec in hoc potest excludi mutuum saltem implicitum.

Sed an qui debet soluere centum in fine anni, satisfaciat dando creditori petenti nonaginta in principio anni. Ad hoc dico satisfacere ob lucrum cessans, aut damnum emergens cognitum à creditore. Ita *Siluest. verb. vsura*,2. *Ludou. Lop. tom.* 1. *cap.* 107. Imò & secluso lucro cessante,& damno emergente est probabile satisfacere. Ita *Armil. verb. vsura, num.* 33. *Nauar. num.* 210. Et patet ex dicto. 3. Sed oppositum est probabilius, & est *D. Thom. opuscul.* 67. *&* 73. *cap* 8. *& Anton.* 2. *par. tit.* 1. *cap.* 8. §. 3. *&* 4. *Caiet. verb. vsura, Soto, & Gabr. in* 4 *d* 15 *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 4. *Med.C de restit. q.* 38. *& Ludou. Lop.* Quia centum secura in futurum soluenda tanti æstimantur contra *Nauar.* quanti centum præsentia. Aliàs omnes vsuræ iustificarentur. Et quod habetur *l. minus, ff. de regul. iur.* minus esse habere actionem ad rem, quàm habere rem; intelligitur de actione,seu iure ad rem,quando adest periculum recuperandi illam, aut cum expensis, & labore recuperabitur. 2. Quia in isto contractu reperitur implicitum mutuum cum lucro, sicut quando venditur merces minori pretio ob anticipatam solutionem.

8 Dub. 7. *An liceat emere vilius ob anticipatam solutionem, & vendere carius ob solutionem expectandam vltra latitudinem iusti pretij*. Nam intra latitudinem pretij iusti si

vlna

vlna panni valet à decem vſque ad duodecim, licitè venditur ad creditum pro duodecim, etſi ſtatim ſoluto pretio daretur pro decem. *Ita D. Tho. opuſ. 67.*

1. Concl. Si vendantur fructus futuri, licitè contrahentes ſe committunt æquali fortunæ pro pretio, quo probabiliter valebunt fructus tempore traditionis paulo plus minusvè. Iſte enim contractus cum illo dubio probabili eſt æqualis, cum vterque contrahens committat ſe æquali fortunæ. Secus ſi emptor ſcit mercem plus valituram, aut venditor ſcit minus valituram.

2. Concl. Vſura eſt palliata, vendere cariùs ob expectatam ſolutionem, aut emere viliùs ob ſolutionem anticipatam. Ita *D. Tho. art. 2. ad 7.* Nam vendere rem valentem centum pro centum, & decem expectatis: idem eſt ac mutuare centum pro centum, & decem ſoluendis.

Et intelligitur concluſio ex natura rei. Nam ex alijs cauſis illud licebit. Primò, ob lucrum ceſſans, aut damnum emergens. Et vt hoc contingat, requiritur quòd venditores inueniant emptores ſtatim ſoluentes, & emptores inueniant alios venditores ſtatim vendentes, & quòd illæ pecuniæ, aut merces ſint ſtatim exponendæ negotiationi, de quo alter contrahens moneatur, *vt dixi dub. 2.*

2. Si venditor erat ſeruaturus mercem in tempus, quo plus valebit, v. gr. ſi ſeruo mille coros tritici in Maium, poſſum illos vendere modò pretio currente in Maium. Ita *Nauarr. c. 17. n. 242. Bann. 2. 2. qu. 77. art. 4. dub. 7. Et communiter, & habetur cap. in ciuitate, & cap. conſuluit, & cap. nauiganti de vſur.* Sed moneatur emptor de hoc, vt ſic ſit cauſa moralis, quòd modo res vendatur, & non ſeruetur, & poſtea de pretio deducantur expenſæ faciendæ pro conſeruando tritico, & pericula ſi quæ probabiliter timentur in eius conſeruatione, & habeatur ratio pretij, quo res in Maio æſtimaretur ſi vſque tunc ſeruaretur. Nam ſi mille cori tritici in Maium ſeruentur, ex copia vileſceret pretium. Et idem eſt de emente viliùs anticipata ſolutione merces vili pretio æſtimandas tempore traditionis. Licet enim emere in Maio triticum tradendum in Auguſto pro pretio Auguſti, etiamſi detur pretium in Maio, quandò plùs æſtimatur. Ita *cap. nauiganti cit.* Nam merces æſtimantur ſecundum quod veniunt in vſus hominum: Ergo cum illum triticum non veniat in Maio in vſus hominum, iuſtum pretiũ erit quo

M æſti-

æstimatur, cùm tradetur; cum & tunc consummetur v
3. In mercibus quæ ob earum copiam, aut pret
venduntur expectata solutione, etsi aliquæ istarum v
dantur data statim pecunia, qua mercatores sibi tu
mant: tamen hoc non censetur pretium iustum rema
sed aliud carius arbitrio prudentum iuxta mercium
tem, copiam, & inopiam. Priores enim merces era
neæ; quærentes emptores qui statim soluerent vt m
sibi subueniant, sed istæ quæ remanent, non sic, cum
illis multi emptores. Imo si quis statim soluat preti
dabuntur ei vili pretio primarum mercium. Et sic ca
tium istarum non soluitur ob expectatam solution
quia tanti merces æstimantur etiam dato statim pre
idem die de contractu olearum. Quæ quia in mag
paulatim traduntur emptoribus, communiter vend
pectata solutione & carius, quam ab aliquibus ob eor
gentiam oleæ venduntur dato statim pretio.
4. In contractu lanarum (quarum anticipata ven dit
dit pastoribus, vt pecunia sibi anticipatè soluta ema
pecoribus, & etiam expedit emptoribus, quibus vt mi
nas extra regnum oportet scire earum copiam, vt pr
domos adeas lauandas, & texendas) variant Doctor
Soto 6. de iust. q. 4. art. 1. ad 4. Card in sum. qu. 85. tene
emere lanas anticipatè viliori pretio, quàm quo æst
tempore traditionis. Quia dicunt, si omnes lanæ ser
vendendæ tempore traditionis, ratione copiæ non plu
marentur tunc *Medin in sum §. 23. de vsuris. Bannes,*
nes de Med de resti. q 88. art. 6. tenent oppositum. Qu
cunt, si omnes lanæ seruentur vendendæ tempore trad
etsi tunc esset copia earum, esset etiam copia emptoru
non vilescerent. Sed dico, quòd si iste contractus reg
celebretur tempore attonsionis lanarum, quando
bella non mittuntur extra regnum, non possunt ob a
tam solutionem emi viliùs, quam valent tempore et
nis. Ita *Bannes, 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 10.* Alias liceret en
liùs ob solutinem anticipatam quosuis fructus futuros
9 Dub. 8. *An teneatur vsurarius restituere lucra*
vsuris.
1. Conclus. *D. Thom. artic. 3.* Vsura fructifera re
cum fructibus; demptis expensis, & labore; quia res
fructificat.

2. Concl. *D. Thom. ibi*. Non restituatur lucrum partum ex vsura vno vsu consumptibili, vt pecunia, &c. Nam hoc lucrum non est fructus talis rei, sed industria vsurarij. Sed tenetur vsurarius restituere vsuram, aut valorem, si ipsa non manet, cum damno emergente, & lucro cessante ex detentione vsuræ, vt ait *D. Thom.* Imò si vsura erat, v. g. triticum seruatum, quando pluris vendidisti, etsi à domino non esset seruandum, restitues totum pretium, demptis expensis factis pro eius conseruatione. Nam pretium est idem cum ipsa re, & sic eiusdem domini. Et si vsura erat scuta aurea, quorum valor est auctus, si habes illa tempore augmenti, restitues ea cum augmento, aut valore. Imò si dominus erat illa seruaturus in tempus augmenti, etsi ante istud tempus distraxeris ea, restitues illa cum augmentn; aut valore, cnm istius damni fueris causa. Et idem est de tritico, &c. in simili casu, sed demptis expensis conseruationis, à domino faciendis.

Dub. 9. *An vsurarius acquirat dominium vsurarum.* 10

1. Conclusio Negatiua de vsura non consumptibili primo vsu. Ita *D Thom. art. 3. Caiet. tract. de vsur. q. 1. Siluest. verb. vsura 6. Altisio. & Ricar. contra Palud. Adia. Enriq. Scot. citatos à Bannes 2. 2. quæst. 78. art. 3.* Et patet 1. Vsurarius non fit dominus talis vsuræ per voluntatem mutuatarij, qui solùm intendit redimere suam vexationem permittendo sibi fieri talem iniuriam: nec fit dominus per legem aliquam, cum vsura vetetur lege naturali, diuina, & humana: nec fit dominus ex vi contractus mutui, quia cùm in eo ematur vsus pecuniæ, qui non est distincto pretio æstimabilis à pecunia, non transfert dominium. Sed non est alia via transferendi dominium, ergo. 2. Aliàs non teneretur vsurarius restituere fructus vsuræ fructiferæ, cùm res domino fructificet. Nec valet dicere, fructus deberi ratione moræ: aliàs si mutuatarius non esset culturus fundum, non deberentur ei fructus, quod est absurdum.

2. Conclusio etiam negatiua de vsura vno vsu consumptibili, vt pecunia, maximè dum manet impermixta cum alijs bonis vsurarij. Ita *Caiet. Soto, & Siluest. contra Doctores citatos, & contra alios etiam tenentes primam conclusionem.* Sed ista conclusio patet ex *D. Thom. ad* 3. vbi insinuat, quod in acquisito pecunia vsuraria habet vsurarius dominium, sed non in ipsa pecunia vsuraria. Et patet ex dictis *dub.* 8. de aureis restituendis cum valore aucto.

11 Dub. 10. *An contractus celebrati cum vsurario valeant.*

1. Conclusio Negatiua de donationibus, & contractibus, quibus vsurarius fit impotens ad soluendum vsuras. Ita *Sot. 6. de iustitia, quæst. 1. art. 4.* Et sic pauperes restituent eleemosynas acceptas ab vsurario. Et generi vsurarij, etiam ignorantes soceri impotentiam, restituent dotem, contra *Nauar. tract. de reddit. Ecclesiæ.* Vendentes etiam cum ignorantia, sed culpabili, superflua isti vsurario, impotenti soluere vsuras, restituent pretium. Secus de vendentibus ei necessaria ad victum, aut ad conseruationem suarum diuitiarum. Et idem de famulis superfluis vsurarij, qui restituent stipendia. Secus de famulis necessarijs pro conseruatione diuitiarum vsurarij.

2. Conclusio. Qui accepit ab vsurario vsuram non consumptibilem vno vsu, restituet eam cum fructibus, demptis expensis. Tum quia cùm vsurarius non acquisierit dominium eius, nec transtulit in alterum. Tum etiam, quia cum ista vsura sit obnoxia restitutioni obligatione reali, eadem cum fructibus est restituenda.

3. Conclusio. Fundus ab vsurario emptus, etiam pecunia vsuraria, potest vendi ab vsurario, etsi non excedat debita vsuraria. Quia iste fundus non est obnoxius restitutioni obligatione reali, sed personali. Nec vsurarius sic fit impotens ad soluendum vsuras, cùm possit soluere cum pretio fundi. Et idem est, *ait Soto*, si vsurarius emat pecunijs vsurarijs aliquas possessiones, potest venditor retinere illas pecunias. Quia etsi vsurarius non acquisierit dominium earum, vt dixi *dub.* 9. non tamen tenetur restituere easdem numero.

12 Dub. 11. *An ministri vsurarij teneantur restituere, vsurario non restituente.*

1. Conclusio Negatiua de ministris materialiter concurrentibus ad vsuras, vt sunt famuli deferentes, aut numerantes vsuras, & recipientes pignora. Ita *Siluest. verb. vsura: & alij contra Nauar. cap. 17. num. 267.* Quia isti non sunt causæ morales actionis vsurariæ. Et idem ait *Soto, 6. de iustitia, quæst. 1. art. 4. contra Ioseph. in Flo.* de seruo misso ab vsurario, vt petat simpliciter vsuras, dum tamen non instet petendo, minando, &c.

2. Conclusio Affirmatiua de ministris ad illud formaliter concurrentibus, vt sunt fautores, proxenetæ quærentes mutuatarios pro vsurario. Secus de quærentibus mutuum

sub

sub vsuris pro mutuatario. Serui etiam scribentes debita vsuraria liberantur à Soto, Silu. & Aragon. à restituendo. Sed Caietan. & Nauarr. tenent oppositum, maximè si non sit alia scriptura, qua mutuatarius soluere cogatur vsuras. Quia talis scriptura excitat memoriam vsurarij, & vt causa moralis concurrit ad exigendum vsuras, & cogendum mutuatarium, vt iuret, an ita se obligauerit. Et idem est de iudice cogente soluere vsuras, & manet excommunicatus. Idem etiam est de procuratore, aduocato, testibus: & tabellione palliante vsuram in fauorem vsurarij. Secus sit, si in nullius fauorem. Et si pallieteam in fauorem mutuatarij, erit periurus, & infidelis Reip. cui obligatur debitè exercere suum officium in neutram partem declinando, sed nihil restituet. Excusabuntur verò prædicti, si inuincibiliter ignorent aliquem contractum esse vsurarium. Ita *Nauarr. in man.c.17.nu.267*. Et si dubitent, consulant doctos, alias restituent.

Dub. 12. ***An omnes consumptores vsurarum teneantur restituere, si vsurarius non habet quo restituat? Et idem de consumente bona illius, cuius omnia sunt obnoxia restitutioni obligatione solum personali, iuxta dicenda infra qu.7. ar.7. de restitut.*** 13

1. Conclus. Vxor vsurarij, quæ sufficientem attulit dotem, potest ex bonis licite acquisitis à viro, etiam obnoxijs restitutioni modo dicto, percipere sibi, & filijs necessarium victum, sine obligatione restituendi, aut augendi bona mariti. Quia tunc vsurarius magis tenetur alere vxorem & filios, quam soluere vsuras, Ita *Lud.Lop.tom.1.c.231.*

2. Conclusio. Vxor quæ non attulit sufficientem dotem, conseruat tamen, & auget bona mariti, & filij in hoc patri seruientes, possunt accipere victum & stipendium sui laboris sine obligatione restituendi, sicut dixi de famulis necessarijs, dub.10.

3. Conclus. Vxor quæ non attulit sufficientem dotem, nec auget, aut conseruat bona mariti, non potest sine obligatione restituendi, alijs ex bonis, etiam licite à viro acquisitis, etiam durante matrimonio: cum omnia ista sint restitutioni obnoxia obligatione personali pro vsuris. Et idem est de filijs, cum non sint melioris conditionis vsurario, qui ex illis bonis non potest subuenire suis grauibus necessitatibus, sine animo restituendi necessitate transacta. Itaque vxor, &

filij non peccabunt sumendo ex illis bona necessaria pro victu; sed restituent cum commodè possint, *quidquid dicat Nauarr. num 269. contra Caiet. ver. restitu. & Silu. ver. vsura* 8. Est enim contra ius naturale velle ali ex alieno sine animo restituendi.

14 Dub. 13 *An hæredes vsurarij teneantur restituere vsuras.*

1. Conclus. Si manet res per vsuram accepta, restituatur à possessore, & alij hæredes restituent isti pro rata suæ portionis. Ita *communiter*, Quia res ista erat obnoxia restitutioni obligatione reali ipsam comitante vbicumque sit.

2. Conclus. Probabile est singulos hæredes teneri restituere solum pro rata hæreditatis. Ita *Caiet. quodl. de vsura Soto 6. de iust. quæst. 1. art. 4. Silu. ver. vsura. 6. Couarr. 3. var. 1. Bannes, 2. 2. q. 78. art. 5. dub. 4. & Led. cum Orellan. tract. de vsur. con. 26.* Quia omnes hæredes simul repræsentant testatorem, & quilibet repræsentat illum solum in sua parte. 2. Ex debitis testatori singuli hæredes hæreditant pro rata, ergo & singuli solum pro rata tenentur ad debita testatoris, & non in solidum.

3. Conclus. Probabilius reputo singulos hæredes vsurarij, sicut & furis, teneri in solidum restituere vsuras: etsi non vltra quantitatem hæreditatam. Ita *Nauarr. in man. cap. 17. num. 278. & alij quos refert & sequitur Lud. Lop. tom. 1. cap. 150.* Et patet primò. Quia iuxta *D. Thom.* Omnia bona vsurarij sunt obligata restitutioni pro vsuris, sed successio hæredum non potuit tollere istam obligationem, ergo. 2. Alias sequitur, quod si quis hæredum non possit restituere, alter solum pro rata suæ portionis teneatur restituere. Sequela conceditur à Soto, sed consequens falsum patet. Quia aliàs si apud vsurarium dimidia pars substantiæ periret, solum teneretur restituere dimidias vsuras, quod est absurdum, sed eadem obligatio comitatur substantiam vsurarij vbicumque sit, ergo.

Dub. 14. *An liceat accipere mutuum sub vsuris.*

15 1. Conclusio. *ex D. Thom. art. 4.* Non licet petere mutuum sub vsuris à non parato sic mutuare, aut ab eo, qui aliquando illud facit, & aliquando non. Quia esset inducere ad peccatum.

2. Conclusio. Licet accipere, *vt ait D. Thomas*, imò & petere mutuum sub vsuris, ab vsurario parato. Ita *Cano. & Bannes artic. 4. dub. 4. Caietan. ibi. & Nauarr. numer.*

263. Quia sic petens nec complacet sibi in peccato alterius, nec eum inducit, nec approbat peccatum vsurarii: cum iste sit animo paratus, sed vtitur eius malitia in suum commodum. Imò ob istam rationem, etsi nulla adsit necessitas, aut vtilitas, petere mutuum sub vsuris ab isto parato sic mutuare, non erit peccatum mortale, cum nec sic petendo, eum alias paratum scandalizet. Ita *Caietan. & Soto 6. de iustitia, qu. 1. art. 1. & Moderni Thomistæ contra Bannes, dub. 3. cum Durand.* Si obiicias: Non licet petere ab alio, quod non potest præstare sine peccato; sed mutuare sub vsuris est peccatum, & intrinsecè malum, vt fornicatio, ergo. Ad hoc dico, quod tota fornicatio est mala, nec vlla via honestatur eius petitio, at in mutuo sub vsuris reperitur aliquod bonum, vtpotè mutuum. & hoc directè petitur, & reperitur aliquod malum, vtpotè, acceptio vsuraria, & hæc permittitur à mutuatario.

Dub. 15. *An liceat deponere pecunias apud vsurarium.* 16

1. Conclus. Qui illud facit ex magna necessitate, & non habens vbi pecunias deponat, non peccat. Tunc enim damnum mutuarii nec est directè volitum ab isto, vt patet, nec indirectè: cum non teneatur illud vitare cum suo graui damno. Et idem est si vsurario, aliàs habenti vnde vsuras exerceat, tradas tuas pecunias, vt tutiùs seruentur. Ita *D. Thom. art. 4. ad 3.*

2. Concl. Qui præuidens damnum mutuatarii, absque necessitate dat etiam gratis vsurario pecunias, quibus vsuras exercebit, peccat mort. non peccato scandali contra vsurarium, cum iam sit ad illud paratus, sed peccato iniustitiæ contra mutuatarios. Et sic *ait D. Tho.* quod sit particeps peccati vsurarii, sicut qui dat alteri gladium, quem videt occisurum alium, quia tunc cooperatur iniustitiæ. Nam non vitando illam occisionem, cum teneatur & possit, videtur eam intendere, saltem indirectè. Non enim licet vti malitia alterius cum damno tertii.

QVÆSTIO SEXTA.

De contractibus vbi solet reperiri vsura.

ARTICVLVS I. DE SENSIBVS.

SVMMARIVM.

DVB. 1. *Quid, & quotuplex sit census.*

1. Conclus. Census est ius percipiendi annuam pensionem in pecunia, aut aliis rebus ex contractu emptionis, & venditionis. Et debet census in aliquo fundari, & solidum fundamentum ab omnibus censetur res fructifera. Imo secundum Theologos, quos refert, & sequitur Bannes contra Iuristas, stando in iure naturæ, rectè fundatur census supra personam fructiferam, vt est artifex. Nam iste potest operas suas locare, ergo & vendere ius ad illas quot annis exhibendas.

2. Conclus. Census diuiditur ex quadruplici capite. 1. Ex parte modi faciendi contractum diuiditur in censum resignatiuum, cum quis dat alteri sua bona, reseruando sibi pensionem annuam: & in consignatiuum, cum quis retinendo bona, obligat illa ad soluendum annuam pensionem. 2. Diuiditur ex parte fundamenti in personalem, qui fundatur supra personam; & in realem, qui fundatur supra rem temporalem. 3. Diuiditur ex parte pensionis, in pecuniarium, quando pensio soluitur in pecunia; & in fructuarium, quando pensio soluitur in fructibus. 4. Diuiditur ex parte durationis, in perpetuum, & temporalem. Et iste alius est pro certo tempore, alius pro certa vita.

Dub. 2. *An contractus census sit licitus.*

2 1. Conclus. stando in iure naturæ, omnes dicti census iusto

pretio

pretio facti, sunt liciti. Et sic approbantur à Mart. V. & Calixto III. cum quibusdam conditionibus in extrauagan. 1. & 2. de Emptione, & venditione, & a Pio V. in suo motu de censi. Licet lib. 5. nouæ Recopilatio. tit. 15. vetetur census fructuarius ob veritatem, quæ contingeret in soluendo pensiones frugum.

2. Concl. Stando in iure naturæ, census est taxandus, vt aliæ merces, arbitrio prudentum attento grauamine emptoris, & venditoris, vt si venditor obligetur non redimere censum, detur maius pretium, & si emptor obligetur censum extinguere redimente venditore, detur minus. Item attendatur fundamentum census, an sit firmum, pro quo detur maius pretium quàm pro tenui.

3. Concl. Census redimibiles sunt taxati in Hispania pro viginti in pecunia numerata, & coram tabellione dante fidem de his. Vbi non taxatur pretiũ versus magnitudinem, sed versus paruitatem: cum sit facta taxatio in fauorem venditorum. Sed ista taxa procedit supposita securitate census. Nam si sit periculosus, potest in foro conscientiæ minoris emi, iutxa quãtitatem periculi *Ita Bannes in tract. de censibus, dub. 3. Et Med. in summa.* Imo potest quis emere censum iam impositum minori pretio taxæ, etsi non sit periculosus, si ad id per venditorem rogatur. Quia merces vltroneæ vilescunt. *Ita Nau in Man. cap. 23. num. 91. Silu. ver. vsura, contra Medin. in sum.* §. 26.

Dub. 3. *An census redimibilis debeat habere conditiones à Papa requisitas.* 3

1. Conclusio Pius V. in motu incipiente, Cum onus, statuit decem conditiones pro istis censibus, quarum multas antea statuerant Mart. V. & Calixt. III. locis cit. dub. 2. vt notabimus. Prima conditio, quod fundetur supra rem immobilem, aut habitam pro immobili, ex natura sua fructiferam, & non supra personam. Et sic etiam statuitur à Mart. V. & Calixt. III. Ex quo patet, non posse fundari supra reditus annuos redimibiles, cum pro mobilibus habeantur: bene tamen supra reditus annuos perpetuos. Ita *Baldus & alij relati à Manu. Rud, in explicatione istius motus.*

2. Conditio, quod statuatur census de præsenti numerata pecunia coram tabellione, & testibus, & non prius recepto integro pretio. *Et ita statuitur à Mart. V. & Calixt. III.* Ex quo patet non posse institui censum de pecunijs ante debitis, cum non sint præsentes, nec numerentur coram tabellione,

&

& testibus; licet opinio opposita Manuelis videatur pia, maximè si pecunia sit debita, aut mutuata hac lege, vt si tali die non soluitur, statuatur census. Sic enim prospicitur bonis creditoris, dum non cogitur sua vendere minoris, vt soluat creditori in pecunia numerata. Et conditio Pij V. posita ad obuiandum fraudibus regulariter hic euenientibus, temperatur in hoc casu per epicheiam, vbi deficit finis legis istius, & aliàs si modo seruetur, imminet damnum debitori, vt dixi. Et si Papa de hoc casu consuleretur, declararet non currere in eo suam legem.

3. Conditio. Solutiones pensionum non fiant anticipatè.

4 Conditio. Conditiones, & obligationes de casibus fortuitis sint nullæ. Et huc tendit 8. Conditio, vtpotè, quod pereunte hypotheca census absque culpa, scilicet, venditoris census, pereat census: cùm res domino pereat, vt etiam dicunt Martinus V. & Calixtus III. Et minuatur census minuta hypotheca, si taliter minuitur, quod non potest solui integra pensio. Ex quo colligit *Manuel Rodr.* obligationem, qua censualista obligat se, & sua ad securitatem hypothecæ census, sicut & alterius rei ab eo venditæ, esse nullam, & contra naturam contractus emptionis, & venditionis, de cuius ratione est, vt res vendita suo domino pereat.

5. Conditio. Quod liberè possit vendi hypotheca census sine obligatione dandi aliquotam pretij: sicut in censibus perpetuis soluitur decima pars domino census, ex eo quod est directus dominus hypothecæ, etsi alter habeat dominium vtile. At si vendatur hypotheca census, vult Papa, quod dominus census alijs præferatur, & ei denuntientur conditiones, quibus venditur, & exspectetur per mensem.

6. Conditio. Quod sit irritum pactum soluendi vltra pensionem, lucrum cessans ex mora soluendi pensionem, aut certa salaria, seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut hypothecam, seu eius partem amittere, aut aliud ius perdere, aut in aliam pœnam cadere, aut quod teneatur ad cambia, vel ad pensionem. Et intelligitur hoc quantum est ex parte pacti. Nam si aliàs morosus debitor tenebatur iure naturæ ad damnum emergens, vel lucrum cessans, non excusatur ista lege, vt ait *Bannes*. Et notat, quod in contractu census licitè ponitur conditio deferendi pensionem ad domum censuarij, & soluendi expensas factas in repetendo pensionem. Nam ad ista tenetur venditor census ex natura rei. Nec obstat ista

6. con-

6. conditio, quæ solùm loquitur de taxatis expensis, & salarijs, aut iuramento creditoris liquidandis. Imò & hoc communiter non seruatur, sed salaria taxantur.

7. Conditio, Census semel fundatus nec augeatur, nec minuatur super eadem aut alia re, in fauorem emptoris.

De 8. conditione dixi in 4.

9. Conditio. Venditor census possit, quando velit, illum extinguere pretio quo vendidit, non obstante præscriptione centum, aut plurium annorum. Et sic etiam statuit Martinus V. & Calixtus III. Ex quo patet, non valere censum cum pacto, vt fiat perpetuus, si intra certum tempus non redimatur. At fideiussor venditoris census potest cum venditore pacisci, vt intra certum tempus redimat censum, vt sic liberetur ab onere fideiussionis, dum hoc fiat sine fraude, & non in fauorem emptoris census.

10. Conditio, Quod sit nullum pactum, si sit, quod pretium census ab inuito soluatur; id est, quod non fiat pactum retroemendi; nisi quando venditor volens redimere censum, ante duos menses moneat dominum, ad quod tenetur. Quibus mensibus transactis statuit Papa, vt dominus census possit ab inuito repetere pretium intra annum, & si non repetitur pretium; ei tamen facultas maneat redimendi censum, cum velit, ita vt census non fiat perpetuus. Et declarat Papa, quod pretium semel statutum non crescat, vel minuatur ob temporum, aut personarum qualitatem. Et quod dictæ conditiones seruentur, siue quando census de nouo creatur; siue cùm iam creatus venditur. Et sic etiam statuitur ista conditio à Martino V. & Calixto III.

2. Concl. Aliquibus videtur istum motum Pij V. non habere tantam vim, saltem in foro externo, eo quod in Hispania sit ab eo supplicatum, nec vsu receptum, vt patet ex comitijs generalibus Matriti, anno 1583. cum supplica suspendat executionem, dum Papa monitus de inconuenientibus aliud non iubet, iuxta *cap. si quando, de rescriptis*. Sed alijs doctissimis oppositum videtur, & quod saltem obligat in conscientia. Viri etiam timorati illud seruant, & in tribunalibus Regijs admittitur. Ita *Medin. in sum. & Bannes dub.* 5. Et patet 1. quia istæ conditiones sunt conformes iuri naturali. Nam cùm contractus census sit palliatiuus vsurarum, dictis conditionibus obuiatur istis periculis. Item plures ex dictis conditionibus erant iam statutæ, vt vidimus, à Martino V. & Calixto III. Ergo 4

saltem

saltem de illis, imò nec de alijs, est dubitandum, vt ait *Nauar. in Man.cap.17.num.235.* Et cùm dicitur supplicam suspendere executionem, intelligitur de particularibus rescriptis alicui directis pro casu particulari. Secus de legibus generalibus toti Ecclesiæ pro eius conseruatione. Quia cùm lex consulat bono communi, & lata sit iuxta dictamen rationis, vult Papa, quod non suspendatur eius executio interposita supplica, etsi aliqui ex illa grauentur. At præceptum litterarum particularium facit quoddam ius particulare, iuxta illa, quæ ex parte petentis allegantur, aut proponuntur, in quo cùm possit esse error ex sinistra relatione, non mirum si velit Papa, vt spectetur secunda eius iussio, vt executioni mandetur.

5 Dub. 4. *An liceat redimere censum per partes.*

1. Conclusio. Vna conditio ex positis à Martino V. & Calixto III. erat posse censua'istam redimere censum per partes, sed non ponendo eam Pius V. in suo motu videtur eam reuocasse, dum non sit aliqua lege vetita, si vt ait *Bannes dub. 6.* minuatur de pretio census, & tanto magis, quanto per minutiores partes sit conditio, vt redimatur. Sicut è contra potest poni conditio, vt non redimatur nisi totus simul, si augeatur pretium eius.

2. Concl. Seclusa obligatione ex parte vtriusque, non est cogendus emptor acceptare redemptionem census per partes minimas. Tum quia ipse emit integrum censum. Tum quia redemptio ista est damnosa emptori, cùm pecunia sic in partes diuisa, non sit ita vtilis, nec tanti æstimetur, ac simul sumpta. Ita *Bannes*. At in foro externo cogetur emptor acceptare istam redemptionem per medietates.

6 Dub. 5. *An liceat emere censum, aut alia, cum pacto retroemendi, idest obligando venditorem, vt in certum tempus iterum emat illum; aut cum pacto retrouendendi, id est, obligando emptorem, vt intra certum tempus; aut cùm venditor velit, iterum vendat eum sibi.*

1. Conclusio. Emere censum, vel alia fructifera, cum pacto retroemendi, est vsura. Nam ibi reperitur implicitum mutuum cum lucro, dum obligatur venditor redimere vltra fructus perceptos. Secus, si res empta non sit fructifera, vt liber. Quia tunc erit velut impignoratus pro mutuo. Secus etiam erit, si ematur res etiam fructifera, sed non cum pacto emendi pretio, quo est empta, sed quo valebit quando iterùm emetur, & aliàs pro ista obligatione reemendi eam recom-

compensetur onus venditoris, dando ei maius pretium, quàm daretur secluso dicto pacto.

2. Concl. Licitus est contractus ille cum pacto retroendendi cum tribus conditionibus. Primo. Si non fiat ex parte emptoris simulatè, animo mutuandi potius, quam emendi. Ita *Siluest. ver. usura 2. Nauar. c.* 17. *n.* 247. Et tunc deficit ista conditio quando emptor obligat venditorem, vt subeat periculum rei emptæ, & in omni euentu reddat totum pretium datum, etsi res casu pereat. Quia res domino perit sicut & fructificat. Et 2. Si ob istam obligationem reuendendi rem emptam, minuatur aliquid de pretio iuxta æstimationem dictæ obligationis, cum sit pretio æstimabilis, res cum illo onere minoris æstimetur. Et 3. si non fiat pactum à principio de redimenda re empta certo pretio, sed quo æstimatur quando redimitur. Ita *Nauar. num.* 148.

3. Concl. Emptor potest pacisci cum venditore, ne intra quinquennium redimat rem emptam, aut vltra decennium. Ita *Siluest. & Nauarr.* Quia sic emptor iustè seruat se indemnem: dum sine dolo intendit facere meliorationes in fundo empto. Et nota, quod talis emptor potest certa pensione locare fundum sic emptum venditori, sicut alteri, dum tamen non vtatur dolo, nec obliget venditorem, vt eum sibi conducat.

ARTICVLVS II. DE CONTRACTV ASSEcurationis, & societatis.

SVMMARIVM.

Quid sit assecuratio, & an sit licita, num. 1.
An liceat locare pecora pro certa pensione, cum obligatione conseruandi illa integra, num. 2.
Quid sit societas, & an sit licita, num. 3.
An contractus societatis, assecurationis & emptionis possint cum eodem celebrari, num. 4.

DVB. 1. *Quid sit assecuratio.* I

1. Conclusio. Assecuratio est pactum de suscipiendo quis in se periculum rei alienæ accepto pretio. Vbi requiritur 1. Quod assecuratus habeat bona periculo exposita. 2. Quod assecurator habeat bona quibus suscipiat in se periculum rei assecuratæ. Et contractus iste factus iusto pretio,

at-

attentis periculis valet. Quia illa periculi susceptio est pretio æstimabilis. Sed tenetur assecuratus explicare assecuranti spe alia pericula rei assecuratæ, alia non potest recipere pretium nauis assecuratæ, si per aliam viam nauigando perijt.

2. Concl. Si assecurator non habet bona, contractus ex parte eius est iniustus; quia alteri irrogat iniuriam relinquendo eius rem sub periculo, quam alius assecuraret. Et sic iste nil potest recipere pro assecuratione, cum non susceperit in se periculum assecurationis, sed maneat res ita sub periculo, sicut ante assecurationem, cum non habeat quo soluat, si res pereat. Nec potest pretium illud accipere pro periculo carceris, & aliarum vexationum: cum ista sint inutilia assecurato, & accidentalia ad iustitiam contractus. Et licet Man. Rodrig. *in sum. 2. par. cap.* 105. dicat assecuratorem habentem bona adæquantia dimidias merces assecuratas, posse recipere dimidium pretium assecurationis, quia in illa parte assecurauit bona mercatoris, & tenebitur reddere illam dimidiam partem, si res assecurata pereat: sed probabilius est oppositum. Ita *Bannes*, maximè si facilè possent haberi alij, qui assecurarent omnem mercem. Quia ille contractus, vtpotè celebratur ex ignorantia antecedenti, & dante causam contractui, fuit inuoluntarius ex parte assecurati, & sic nullus. Vnde ex vi illius nil potest recipere assecurator, etsi teneatur soluere bona quæ habet, si merces pereant, non ratione dicti contractus, sed ratione iniuriæ alteri illatæ ob dictum dolum.

3. Concl. Si iste contractus celebretur fictè ex parte assecurati dicentis in naui vacua esse merces mille ducatorum, ex parte eius erit iniustus iste contractus, vtpotè celebratus ex ignorantia antecedenti ex parte assecurantis, qui non assecuraret si sciret nauem esse vacuam. Sed erit validus contractus, si aliàs ex parte assecurati ponitur tanta diligentia in seruanda naui vacua, ac si esset mercibus onusta. Quia iam periculum est idem, siue deficiant merces, siue non. Ita *Bannes*.

2 Dub. 2. *An liceat locare oues, aut boues pro certa pensione, cum obligatione conseruandi integrum numerum ex fœtibus.*

1. Concl. Id non licet in pecoribus infructuosis, vt in bobus. Quia cum per contractum locationis non transferatur dominium, periculum sicut & commodum cedent locanti,

2. Si

1. *Si* alteri locas bouem, aut das decem aureos pro emendo eum, obligando illum vt post tempus locationis reddat illos decem aureos, aut bouem ita sanum ac recepit, cum pretio locationis, committis vsuram, *vt ait Medin. in sum. §. 27. de contrac. socie.* Quia idem est, ac mutuare decem, vt reddantur duodecim, cum conductor suscipiat in se periculum rei locatæ contra rationem locationis, & de ratione mutui, sed idem fit hic, ergo.

2. Concl. Si iste contractus fit pecoribus fructuosis, & alias tanta petatur pensio, quod æquiualeat fœtibus pecorum erit vsura. Secus si depensione iusta pro locatione tantum remittatur, quod æquiualeat oneri, quod subit conducens in assecurando numerum ouium sibi locatarum, ex fœtibus supplendum. Sicut licet mutuare alteri obligando, vt molat in molendino mutuantis, si pro illa obligatione demat de pretio molituræ.

Dub. 3. *Quid sit societas*. Conclusio. Societas est conuentio, seu pactum quorumdam ad negotiandum lucri gratia. Et vt valeat iste contractus, requiritur. 1. Vt pecunia sociorum exponatur negotiationi, & æquali periculo. Nam si exponis negotiationi mille, ita vt alter socius ponens industriam valentem mille, in omni euentu reddat tibi tuos mille, aut partem cum lucro, erit vsura damnata, l. si non fuerit, ff. pro socio. 2. Requiritur, quod lucrum diuidatur inter socios iuxta proportionem rerum & industriæ singulorum. 3

Dub. 4. *An isti tres contractus, societatis, assecurationis, & emptionis lucri possint cum eodem celebrari.* 4

1. Concl. Contractus societatis, & emptionis lucri possunt fieri cum eodem. Ita *Bannes, & communiter*. Non enim addaret vsura, cum maneat societas, & pecunia negotiationi exposita, quæ non perit ementi lucrum, sed vero domino. Et idem est, *vt ait Soto, & Bannes*, de contractu societatis, & assecurationis cum eodem, vbi nec tollitur societas, nec inducitur mutuum, *vt ait Soto, & Bannes*: cum assecurator non possit extrahere pecuniam assecuratam à negotiatione in alium vsum, ergo ibi non est mutuum, cum per mutuum transferatur dominium.

2. Concl. Dicti tres contractus possunt successiuè cum eodem fieri, si pecunia est iam negotiationi exposita. Imò, & à principio possunt cum eodem fieri cum pacto exponendi illam negotiationi. *Et ita intelligitur Silu. ver. societas. 2.*

Co-

Couar. 3. *var. nu.* 45. Nauar. *c.* 17. *nu.* 25. *Caiet. opusc.* 17. *resp.* 11. *& Medin. in sum.* §. 17.

3. Concl. Ablato dicto pacto non possunt dicti tres contractus fieri cum eodem à principio. Ita *Soto* 6. *de iust. qu.* 6. *art.* 2. *Bannes Aragon. & Man.* Rod. *in sum.* 1. *p. cap.* 46. *n.* 2. Quia tunc destruitur societas, cum assecurator fiat dominus capitalis, & possit illud extrahere à negotiatione, & sub nomine societatis est verum mutuum. 2. Si sit æquale pretium assecurationis, & lucri, erit contractus ridiculus, & verum mutuum gratiosum. Et si detur maius pretium pro assecuratione, quam pro lucro, fit iniuria assecurato, recipiendo minus quam posuit in negotiatione, & sine spe lucri. Et si sit maius pretium lucri quam assecurationis, fit iniuria assecuratori, dum alter illum obligat, vt reddat secura mille & centum, quod est accipere lucrum ex mutuo.

ARTICVLVS III. DE CAMBIIS.

SVMMARIVM.

An in mutatione vnius pecuniæ pro alia, liceat aliquid accipere vltra pretium, num. 1.
An cambium ratione loci sit licitum, num. 2.
An sit licitum ratione custodiæ, num. 3.
An liceat per cambium dare minorem summam pecuniæ in vno loco, vt in alio recipias maiorem, & è contra, num 4.
An liceat commutare pecuniam eiusdem valoris, vt ea detur alibi, vbi pluris valet, num. 5.

1 CAmbium est permutatio vnius pecuniæ, aut rei, pro altera. Et est multiplex, cuius iustitia examinabitur sequentibus conclusionibus.

1. Concl. Licet cambire pecuniam inferiorem pro superiori, addendo aliquid pro superiore, iuxta copiam aut inopiam superioris, vt pro scuto aureo licet accipere 14. argenteos. Ita *Bannes, tract. de camb. dub.* 2. *Cano Sot.* 6. *de iust. q.* 9. *art.* 1. *& Med in sum. contra Ioan. de Med. q. de cambijs, & alios.* Et patet. Quia etsi pecunia aurea in ratione pretij non sit pluris æstimanda, quam sit ei lege taxatum, ob quod qui debet centum non satisfacit dando nonaginta in auro, quibus æquiualent illa centum in ære; at ob alias commoditates

ditates deaurationis, medicinæ, facilioris asportationis, &c. Pluris æstimatur, *vt etiam sentit Caiet. opusc. de camb. c. 6. Siluest. verbo, vsura* 4. Ex quo patet, quod si emendo aliquid cogaris soluere in auro, ob hoc potes minuere de pretio. Et si mutuas centum aureos, licitè obligas, ait Silu. mutuatarium vt si soluit in ære, reddat aliquid vltra sortem. Et ad idem teneris, si furatus es centum aureos: cum dominus sit in toto illo damnificatus.

2. Concl. Cambium ratione loci iusto pretio factum est licitum, vt si per schedulam mittis alterius pecunias à Toleto in Romam, potes ob hoc aliquid accipere: cum facias in hoc officium agasonis, & excuses alterum ab expensis, & periculis asportationis. Imò si petis hic pecunias reddendas Romæ, & & expedit mihi asportare huc ex Roma meas pecunias, qui tunc præuenit alterum potest pro cambio aliquid accipere. Quia in hoc solum attenditur natura contractus. 2

3. Concl. Cambium ratione officij est licitum, & Reip. vtile. Et iste campsor pro obligatione potest accipere plus, quam alij campsores voluntarij.

4. Concl. Licitum est cambium ratione custodiæ, vtpotè, cum campsor habeat alterius pecunias, vt visis suis schedulis det pecuniam ibi signatam. Sed iste campsor recipiet stipendium sui laboris ab eo, cuius pecunias custodit: cum ei seruiat, & sit eius fideiussor, & non ab eo cui numerat pecunias, eo quod ei illas statim numerat. Quia iste dedit domino pecuniæ mille, v.g. ergo damnificatur, si non reci pit totidem. Nisi alias mercator cui seruit mensarius accepit ab eo, cui dat schedulam mille pro mille & decem: tunc mensarius licitè accipit ab isto illa decem. Et ita intelligitur Soto, 6. *de iust. q.* 11. *art.* 1. Ex dictis patet, esse iniustos mercatores qui ex eo quod deponunt pecunias apud mensarios, accipiunt pretium ab eis: eo quod isti illis pecunijs lucrantur. Imò mercatores tenentur dare aliquid mensarijs pro pecuniarum custodia. 3

5. Conclusio. Licet cambire monetam, ita vt vbi est copia illius, plus recipiatur, & vbi est inopia detur minus vsque ad valorem pecuniæ prius receptæ. Qui enim dat Romæ decem, iustè recipit Toleti duodecim, quibus æquiualent. Imò ibidem alio die potest recipere quatuordecim pro decem. Nam in his cambijs est vera emptio vnius pecuniæ pro altera, & pretium pecuniæ emptæ, & sicut aliarum mercium variatur ex copia, & inopia earum, & emptorum,

Et sic decem quæ hodie Romæ iustè venduntur pro duodecim dandis Toleti ob inopiam cambientium, & copiam monetæ, cras iustè venduntur Romæ pro 14. dandis Toleti ob eius inopiam, & copiam cambientium. Nam inopia totius generis monetæ, si non proueniat ex monopolio, aut alia culpa cambientium, iustè auget pretium cambiorum. *Sed nota* 1. Non licere cambire sic pecunias intra regnum ab vno in alterum oppidum, si facilè pecunia, vtpotè aurea vel argentea, huc & illuc asportatur: cum hoc vetetur *lib.5.nou.Recop.tit.18.lib.8* *Nota* 2. Esse iniustum cambium. v.g. à Roma in Metinam, sic vt pretium datum Romæ soluatur Metinæ in proximis nundinis, & si tunc non soluitur, soluatur cariùs in secundis nundinis, & cariùs in tertijs, &c. Nam tunc crescit pretium ob spectatam solutionem. *Nota* 3 Esse licitum cambium vbi pretium relinquitur taxandum secundum quod curret in proximis nundinis, vt fit in alijs mercibus. Sed non licet statim determinare pretium minus pro proximis nundinis, si probabiliter creditur fore maius, secus si vterque contrahens se committit æquali fortunæ. Nec licet cambire modo pecuniam pro pretio futuri temporis. Nisi alias campsor esset eam seruaturus in tempus, quo plus æstimabitur. Eadem enim est ratio de pecunia, ac de alijs mercibus. *Nota* 4. Cambium istius conclusionis esse celebrandum attenta æstimatione pecuniæ quando celebratur, v.g. si recepisti Metinæ decem dabis Romæ duodecim, si æquiualent, quando ea recepisti Metinæ, etiamsi augeatur, aut minuatur valor pecuniæ ante præsentatam tuam schedulam. Quia copia aut inopia superueniens nec auget, nec minuit pecuniam iam in schedula signatam.

6. Conclusio. Cambium siccum, vbi petis à campsore, v. g. decem vt post duos menses des eos aut valorem Romæ, sed non intendis soluere Romæ sed hic, dato aliquo vltra sortem ob cambium, est vsurarium. Quia hoc non est cambium, sed verum mutuum cum lucro ob expectatam solutionem.

5 7. Concl. Non licet commutare pecuniam eiusdem valoris, vt eadem detur, vbi pluris æstimatur, aut quando fit auctus eius valor, si alias non esses illam seruaturus in tempus augmenti, vel delaturus vbi pluris æstimatur, & de hoc alter moneatur, vt dixi de tritico, *quæst.5.dub.7.* Nec est idem de mutuante tres modios tritici, v.gr. in Augusto, quando vi-

lius æstimantur, vt totidem recipiantur in Maio, quando pluris æstimantur, dum tamen non obligetur mutuatarius reddere illos tunc; sed cùm velit. Quia triticum idem est, & æque vtile in Augusto, & Maio, etsi extrinsecè varietur pretium, non sic pecunia. Et intelligitur conclusio de pecunia in ratione monetæ. Nam considerata in ordine ad alias vtilitates, potest campsor obligare accipientem monetam auream reddere idem pondus auri, etsi valor sit auctus. Aliàs grauiter læderetur. Sicut licet valor sit diminutus, satisfaciet alteri in eodem casu reddendo idem pondus.

ARTICVLVS IV. DE MONTE PIETATIS.

SVMMARIVM.

Quid sit mons Pietatis, n. 1.
Cum certis condtionibus approbatur ab Ecclesia, n. 2.

MOns Pietatis est cumulus rerum quæ sunt materia mutui, statutus pro mutuando pauperibus sub pignore vendendo, si non redditur mutuum tempore signato, vbi mutuatarij reddunt aliquid vltra sortem non pro mutuo, nec pro augendo monte, sed solum pro alendis ministris seruantibus montem in vtilitatem & seruitium pauperum. Et mons iste istis conditionibus approbatur à Paulo II. Sixto IV. Innocent. 1
VIII. *Et in Conc. Trid. sess. 22. c. 8. & 6.* numeratur inter opera 2
pietatis. *Et in Conc. Later. 3 ses.* 10. approbatur, & excommunicantur oppositum asserentes. Et sic Caiet. oppositum tenens anno 1498. in opusc. de hoc: assistendo postea in isto Conc. vt magister nostri Ordinis Prædicatorum, anno 1515. cum illa sessio. 10. celebrata est, retractauit sententiam, approbando acta Concilii cum omnibus patribus isti astantibus, vno excepto Hieremia Episcopo Tranensi. Si obijcias non omnia acta illius Concilij maximè censuræ, esse recepta, vt ait Soto, & alij. Et saltem de hoc ambigitur à Caietan. ver. excommunicatio, & à Miranda, in summa istius Concilii. Ad hoc ita esse dico, loquendo de legibus ibi statutis: secus sit de declarationibus iuris diuini, aut naturalis: quæ inter diffinitiones fidei numerantur. Cuiusmodi etiam est declaratio monte Pietatis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

DE RESTITVTIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 62.

ARTICVLVS PRIMVS.

SVMMARIVM.

Quid sit iustitia & quotuplex. num. 1.
An restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, n. 2.
Vnde oriatur obligatio restituendi, num. 3.

1 *AN restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ. Nota* 1. Quod iustitia est vna ex quatuor virtutibus cardinalibus. Et definitur à *D. Tho.* 2.2.*q.*58.*art.*1. Quod sit perpetua, & constans voluntas ius suum cuique tribuens. Vbi voluntas sumitur pro actu voluntaris firmo, quo cuique ius suum tribuitur. Et diffinitur modo iustitia per suum actum cum per actum habitus specificetur. Et cum dicitur, quod iustitia est actus voluntatis, intelligitur non formaliter sed causaliter. At in forma scholastica sic diffinitur. Iustitia est habitus, quo constanti & perpetua voluntate ius suum cuique tribuitur. *Not.* 2. Quod iustitia alia est generalis seu legalis, cuius est ordinare homines, & eorum bona immediatè in bonum commune. Alia particularis, cuius est ordinare prædicta immediatè in bonum singularis personæ. Et iustitia legalis, alia est legalis strictè dicta: quæ intendit immediatum finem legis: alia est epicheia, quæ intendit finem mediatum, & extrinsecum legis, v.g. finis immediatus legis vetantis triticum deferri extra regnum est, vt sit copia panis: & finis mediatus, & principalis est conseruatio Reip. Item iustitia particularis alia est distributiua, quæ dirigit ordinem totius ad partes, siue bonum commune in bonum partium. Alia est commutatiua, quæ dirigit ordinem vnius personæ ad alteram. Ex dictis colligitur.

2 1. Conclusio. Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ. Ita *D. Thom. artic.* 1. Quia iustitia commutatiua respicit æqualitatem rei ad rem: sed per restitutionem statuitur *ista* æqualitas: cum restituere, *ait D. Thom.* sit alterum iterum statue-

tuere in possessionem integram rei suæ : ergo. Et nota, quod etsi cùm distribuuntur ciuibus bona communia, debeantur eis ex sola iustitia distributiua: tamen distributor tenetur ex iustitia commutatiua ea distribuere iuxta normam iustitiæ distributiuæ, attendendo qualitatem, & merita personarum iuxta proportionem ad quantitatem boni communis. Et si alicui non detur sibi sic debitum, distributor ei, aut suis hæredibus, ad æqualitatem restituet. Ita *D. Thom. ad 3.*

2. Conclusio. Obligatio restituendi oritur ex duplici capite. 1. Ratione rei acceptæ, vtpotè, cùm habeas alienum à domino, vel alio acceptum. 2. Ratione acceptionis, siue iustæ, vt in mutuo, & deposito, siue iniustæ, vt in furto. Et nomine acceptionis intelligitur omnis actus, quo quis habet minus quam debet habere, etsi res accepta non maneat apud accipientem eam: vt abscissio manus, combustio domus. Et nomine acceptionis etiam intelligitur iniusta detentio alieni. Et nota, quod aliquando quis restituere tenebitur ex vtroque capite, vt patet in fure retinente furtum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Quid, & quomodo teneatur restituere iniquus distributor bonorum communium, num. 15.

1 **A** *N restitutio ablati sit necessaria ad salutem.*

1. Conclusio. *D. Thom art.* 2. Affirmatiua. *Ad Rom.* 13. *Nemini quicquam debeatis*. Et August. epist. 54. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. vtpote, si restitui potest. 2. Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quo eius inæqualitas reparatur: sed conseruatio iustitiæ est de necessitate salutis: ergo.

2. Conclus. *D. Thom. art.* 8. *ad* 1. Præceptum restituendi est affirmatiuum, cùm per actum positiuum impleatur, & omissione violetur. Sed reducitur ad præceptum non furandi. Et ideò includit istam negationem, non retineas alienum. Et ob id habet istam conditionem præcepti negatiui, quod obligat semper, & pro semper, vt dicetur *art.* 8.

2 Dub. 1. *An qui lædit in spiritualibus, teneatur restituere.*

1. Conclusio. Qui in istis lædit, vi scilicet morali, vt si metu graui cogatur mulier ad coitum, aut dolo, contra *Bannes*, suadendo v. g. aliquem errorem, seu baptizando, siue absoluendo sine intentione, restituet tollendo vim, aut dolum. Et si sic læsus nolit resipiscere, censetur voluntariè manere in peccato, & veluti condonare restitutionem. Ita *Soto* 4. *de iustitia, q.* 6. *art.* 3. *& alij hic.*

2. Conclusio. Qui sine vi, & dolo alterum ad peccandum induxit, peccauit contra charitatem, & tenetur ex charitate strictius alijs corrigere; cùm eum scandalizauerit; sed non ex iustitia, & sic nil restituet. Quia scienti, & volenti non fit iniuria. Et etiam alter liberè omninò consensit in peccatum, & eadem libertate potest resurgere à peccato.

3 Dub. 2. *An auocans alterum à Religione teneatur restituere.*

1. Concl. Auocans alterum à Religione, vi, aut dolo, detinendo eum, aut detrahendo Religioni, restituet: non intrando ipse Religionem, sed tollendo vim, & dolum, & suadendo reuersum Religioso, cui est facta iniuria tollendo eius libertatem per vim, aut decipiendo ipsum per dolum. Qui enim per dolum alterius mutat propositum, non mutat voluntariè. Et si iste nolit reuerti, restituet alter Religioni famam sua detractione ablatam, & etiam bona, quæ Religio esset perceptura ex tali Religioso. Quia etsi Religio solùm habeat ius ex mi-

seri-

sericordia ad bona Religiosi, tamen habet ius ex iustitia, ne alter vi, aut dolo impediat illam eleemosynam, vt alius pauper, Et idem est à fortiori de professo vtili dementato; vel vi, aut dolo à Religione extracto. Et nota, quod Eugenius IV. Bulla 7. & 8. relata in compendio Manuelis Rodriguez, excommunicat impedientes alios intrare Religionem, aut eos à Religione extrahentes, & extrahentes, & detinentes Religiosos professos sine consensu suorum Prælatorum. Et *in Concil. Trident. sess. 25. cap. 18.* excommunicantur qui sine iusta causa impediunt sanctam mulierum voluntatem veli accipiendi, aut voti emittendi, & cogentes mulierem, nisi in casibus in iure expressis, ad ingressum Monasterij, aut ad habitum accipiendum, vel professionem emittendam, & consiliantes, auxiliantes, fauentes, præsentiam, consensum, authoritatem tali coactioni dantes.

2. Conclusio. Auocans alterum à Religione sine vi, aut dolo, sed consulendo bona fide, vt alat parentes, aut quia scit illi non conuenire Religionem, aut non duraturum in ea, nec peccat, nec restituet; cùm nec ei, nec Monasterio sit allata iniuria, vt patet. Imò etsi illud faciat sine causa, sed ex affectu ad amicum, aut etiam ex odio ad Religionem, dum absit vis, & dolus; etsi ob odium peccet contra charitatem, sed non contra iustitiam. Cùm Religio solùm ex misericordia habeat ius ad bona religiosi, & sic nil restituet. Et idem est de extrahente sine vi, & dolo à religione professum vtilem, cùm Monasterium ex sola virtute religionis habeat ius ad istius opera. Nec est idem de consulente seruo fugere dominum: cùm dominus habeat ius ex iustitia ad personam serui, vt ad alias possessiones suas, & alias causa consulens iniustitiæ, si influit in effectum, tenetur restituere, vt dicemus *art. 7.*

Dub. 3. *An mutilans, aut occidens alterum, restituere teneatur.* 4

1. Concl. Si duo se mutuò prouocant ad pugnam, & vnus moritur, alter nil restituet. Quia vterque cessit iuri suo. Et si alter alterum prouocauit, & prouocator læditur, prouocatus etiam si sine infamia fugere posset, & ideò peccet, nil restituet, ob dictam rationem. At si prouocatus læditur, prouocator restituet; cùm prouocatus non esset simpliciter voluntarius in illa læsione, maximè si sine infamia fugere non potuit.

2. Concl. Probabile est, quod mutilans, aut occidens alterum, non tenetur restituere damnum naturale. Ita *Bannez hic.*

Couar. 1. *varic. r.* c.2.*nu.*7. *Nauar.c.*15.*num.*20. Et *Ledesm.* id putat probabilius *c.6. de iustit. cum Victo. & Orella.* Quia etsi violet iustitiam commutatiuam, sed deobligatur à restitutione, sicut adulter, & Parochus, qui non ministrauit Sacramenta morienti, ad quod ex iustitia tenetur. Nam in his, & similibus, ait *Bannes*, non est possibilis restitutio. Sed probabilius est oppositum. Ait enim *D. Thom. ad* 1. quando ablatum non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri restitutio qualis possibilis est, vt si quis abstulit membrum soluat in pecunia, aut in alio honore; considerata conditione personæ vtriusque secundùm arbitrium boni viri. Et ita communiter Thomistæ, *Med. in sum. Siluest. Soto 4. de iust. q.6. art.*3. Et patet. Nam restitutio famæ solet fieri in pecunia, ergo licet illud damnum naturale non sit restituibile in proprio genere, v. g. brachium pro brachio, erit compensandum in alio, vtpotè, in pecunia. Nec obstat, quod homo non est dominus vitæ suæ, & membrorum, sed solus Deus. Quia ad hoc, vt homini fiat iniuria si occidatur, aut mutiletur, sat est, vt sit custos vitæ suæ, præterquam quod, etiam est dominus vsus vitæ, & membrorum. *Et nota*. Quod ista restitutio fiet vxori, & hæredibus etiam voluntarijs, cùm isti succedant in bonis defuncti cum omnibus iuribus comitantibus ista bona. Et si occisor non restituit, eius hæres, quidquid alij dicant, restituet quantum sufficiant bona hæreditata, & non plus, etsi hæres sit pater occisoris, cùm ista sint obnoxia istius damni reparationi post mortem læsoris, sicut & ante mortem.

3. Conclusio. Mutilans, aut occidens alterum restituet expensas curationis, damnum emergens, & lucrum cessans: v. g. si occisus quotidie lucrabatur dimidium aureum, occisor restituet quod ex dimidio aureo obueniebat vxori, quæ est vna caro, & consors viri, & filijs, parentibus, & alijs hæredibus necessarijs, contra Victoriam. Sed non restituet quod occisus secum consumeret in victu, vestitu, & infirmitatibus si viueret. Et in illorum taxatione attende quantum posset viuere occisus, & eius lucrum vt futurum, & impedibile, & dies, in quibus ob infirmitatem, festa, aut ob aliud occisus non laboraret. Non tamen tenetur occisor alere hæredes voluntarios occisi: cùm isti quoad hoc non lædantur in proprijs bonis: cùm nec sint partes defuncti, nec defunctus teneretur eos alere, sicut iure naturæ tenetur alere hæredes necessarios. Nec valet, pater non tenetur ex iustitia commutatiua alere filios;

ergo

ergo nec eius occisor: sicut nec valet, Petrus non tenetur ex iustitia dare eleemosynam Paulo, ergo nec qui per iniquitatem, & mendacium illam impediuit: cùm occisor per iniquitatem impedierit ius filiorum occisi ad alimenta.

4. Conclusio. Occisor non tenetur soluere debita creditoribus occisi, etsi ob suam occisionem non possit illis fieri restitutio. Ita communiter Thomistæ, *Bannes*, *Ledesma*, *cum Orella*. Quia nec in foro externo, quod est custos iustitiæ, datur actio creditoribus contra occisorem. Nec in foro conscientiæ interrogatur occisor, si occisus haberet creditores. Nisi illum occiderit animo nocendi creditoribus. Nam tunc erit causa moralis damni creditorum, & iuxta *cap. si tua culpa, de iniurijs*. Si tua culpa, scilicet contra iustitiam commutatiuam, damnum illatum est, iure super his te satisfacere oportet.

Dub.4. *An stuprator virginis restituere teneatur*. 5

1. Conclusio. Violans virginem promittendo, etiam fictè contra alios, eam ducere in vxorem, ad id tenetur per se loquendo, nec aliter reparatur eius iniuria. Ita *D. Anton. 2. par. tit.5. cap.6. §.1. Siluest. verb. luxuria*, *Ledesm. cap. 6. de matrimonio*, *Ludou. Lop. tom.1. cap. 77. Nauar. in Man. cap. 16. num. 17. Cord. in sum. quæst.50. & alij*. Imò si iurasti etiam non virgini ducere eam in vxorem, vt ea potiaris, ad id teneris, vt ait *Siluest. verb. matrimonium*. 2. Secus si credens esse virginem, quia ita putabatur, promisisti illud, aliàs non facturus, aut si fictè ob fornicandum cum ea illud promisisti, tunc satisfacies in pecunia. Etsi *Soto 4. de iustitia, q.7. art.1. & Nauar. cap. 16. num. 18.* dicant teneri eam in vxorem ducere ob deceptionem. Quia ait, solida sunt facienda verba in contractu, do, vt des. Et citat pro se *D.Thom. in 4. d.28. q. 1. art. 2. ad 4.* vbi ait, quod tenetur eam in vxorem ducere. Et si deceptor transiuit ad alias nuptias, tenetur prouidere deceptæ de nuptijs. Sed D.Thom. loquitur ibi de virgine deflorata. Dixi per se loquendo. Nam aliquoties ad illud non tenetur violator virginis. 1. Si sint multum dispares. 2. Si grandia scandala ex illo matrimonio probabiliter timentur. 3. Si vir interim sacris initietur, vel intret Religionem, aut aliam in vxorem duxit. 4. Si pater puellæ renuit eam ei tradere. In his casibus, ait *Siluest. verb. luxuria*, alter fiat damnorum compensatio ad arbitrium prudentum. Si patri puellæ sit secura infamia, restituatur, vt ait *D. Thom. & Caietan. 2. 2. quæst.154.*

quæst. 154. *art.* 6. *ad* 1. Et puella dotetur iuxta suum statum: ita vt detur ei talis dos, quæ cum dote sua suppleat defectum virginitatis, & aliquid addatur ob contumeliosam vitam, quam cum alio viro patietur cognito virginitatis defectu. Nam istorum fuit causa stuprator. Ita *Nauar. & Ludou. Lop.* At si nulla sit secuta infamia patri, & puella ita benè nupsit, ac si esset virgo, nec defectus sit à viro cognitus, nil stuprator restituet, ait *Nauar. num.* 19. cum tunc nullum intulerit damnum.

2. Concl. Qui vi, dolo, vel precibus importunis merito in virgine causantibus inuoluntarium, aut alijs verbis amatorijs, suspirijs, muneribus, aut alijs vehementer excitantibus ad libidinem, violauit virginem, tenetur eam in vxorem ducere, præterquam in casibus primæ conclusionis. Nam non aliter restauratur honor virginis. Imò ait *Nauar. cap.* 16. *num.* 29. qui vi, dolo, aut dictis precibus accessit ad corruptam pro virgine reputatam, etsi pro virginitate nil restituet, benè tamen pro infamia, si sit secuta, & pro vi, & dolo. Ita si vir infirmus infecit fœminam etiam corruptam, sed ignorantem viri infirmitatem, tenetur ei restituere expensas curationis, & alia damna emergentia, & lucra cessantia, iuxta dicta *dub.* 3.

3. Conclusio. Violans virginem omninò voluntariam, aut sine vi, dolo, aut precibus importunis, sed solùm amatorijs verbis simplicibus inductam, tenetur ait *Medin. in sum.* restituere, ac si vi, aut dolo eam violasset. Sed oppositum est probabilius. Ita *Soto* 4. *de iustitia, q.* 7. *art. Siluest. verb. luxuria, Nauar. in Man. cap.* 16. *Ledesm. in sum. tract.* 8. *cap* 6. *cum Orella, Bannes, & communiter Thomistæ,* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Nam scienti, & volenti non fit iniuria. Ergo nil puellæ restituet, nisi fortè dehonorationem patri secutam ex stupro diuulgato, vt ait *Bannes, Nauar. & Cordoba contra Soto.* Nec obstat, quod virgo, ait *Medin* non est domina suæ integritatis, vt possit in eius iacturam consentire. Nam etiam homo non est dominus suorum membrorum, & si det alteri facultatem amputandi sibi manum, etsi vterque peccet, tamen amputator nihil tenetur restituere. Præterquam quod mulier est domina vsus illius membri, sicut & aliorum. Aliàs ipsa etiam peccaret contra iustitiam amittendo suam virginitatem. Et intelligitur conclus. per se loquendo. Nam aliquando tenebitur violator restituere, vtpotè, si de hoc fecit aliquam saltem tacitam conuentionem: vt si virgo pau-

pauper, alias pudica & lacessita ab alijs plebeis, eos repulit, & consensit etiam leuiter rogata viro prædiuiti, tunc præsumitur non tam ex leuitate, quam ex necessitate id fecisse: & sic præsumitur tacita conuentio dandi aliquam saltem partem dotis, qua alteri nubat.

4 Conclusio. Dum aliud certo non constat, semper indiuiduo præsumatur in virgine adfuisse inuoluntarium, vel ob ignorantiam boni amissi, aut ob passionem, quæ semper minuunt voluntarium *iuxta D Thom. 1. 2. q. 76. art. 4. & qu. 77. art. 6.* Et sic his pensatis stuprator obligetur ad aliquam satisfactionem.

Dub. 5. *An infamans alterum teneatur restituere.*

1. Conclusio. Iustè infamans alterum nil restituet. Patet in iudice legitimè damnante reum, in testibus iuridicè deponentibus contra ipsum, & in reuelante alterius crimen pro vitando damno proprio, vel proximi, aut seruato ordine correctionis fraternæ. In his enim & similibus non peccatur contra iustitiam. Etsi aliquando peccetur contra charitatem, vt si ex odio ista fiant. 9

2. Concl. Si de facto tuis dictis non tollitur fama, nil restitues. Vt si detrahas viro infami, etiam dicendo falsum, vt de meretrice admisisse lenonem, aut si de alio dicas crimen de quo ipse non dedignatur, aut si tuis dictis non datur fides. In his enim cum non sit fama ablata nil erit restituendum. Item si infamatus aliter recuperauit famam ostendendo suam innocentiam, infamator nil restituet. Et idem si alterum infamasti, & post longum tempus nullus de hoc recordatur.

3. Conclus. Iniustè infamans imponendo alteri crimen falsum, tenetur dicere se fuisse mentitum, & si opus sit, illud iurabit, & adducet testes sui mendacij si quos habet. Ita *Bannes, & Soto 4. de iust. q. 6. art. 3.* Nam tenetur restituere famam omni via possibili quousque integrè recuperetur. Imo ad idem tenetur, etiamsi metu tormentorum tale crimen alteri imposuerit, *contra Armi. ver. restitutio.*

4. Conclus. Iniustè infamans alterum reuelando occultum crimen, ita restituet, ac si falsum crimen imponeret. Nam idem ius habet ad suam famam occultus peccator, ac qui non peccauit. Et licèt qui imponit crimen, plus peccet, sed non plus nocet. Et restitutio solum respicit damnum illatum reparandum. Ita *communiter Doctores.* Sed variant in modo restituendi famam sic ablatam. Primus modus est *D. Tho.*

Tho. ad 1. dicendo se malè dixisse, iniustè diffamasse. Sed ob hominum malitiam modus iste regulariter iam non sufficit, nisi fortè apud rusticos. 2. Modus placens Bannesio est dicendo: Ego iniquè nesciens quidquam mali illius hominis, ex odio vel vindicta illud dixi, aut ignoranter dixi, sed veritate nota, & remordente conscientia restituo ei famam. Et modus iste licitus est, quia nescire, & ignorare dicitur etiam de eo, quod scitur, sed non ad reuelandum alijs, sicut Christus Matth. 13. ait se ignorare diem iudicij. Sed modus iste restituendi fortè non sufficit ob hominum malitiam 3. Modus est dicendo esse mentitum, & modus iste licitus est, & sic obligabit si alius non sufficiat. Nam infamator tenetur restituere famam omni medio possibili licito quousque recuperetur. Sed licitè ait esse mentium, quia etsi dixerit verum speculatiuè, id est, aliquid conforme intellectui speculatiuo, tamen reuelando iniustè tale crimen occultum, dixit mendacium practicè, id est, aliquid discordans appetitui recto & sic verè dicit modo se fuisse mentitum, id est, peccasse, in quo sensu Psal. 4. peccatum dicitur mendacium in illo. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? id est, peccatum: ergo hac via, si non sit alia, tenetur restituere famam, & damna ex infamatione secuta. Et infamatus potest dicere infamatorem esse mentitum, id est peccasse: sic enim licitè se defendit. Ita *Caiet. ad* 2. *Victor. & Bannes. Et nota.* Quod si Ioannes reuelauit Petro occultum crimen Pauli, credere debens, quod Petrus, vtpotè leuis, reuelauit illud, si à Petro reueletur, Ioannes, Petro non se retractante, ostendet Petrum esse mentitum. At si Ioannes nouit Petrum timoratæ conscientiæ, tunc sat erit si Ioannes coram Petro se retractet, hortando eum, vt publicè dicat esse falsum, quod dixerat de Paulo, & quod ita competit examinando eum, à quo prius audiuit.

5 Conclusio. Infamator restituet famam cum æquali, & aliquantulum maiori damno famæ propriæ. Sed non cum maiori notabiliter. Non enim tenetur illustris cum damno suæ famæ reparare famam plebei. Imo si habes famam alijs obligatam, non potes vti illo medio. Sicut restitutio temporalium non est facienda cum longe maiori damno eorundem. Imo nec restitues famam cum damno temporalium nimis eam excedentium, vt illustris non tenetur restituere cum amissione sui status famam plebei. Ex dictis patet, quod si infamasti alium apud eos qui iam distant, si in

breui

breui videbis eos, differ vsque tunc restitutiouem, si modo non potes restituere sine magnis expensis : at si non speres videre eos in breui, satisfacies per epistolas : & si hoc non potes, attende quantitatem expensarum faciendarum pro restituendo famam, & si istæ non multum excedant famam, cum eis illam restitue : secus si excessus sit nimius.

Dub. 6. *An si fama non valet restitui in proprio genere, sit restituenda in alio?* 7

1. Concl. Si inter infamantem & infamatum sit conuentio de pecunia danda pro fama ablata, aut ad id infamator per iudicem damnetur, tenetur eam dare. Ita *Bannes & communiter*, *2.2.q.62.art.2.* Quia sententia, & pacta iusta obligant in conscientia. Et hac facta restitutiones, etsi inueuiatur postea aliud medium quo fama in proprio genere restituatur, non obligat. Nisi restitutio in pecunia sit facta hac conditione saltem tacita, vt sit aliquando possit fama in proprio genere restitui, ad id teneatur infamator, & pecunia teddatur ab infamato

2. Concl. Probabilius est *contra Siluest. verb. detractio*, quòd qui non valet restituere famam in proprio genere, tenetur eam restituere in alijs bonis fortunæ. Ita *D. Anton 2. p. tit. 2. cap. 2. §. 8. Adr. quod l. 11. Soto de tegen Men. 2 qu. 2. Med. in sum. Bannes, & communiter*. Et patet 1. ex D. Tho *art. 2. ad 2.* vbi ait, si infamator non potest famam restituere, debet aliter fieri compensatio. 2. Pecunia est pretium omnium temporalium recipientium iustam æstimationem, qualis est fama : licet enim fama ex se præstet pecuniæ : at tanta potest cumulari pecunia, vt adæquet, imo excedat famam. Sicut etsi aurum sit pretiosius argento, at tantum potest cumulari argenti, vt excedat aurum. Ex dictis patet, quod si infamatus habet pecuniam infamatoris non valentis restituere famam, potest eam retinere saltem in quantitate adæquante famam. Imo si valet restituere famam, & n lit, potest infamatus retinere pecuniam excedentem famam loco pignoris, quousque fama restituatur. Et dicta doctrina est sequenda per se loquendo. Aliquaudo tamen infamator non valens restituere famam in proprio genere de obligatur à restituendo, etiam in pecunia : vt si infamatus vult sibi fieri restitutionem in fama, & non aliter, vt fit inter nobiles.

3. Concl. Mortuo infamato pecunia danda pro fama hæredibus eius restituetur : sicut mortuo infamatore eius hæredes restituent dictam pecuniam pro fama.

4. Concl.

4. Concl. Honor ablatus alapa, fuste, aut similiter, restituatur iuxta morem patriæ, sed absque peccato, vt est communis sententia. At honor ablatus contumelia, etsi iuxta aliquos debet restitui petendo veniam, at iuxta D. Thom. & Caietan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 3. restituatur per exhibitionem reuerentiæ. Nam dehonoratio fit non exhibendo alteri consuetam reuerentiam ob excellentiam in sanguine, dignitate, aut virtute, sed contumeliator exhibendo reuerentiam subijcit se ei, à quo honorem obstulit: ergo.

8 Dub. 7. *An infamatus possit condonare restitutionem famæ?*

1. Concl. Qui habet famam alijs obligatam, vt Prælatos, &c. peccat contra iustitiam condonando famæ restitutionem: sicut & infamando se de peccatis redundantibus in subditos, vt sodomiæ, heresis, &c. Nam tunc læditur fama subditorum, & sic non valet dicta condonatio. Imò *secundum Medin. Ban. & alios,* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *contra Soto* 4 *de iust. qu.* 6. *art* 3. *& Adrian* peccabit non solum contra charitatem, vt est communis sententia, sed etiam contra iustitiam, condonando restitutionem, aut infamando se etiam de peccatis non redundantibus in subditos, si alias vult manere in suo officio. Nam Prælatus ratione officij tenetur ex iustitia corrigere peccata subditorum, & eos ad spiritualia promouere: sed Prælatus infamatus non potest hoc prestare: quia iuxta D. Greg. in past. necesse est, vt cuius despicitur doctrina, vita & prædicatio contemnatur.

2. Concl. Homo priuatus non peccat contra iustitiam infamando se, aut condonando famæ restitutionem: cum sit dominus suæ famæ; sed peccabit mortal. ex genere contra charitatem, cum exponat se periculo peccandi amissa verecundia, quæ est frenum, & custodia virtutum. Et sic præcipitur *Eccl.* 4. *Curam habe de bono nomine.* Et intelligitur conclusio, quando illud fit sine rationabili causa. Nam si ablato scandalo & mendacio homo priuatus ex causa rationabili infamet se aut condonet restitutionem famæ, non peccat. Nam sancti ita fecere. D. Ambrosius publicas mulieres ad se ingredi fecit, vt sic infamatus non eligeretur in Episcopum.

2. Homo priuatus est dominus suæ famæ: ergo ex causa rationabili potest eam expendere, vt si sit alteri vtilis pro tuenda eius vita, aut fama. Sic etiam vita preciosior, licitè exponitur periculo pro amico. Imo, vt ait Soto, 5. *de iustit.*

q. 20.

q.20.art.2 contra Caiet. & Armi. verb. detractatio. metu tormentorum licitè confiteris tuum peccatum occultum, & infame, etiam non interrogatus iuridicè. Imò, *vt ait Soto contra Nauar* si tibi imponitur crimen falsum, quod occideris, & illud confitearis metu tormentorum, solum peccas venialiter mentiendo. Dixi ablato scandalo. Nam si ex confessione alicuius criminis, sequitur graue scandalum aliorum; sicut sequitur ex hæresi, sodomia; &c. erit peccatum mortal. ista confiteri in iudicio metu tormentorum, si non interrogetur reus illorum iuridice. Potius enim est subeunda mors quam istorum infamia. Imò *vt ait Diu. Anton. 2. par. tit. 2. cap. 2. §. 3. Panormitan, in cap. ex parte, de sepul. Siluest. ver. detractio.* tenetur se retractare postea dicendo metu tormentorum illud esse confessum. Nam etsi non sit per hoc à morte liberandus, aliquo tamen modo ab infamia liberatur. Hæc de restitutione famæ, honoris & vitæ. Nam de actionibus quibus ista læduntur alibi dico. De homicidio in 5. præcepto. De contumelia, detractione in 8. præcepto.

Dub. 8. *An impediens alterum à consecutione alicuius rei, restituere teneatur.* 6

1. Concl. Impediens alterum etiam animo nocendi, sed sine vi & dolo, à consecutione dandi ex misericordia, liberalitate, aut gratitudine, nihil restituet: cum non violet iustitiam commutatiuam. Secùs si illud facit vi, aut dolo, vt est communis sententia contra *Caietan. & Siluest. ver. restitutio.* 3. Nam quiuis habet ius ex iustitia, ne vi, aut dolo impediatur sibi dandum etiam ex misericordia, liberalitate, vel gratitudine.

2. Concl. Impediens alterum etiam sine vi & dolo; sed consulendo, à consecutione sibi debiti ex iustitia distributiua, & simul instituti principaliter in bonum ciuium, vt sunt bona ærarij publici, tenetur restituere. Quia si distributor non det illa bona, tenetur restituere: sed qui impedit est concausa istius iniustitiæ, si suo consilio influit in affectum: sicut, & qui impediret etiam sine vi, & dolo: Sed consulendo œconomum cui est à domino mandatum vt det isti elemosynam, si non det vterque est iniustus, & restituet.

3. Concl. Qui etiam sine vi, & dolo, sed consulendo impedit dignum a consecutione beneficij, vt detur minus digno, tenetur sicut & principalis distributor restituere. Ita *Bannes art. 2. dub. 2. conc. 9.* Et communiter Thomistæ

 id

id colligunt *ex D. Tho. ad* 4. vbi ait, quod qui impedit, ne præbenda detur digno, consulens vt ei non detur, tenetur restituere. 2. Principalis distributor ideo restituere tenetur, quia non exercet debitè munus iustitiæ distributiuæ, ad quod tenetur ex iustitia commutatiua, vt dicetur dub. 11. Sed qui impedit est causa consulens istius iniustitiæ, ergo. Patet etiam ex 2. concl. *Si obijcias*. Sequitur dignum opponentem se digniori teneri ei restituere beneficium, cum eum impediat recipiendo ipse beneficium, maximè si roget. *Ad hoc dico*. Quod si dignus bono animo etiam sciens se esse altero indigniorem, opponit se proponendo sua merita per examinatores examinanda sine vi, & dolo, nihil restituet; cum ad illud habeat ius. Secus si malo animo se opponat contra digniorem, vt sic diuisis suffragijs electorum dignior non obtineat præbendam, sed alius minus dignus.

4. Conclus. Impediens dignum a consecutione beneficij, vt detur digniori, bene agit in bonum Ecclesiæ, aut Reipub. Ita *D. Thom. ad* 4. Imò etsi id faciat animo nocendi, dum non vtatur vi, aut dolo, nihil restituet: cum non violet iustitiam commutatiuam. Nam dignus coram digniore non habet ius ad præbendam. Sed si impedias vi aut dolo, restitues non pro beneficio, cum alter non haberet ius ad illud, sed pro vi, & dolo. Nam habet ius ad hoc, vt non impediatur vi, aut dolo.

5. Concl. Impediens dignum à consecutione beneficij, vt detur æque digno, sed sine vi, & dolo, sed consulendo, rogando, &c. nihil restituet: cum vterque habeat ius ad illud. Sed si vtatur vi, aut dolo, restituet, & pro beneficio, & pro vi, & dolo. Nam impeditus habet ius ad beneficum, & iniustè ab eo impeditur.

6. Concl. Dicta restitutio fiet Ecclesiæ in casu 3. conclusionis, vt dicemus dub. 11. & etiam digniori impedito. Imò & digno in casu. 5. conclusionis. In quo, ait D. Thom. attende animum distributoris; nam si certum erat distributorem non daturum beneficium impedito, impeditor nihil restituet: cum non sit concausa damni. At si distributor erat paratus dare illi beneficium, impeditor integrè restituet. Et si dubitetur de animo distributoris, pro quantitate dubii restituet impeditor ad arbitrium prudentum, & pensatis circunstantijs, sicut fit restitutio damni illati in rebus quæ sunt in spe.

Dub. 9. *An sit eligendus dignior ad præbendam. Et na-*

ti, quas conditiones habere debeant eligendi sunt. Prima est Vitæ probitas cũ debãt esse exemplar gregis, vt dicitur. 1. Pet. 5. Secunda, Scientia, & prudẽtia, sine quibus virtus alijs non proderit, Tertia, Industria in agendis. Quod si inter duos vnus excedat in probitate morum; & alter in scientia; ille est isto dignior. 2. *Nota*, in beneficijs esse duo, primum, & potissimum est onus, & labor, secundum, est honor, & dignitas.

1. Concl. Electio digni relicto digniore valet, nec est cassanda. *Hæc est contra aliquos Iuristas pro secunda parte*: *sed est D. Thom. 2.2. q. 63. art. 3. ad 3.* Alias, ait, nulla esset electio firma in foro externo, circa quam non essent multæ lites. Et hæc ratio D. Thomæ extollitur à Couar. super reg. peccatum, *2. p. §. 7. n.* 13.

2. Concl. Electio digni relicto dignore est peccatum mortal. ex genere acceptionis personarum. Ita *in Concil. Trident. session 24. cap 1. & D. Thom. 2.2. qu. 185. art. 3. Et est communis Theologis, quos refert & sequitur Soto. 3. de iust. qu. 6 art. 2. & iuristis, quo refert Cou. contra alios.* Et patet. Nam ista beneficia sunt bona communia distribuenda secundum normam iustitiæ distributiuæ iuxta cuiusque merita. Dixi ex genere. Nam si beneficium sit tenue, aut excessus inter oppositores paruus, ob leuitatem materiæ erit peccatum ven. Et si electores iurassent eligere digniorem. Quia in iuramento promissorio, sicut & in voto, datur leuitas materiæ pro peccato ven. Imo aliquando, ob vtilitatem Ecclesiæ etiam cum dicto iuramento erit eligendus dignus, vt si sint duo beneficia, vnum simplex pingue, alterum parochiale tenue, eligatur dignus ad simplex, & dignor ad parochiale. Item, si sint plures electores, & maior pars vult eligere dignum omisso digniore, & ideo peccet, tamen minor pars potest ob pacem seruandam descendere cum maiori parte ad electionem digni. At nunquam licet in tali casu eligere indignum: cum hoc sit intrinsece malum. Imo si sint tres eligendi, & maior pars vult eligere indignum, alia pars dignum, alia dignissimum, tenetur ista pars si non potest eligere dignissimum, descendere cum volentibus eligere dignum, vt sic impediatur electio indigni Ecclesiæ nociua. Hæc de electionibus quæ fiunt per concursum multorum oppositorum, siue eligendus debeat esse illius Ecclesiæ, sicut fit in beneficijs patrimonialibus (quòd vt *D. Thom. 2.2. qu. 63. art. 2. ad 4.* ait, consueuit in pluribus esse vtilius bono communi, cum iste magis diligat Eccle-

O siam,

siam, vbi est nutritus) electio fiat de concurrentibus a
sitionem intra tempus taxatum. Nam de resignantibu
præsentantibus ad beneficia, fit.

12 3. Concl. Non licet istis præsentare indignum etian
neficium institutum ex bonis patroni. Nam hoc esset i
num animarum, & Ecclesiæ, & contra ius diuinum, & n
Nec potest istius electio confirmari; benè verò electio d
iubetur *in Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. & iuxta 1 concl.*

4. Concl. Licitè fit resignatio pro digno, relicto dig
Ita *Caiet. verb. beneficium*. Et sic refert *Manu. Rodr.*
1. part. cap. 106. declarasse Congregationem Cardin
tet, Quia iustitia, quæ respicit digniorem non habet loc
in bonis communibus, vt ait *D. Thom. 1. 2. q 98. art.*
Sed beneficium hoc est bonum particulare resignanti
ergo licitè resignat illud pro digno.

5. Conclusio. Probabile est posse dignum præsentari
neficium etiam curatum, maximè si patronus sit sæc
cùm ita teneant multi Theologi, & Iuristæ. Sed prob
est patronos etiam sæculares teneri eligere digniores a
ficia etiam simplicia. Ita *Bannes 2. 2. q. 63. art. 1. dub.*
in Concil. cit. & sess. 6. cap. 1. absolutè præcipitur electio
ris. 2. Beneficia sunt bona communia Ecclesiæ, ergo
buenda iuxta normam iustitiæ distributiuæ. 3. Papa
dare beneficia etiam simplicia dignioribus iuxta dicta
mam: cùm non sit eorum dominus, sed dispensator, et
solùm concessit patronis.

13 Dub. 10. *An ad officia sæcularia sint eligendi dig*
Et nota. Quòd scientia, prudentia, animi fortitudo
lus iustitiæ, & boni communis, sunt dignitas requ
ista officia.

1. Conclusio. Non potest Rex dare ista officia ind
Ita *Bannes, Soto, 3. de iustitia, q. 6. art. 4 & communiter*
etsi Rex sit dominus istorum officiorum, vt ait *D. Thom*
21. dub. 5. & secundùm Theologos, & Iuristas, quos re
sequitur *Bannes dub. 6. contra Adrian. in tract. de recti*
ob stipendium à Republica acceptum tenetur ex iustiti
mutatiua prouidere ei de ministris idoneis: aliàs re
damna secuta. 2. Patet à fortiori ex dictis de resignant
ficium, *dub. 9. conclus. 3. & 4.*

2. Concl. *Contra Caiet. verb. electio.* Peccatum est
le ex genere, non eligere digniores ad hæc, siue electio

ciuibus eiusdem Reip. siue ex extraneis, siue electio fiat per votum, siue non. Nam ista sunt bona communia ordinata in bonum Reip. & pro eius conseruatione, etsi secundario ordinentur in bonum ciuium. 2. Etsi Rex sit dominus istorum officiorum, tamen Resp. *vt patet ex lege 1. de const. prin.* transtulit dominium in eum hac conditione saltem tacita, vt distribuantur iuxta normam iustitiæ distributiuæ, attendendo merita ciuium: ergo id omittere erit peccatum mort. ex genere. Et si aliquando sit peccatum ven. ob paruitatem excessus dignioris supra dignum, etiam si electores iurassent eligere digniorem, *iuxta dicta dub.* 9. Imo aliquando nullum erit peccatum eligere dignum omisso digniore, si expedit Reip. vt ista officia vendantur. *Vnde sit*

3. Concl. Venditio officiorum etiam non habentium curam iustitiæ malè sonat; cũ sic dentur ambitiosis, & auaris sua iura rigorosè extorquentibus. Sed quæ male sonant, debitis ornata circũstantijs licita fiunt, vt si ista, *ait D. Tho.* vendantur dignis, & pretio moderato, ne cogantur rigorosè recuperare pretium pro eis datum, & cum necessitas Reip. id petit. Et intelligitur etiam de officijs cum cura iustitiæ. Nam etsi ista non possint vendi iuxta ius commune, *l. vnica, C. ad leg. Iul. &c. sancimus*, *1. q. 7. & in iure Hispano, lib. 1 ord. tit. 5. lib. 2.* tamen Rex iustis causis potest in his legibus dispensare. Et de eius licentia saltem tacita potest quisque ista vendere. Imo est probabile contra Soto, quod si habes licentiam transferendi ista officia in alium, potes illa vendere. Quia licentia hoc videtur sonare, quòd possis ea in alium transferre, siue vendendo, siue donando. Si obijcias, quòd Pius V. in motu qui incipit, Etsi Romani Pontif. Nonis Decem. anni 1571. & in motu, qui incipit, Cum nuper; pridie idus Febr. anni 1572. vetat pœnis grauissimis ambire etiam per alium pretio, seu promissis, aut sic obtinere dignitates, & officia cum iurisdictione, aut pro istis pretium accipere, aut ad id mediare: *Ad hoc dico*. Ista esse statuta pro temporaliter subiectis Papæ. 14

Dub. 11. *An teneatur restituere iniquus distributor bonorum communium siue ordinatorum solum in bonum ciuium, vt bona ærarij publici, siue ordinatorum immediatè in bonum Reip. & mediatè in bonum ciuium, vt officia.* 15

1. Conclus. Iniquus distributor ærarij publici restituet. Nam etsi ciues in ordine ad Rempub. solum habeant ius ex iustitia distributiua; tamen in ordine ad distributorem, habent

bent ius ex iustitia commutatiua, vt sibi ista æqualiter proportionaliter distribuantur. Et ista est voluntas Reip. quam distributor ob stipendium acceptum tenetur sequi ex iustitia commutatiua. Ex his patet, quod etiam ciues accipientes de his bonis plus debito, tenentur restituere excessum Reip. aut ciuibus relictis: cum illud habeant contra voluntatem veri domini. Et intelligitur concl. quando distributor videns, & sciens, aut ex magna negligentia facit distributionem notabiliter iniquam. Nam si ex aliquali negligentia distributoris non fit benè distributio, nihil ab eo, sed à solis accipientibus excessus restituatur. Esset enim aliàs grauissimum onus distributoris. Et idem est de distributione tributorum. Si enim imponis maiora tributa quam opus sit, aut vni ciui plus debito applices, restitues excessum: cum in hoc iste lædatur.

2. Conclus. Distribuens officia Ecclesiæ, aut Reip. indigno, restituet damna secuta Eccles. aut Reip. Ita *communiter Theologi, & Iurista*. Nam ob stipendium acceptum, aut ob pactum cum Repub. initum tenetur prouidere ministros idoneos. Et intelligitur si distributor ex magna intelligentia dat officium indigno. Secus si bona fide putabat esse dignum, nam esset intolerabile obligare istum tunc restituere, sed indignus officium restituet.

3. Conclus. Eligens dignum omisso digniore, in sententia probabili nihil restituet Ecclesiæ, seu Reip. cum ei fiat satis prouidendo ministrum idoneum iuxta stipendium signatum. Nec restituet digniori relicto: *cum ita sentiant Soto 3. de iust. q 6. art. 3. ad 6. Con. in reg. peccatum 2. p. § 7. a. 6. Nauar. c. 17. nu. 69. & Cano.* Sed probabilius est, esse restituendum, tum Ecclesiæ, aut Reip. *secundum Medin. in sum. & Bannes 2. 2. qu. 63. art. 2.* Nam distributor ob stipendium acceptum tenetur ex iustitia commutatiua prouidere si potest de diligentiori ministro. Tum etiam digniori relicto, *vt ait Medin. Bannes. Palud. in 4 d. 15 Silu. ver. restitutio. 3. Vict. Penna & Orell. Et videtur D. Thom. 2. 2. q 62. art 2. ad 4.* Quod maximè est verum in officijs distributis in concursu multorum oppositorum. Quia tunc dignior proponendo merita sua habet maius ius ad officium, *vt ait Caiet. in D. Thom. loco cit.* Item impertinens est ad restitutionem ordinari ista officia mediatè, aut immediatè in bonum ciuium.

4. Conclus. Restitutio ista sic fiet, si distributor omisit plures digniores, satisfaciet dando cui velit illorum aliud æqua-

le beneficium: & compensabit damna ei secuta vsque ad istam restitutionem. Et intelligitur hoc, dum tamen istud beneficium sit incompatibile cum priori, nec ei aliàs debitum ex iustitia distributiua, sicut primum. Dignus autem, cui est datum prius beneficium, nihil restituet: cùm haberet ius proponendi sua merita per electores examinanda, vt dixi *dub.* 8.

ARTICVLVS TERTIVS.

SVMMARIVM.

An sufficiat restituere simplum iniustè ablatum, num. 1.
Varia genera tributorum, & conditiones requisita vt sint iusta, num. 2.
Persona exempta à tributis, num. 3.
An tributa obligent, num. 4.
An cadentes ligna in siluis teneantur ad restitutionem, num. 5.
An venatores, & piscatores, num. 6.
An liceat aucupari aues, & columbas, num. 7.
Ad quid teneatur negligens custos montium, & fluuiorum, num. 8.

AN satis sit restituere simplum iniustè ablatum. 1
1. Conclusio. Omnis inæqualitas ex ablatione rei secuta in vita, honore, & diuitijs, satis reparatur per eorundem restitutionem: sed culpa commissa in accipiendo alienum contra legem reparatur per pœnam iudicis. *Et nota,* quod si ex ablatione alieni non resultat alia notabilis iniuria præter acceptionem rei, sat est restituere ablatum: at si resultat aliud damnum in honore, fama, &c. vt in rapina, erit compensandum, nisi aliàs sit tale, quod non soleat compensari, sicut iniuria mariti in adulterio reperta. Ita *Medin. in sum. in 6. præcepto, & Man. Rodr. in sum. 1. par. cap.* 26.

2. Conclusio. Ante sententiam iudicis solùm restitues ablatum: sed post eam erit etiam soluenda pœna in conscientia. Et præter dicta in principio de legibus, nunc agemus de legibus tributorum, venationum, &c.

Dub. 1. *An leges tributorum obligent.* Et nota *ex Siluest. verb. Gabella,* esse multa genera tributorum; quædam tribuuntur ex bonis à quouis possessis, & dicitur collecta: quædam ex bonis, quæ venduntur, & dicitur alcauala; quæ-

dam ex comestibilibus, & dicitur sisa: alia ex bonis
tis de vno in alium locum, & dicitur portazgo, &c.

2 1. Conclusio Tributa vt sint iusta, habebunt aliqua
tiones. 1. Vt sint imposita ab habente auctoritatem, v.
pite Reipublicæ perfectæ, aut à consuetudine immemo
quo patet, dominos oppidorum non posse imponere
vassallis, aliàs excommunicantur in Bulla Cœnæ: &
docti dubitant de iustitia tributi dicti *seruitio*, & de
tione, qua vassalli vendunt dominis gallinas, &c. cert
minori iusto: nisi ista aliàs compensentur in solution
tuum, quos quotannis vassalli soluunt. Ita *Ludou. Lop.*
cap. 187. Et licet aliqui domini istorum ex dono, aut
tione Regis habeant vectigalia suorum oppidorum, t
mitius quam Rex illa exigere, vt ait *Ludou. Lop. & Sot.*
iustitia, q.6. art. 7. Tum quia Rex habet illorum ma
necessitatem illum iustificantem. Tum quia emerunt
tanti, ac modò æstimantur. 2. Conditio, quod tribu
imponantur ad ditandos Reges, sed ob communem
tem, qua cessante, & alia simili non succedente, cessa
tum: vt ait *Caiet. & Siluest. verb. Vectigal.* 3. quauis con
dine etiam immemoriali in contrarium non obstante.

3. Conditio, vt seruetur proportio in soluendis trib
ordine ad necessitatem communem, & ad subditos. Ita
parua, & breui necessitate non petantur magna, & di
tributa, nec tantùm à paupere, quantum à diuite. 4. C
tio, vt non imponantur in rebus, quæ vehuntur ad pro
vsum, iuxta *leg. vniuersa, C. de vectig.* Ita *Caiet. Nauar.*
num. 202. *& Ledesm. in 4. quæst.* 18. *art.* 3. Sed *D.*
par. cap. 14. verius tenet oppositum. Et patet ex vsu in
to dicto, Sisa, imposito in carne, vino, oleo, &c. Ne
medium ita commodius pro subueniendo communib
3 cessitatibus, vt ait *Siluest. verb. gabella.* 5. Conditio
non exigantur à personis exemptis, à monachis, moni
à clericis maiorum Ordinum, nec à clericis minorum
num habentibus beneficium Ecclesiasticum. Aliàs is
gentes, consiliantes, auxiliantes, fauentes, aut exequ
excommunicantur, nec absoluantur, donec plenè satisfa
Ita *cap. quamquam, de censib. in* 6. *& in Bulla Cœnæ*
cap. clericis, de immunit. Eccles. in 6. excommunicantu
reseruatione, Ecclesiastici sine licentia Papæ ista quou
lore doni, aut mutui, &c. dantes, cum pœna etiam d
tio

tionis, sed hoc reuocatur *in Clem. quoniam, de immun. Eccles.* nec in Bulla Cœnæ innouatur, nisi solùm decreta de hoc in Concilijs generalibus, & specialiter excommunicatio ista accipientium etiam à sponte donantibus. Sed non gaudent dicta ex emptione clerici negotiantes ter moniti, vt à negotiando desistant. Ita *ca. ex litteris, de vita, & honestate cleric.* Et intelligitur ista conditio de tributis immediatè ordinatis pro bono communi sæcularium, etsi mediatè respiciant bonum ecclesiasticorum, vt sunt pontis instructio, fontis purgatio, viarum communium, & murorum reparatio, Ad hæc enim non contribuent ecclesiastici: vt ait *Siluest. verb. immunitas.*

11. Poterunt autem si velint de consensu Episcopi, & cleri, & cum licentia Papæ. Ita *c. aduersus, & cap. non minus, de immun. Eccles.* Et si instet necessitas, nec patet aditus ad Papam, sat erit deliberatio cleri cum Episcopo, vt dicitur *in cap. fin. de Eccles. ædif.* At si necessitas communis ex æquo respicit vtilitatem ecclesiasticorum, & laicorum; debent clerici contribuere de consensu Episcopi, & cleri; vt in tempore pestis tenentur clerici pro rata contribuere expensas pro extrahendis infirmis, ne Rempublicam inficiant. Ita *Ludou. Lop. c. 187. & communiter.* Et nota, posse Regem ex rationabili causa ex ordine ad bonum commune desumpta, eximere aliquos à tributis. Nam vt dixi, potest ista tributa imponere in ordine ad bonum commune; ergo in ordine ad istud bonum ob seruitia Reipublicæ impensa potest aliquos eximere. Ita *Soto, Nauar. in Man. cap. 15. num. 6. Ledesm. tract. de iustit. distrib. & communiter.* At non potest id facere sine causa, maximè si tributum istorum exemptorum alijs imponatur. Et idem est si Rex eximit aliquem ob pecuniam, non potest istius tributum alijs imponere. Ita *Soto, Siluest. Cord. & Ledesm.*

2. Conclusio. Tributa certò iniusta non obligant, sicut nec 4
lex iniusta, vt dicitur *1. 2. q. 96. art. 4.* Et in dubio de iustitia tributi, si sit antiquum, & vt iustum consuetudine receptum, etsi modò insurgat dubium etiam rationabile, adhuc est reddendum. Nam tunc Rex possidet, & in dubio melior est conditio possidentis. Ita *Ledesm. cum alijs.* At si tributum sit nouum, & tunc rationabiliter dubitetur de eius iustitia, aliter est dicendum. Ita *Gabr. in 4. d. 15. q. 15. art. 2. Med. q. 13. Aragon. 2. 2. qu. 62. art. 3. Manu. Rodr. & Ledesm.* Nam ciues tunc sunt in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis. Et si obijcias, quia in dubio præsumendum est pro

Rege. *Ad hoc dico*, hoc debere intelligi, si non agit
teresse Regis. *Et nota*, quod si in aliquo cabildo trac
impositione alicuius iniusti tributi, & maior pars vult
tire, minor pars peccabit contra iustitiam consentie
scit quod non consentiendo maior pars non consentie
iam sit causa efficax talis tributi. At si minore par
non consentiente, alijs consentientibus imponatur tr
peccabit minor pars contra charitatem consentiendo
probando malum, sicut dixi de eligente indignum *art*
9. Et ex hoc patet peccare mortaliter contra iustitiam
res ciuitatum non astantes in cabildo, si sciunt conuen
faciendo aliquid iniustum: cùm ex iustitia, & officio
cum periculo alicuius damni astare tunc teneantur, vt si
damna suæ Reipublicæ. Aliàs illa restituent: nisi cert
illa damna impedire non posse.

3 3. Conclusio. Vectigalia decimæ partis videntur i
Ita *Soto, Med. 1.2. q. 96. art. 4. & alijs*. Sunt enim in ma
Reipublicæ perniciem, cùm cessent negotiationes, vt pa
est si trigesima pars soluatur, vt ait *Med. & Ledesm.* N
sit tanta Reipublicæ necessitas, vt ad decimam soluen
neamur. Vnde si tributa sint nimis excessiua, solùm tene
subditi soluere quotam arbitrio prudentum moderata
non plus, etiam sub iuramento demandati.

4. Conclusio. Tributa iusta obligant in conscientia
moderatum stipendium debetur ex iustitia Regi etiam
li, quia gubernat, tuetur, & conseruat in pace Rempub
Sed ista non soluantur quousque petantur, vbi vsus ita
qui potest derogare legi contrariæ, quæ habetur *en el c*
no de las alcaualas, ley 120. vbi præcipitur, vt intra qu
dies tributum publicano tradatur. Sed hæc lex non
4 recepta. At si petantur, fideliter manifestentur. Ita *I*
& communiter. Et addit *Ledesm. cum Bannes*, esse
bile: quod semel occultato, etiam cum dolo, iusto tr
non est restituendum post duos annos. Nam in dic
terno, *l.* 129. ponitur publicano terminus duorum
rum, intra quos possit petere tributum, & in certis me
quæ non venduntur coram tabellione, ponitur terminu
rum mensium. Sed alijs videtur, quod etiam transac
termino non deobligantur à soluendo tributum dolo
tatum, etsi publicano denegetur actio in iudicio. *Et*
quod qui à Rege damnum accepere, possunt comp

in solutione istorum tributorum, etiam si sint à Rege alijs attendata. Ita *Silu.ver.Gabella.2.& Nauar.lib.3.de restit.cap.1.n.248. contra Ledes.* oppositum asserentem,& forte verius, de tributis attendatis.

5. Conclus. Si celebrata aliqua venditione rescindatur ante traditionem rei, & pretij,etiam dato signo emptionis,non debetur vectigal. Ita *Ledes & Lud.Lop.2 p.c.41*.Non enim censetur consummata venditio,cum nec res,nec pretium sint tradita. Secùs, si res ad creditum venditur, & traditur. Cum iam emptio sit perfecta; & consummata. Nam hæc est natura contractus ad creditum.

Dub.2. *An cæsores lignorum restituere teneantur.*

1. Conclus. Cædens sibi ligna in siluis communibus sui oppidi non peccat saltem mort. cum ligna sint pro vtilitate ciuium. Nec restituet,*contra Manu.Rod in sum.1.p.c.38.* Nam lex vetans cæsionem lignorum solum obligat ad pœnam.Imo, etsi cædas ligna ad vendendum, non peccas mort.nisi ex frequenti cæsione lignorum silua deuastetur. Nam tunc restitues, *vt ait Bannes,2.2.q.62.art.3.* cum violes iustitiam commutatiuam priuando alios ciues iure, quod habent ex iustitia distributiua ad ligna vt ad alia bona ærarij publici, *iuxta dicta art.2.dub.8.* Et idem de cædente ligna in silua particularis domini,quæ non constat esse ab eo, aut à suis maioribus consita. Nam istæ siluæ censentur applicatæ dominis particularibus hac lege, vt ipsis liceat cædere ligna sine pœna, etiam deuastando siluam,alijs verò liceat cum sua pœna. Nec aliter possunt applicari siluæ,vtpotè,cum ligna producantur pro communi vsu hominum sine labore humano.

2. Conclusio. Cædens ligna in silua oppidi vicini nihil restituet. Nam oppida vicina mutuò sibi compensant damna ista, cædendo quiuis ligna in siluis alterius, & sola pœna sunt contenti, si comprehenduntur. Et intelligitur conclus. 1. Nisi silua deuastetur, alias deuastator peccabit mort. contra iustitiam commutatiuam, & restituet. 2. Nisi oppidanus cædens ligna non habeat in suo oppido siluas, in quibus fiat compensatio.

3. Conclusio.Cædens ligna in silua domini particularis,a b eo,aut suis maioribus consita, si inferat notabile damnum, etiam citra deuastationem, peccat mort. contra iustitiam commutatiuam, & restituet. Et quod sit notabile damnum iudicetur attenta materiæ qualitate. Nam in lignis à terra

vltro

vltro sine cultura, & labore productis maior quantitas requiritur ad graue damnum. Et quod dicitur de lignis istis syluestribus, dic de eorum fructibus, vt de glandibus, *ait Bannes*, cum fructus sequatur naturam, & conditionem arboris. Et idem dic à fortiori de herbis facilius à terra ortis: in quibus omnibus attendatur consuetudo approbata.

6 Dub. 3. *An venatores, & piscatores teneantur restituere.*

1. Concl. Qui piscatur, aut venatur in fluuijs, aut memoribus patentibus Reip. seu particularis, nec peccat mort. nec restituet nisi fiat magna deuastatio ferarum. Patet ex dub. 2. con. 2. Imò à fortiori, cum illa animalia non sic ac ligna sint applicata, sed huc & illuc percurrant, & pascantur pastibus nemorum vicinorum.

2. Conclusio. Qui venatur in nemoribus circumseptis à domino particulari, aut piscatur in alieno stagno, restituet. Ita *Soto, 4 de iust. q. 6 art 4 Bannes, 2. 2 q. 62. art. 3. Cau in reg. peccatum 2. p.* § 8 *n* 14. Nam feræ istæ per inclusionem fiunt simpliciter propriæ domini fundi: cum intra proprium fundum pascantur. At feram semel egressam capere licet, etsi non amiserit consuetudinem eundi, & redeundi ad proprium nemus. Ita *Bannes, & communiter contra Nau in man. c. 27. n. 129 & Manu. Rod. in sum. 1. p. c. 37.*

7 Dub. 4. *An liceat aues aucupari.*

1. Concl. Aues domesticæ, vt gallinæ, anseres cicures, & alia animalia arte mansueta, capta etiam extra suam domum restituantur. Et hoc est omnibus certum. Et etiam est certum non peccare qui aucupatur aues syluestres, etiam tempore vetito. Et patet à fortiori ex dictis de venatione ferarum: cum aues liberius vagentur, & sint communiores.

2. Conclusio. Aucupator columbarum intra columbarium iustè & sine iniuria vicinorum constructum, restituet. Secus de aucupatore illarum extra leucam à lege taxatam, *vt ait Soto 4. de iust. q 6. art. 4 contra Ludou. Lop. tom. 1. cap. 146. cum Cord.* Nam tum fiunt communes, & pascuntur alienis pascuis. Imò etsi pecces contra obedientiam legis aucupando columbas intra illam leucam, sed non contra iustitiam, *vt ait Bannes, & Armi, verb. columbarium, contra Soto, & Couarr.* Nam columbæ egressæ à columbario non sunt magis propriæ domini columbarij, quam feræ egressæ à fundo vallato. Et lex vetans aucupium non applicat columbas domino columbarij.

Dub. 5.

 8

Dub. 5. *Ad quid teneatur negligens custos montium, & fluuiorum, &c.*

1. Concl. Si ista vetare sit iniustum, peccauit custos etiam stipendiatus & iuratus, exigendo pœnas, aut denuntiando venatores, & lignorum cæsores. Nam qui tunc vetat illorum acceptionem, peccat contra iustitiam: ergo & ministri ad id iuuantes.

2. Concl. Si ista vetare sit iustum, peccat contra iustitiam negligens custos, non denuntiando, aut non exigendo pœnas. Nam ob stipendium acceptum tenetur ex iustitia diligenter custodire montes. Ita *Nau. cap.* 25. *num.* 34. Et idem ait de custodibus aduenarum custodientibus, ne merces extra regnum deferantur. Sed in duobus casibus excusabuntur. 1. Si dissimulent cum egenis. 2. Si dissimulent cum amicis domini fundi, & consanguineis, & rationabiliter intelligant id domino placere. Ita *Nau. c.* 17. *n.* 122. *&* 123. 2

3. Concl. Custos negligens de leui culpa restituet damna. Ita *communiter*. Imò & pœnas quas venatores soluerent, si ab eo denuntiarentur. Sicut idem dicetur de ministris iustitiæ in præcepto. 8. *q.* 3. *art.* 1. *dub.* 6. *Ita Aragon* 2. 2. *qu.* 62. *artic.* 3. *& Manuel. Rod. in sum.* 1. *part. cap.* 123. Etsi opposita sententia Nauarri sit probabilis. Imò *cap.* 25. *num.* 34. ait satis probabiliter, custodem istum non teneri restituere pretium acceptum pro non denuntiando. Quia ad istam acceptionem non est inhabilis per leges.

ARTICVLVS IV.

SVMMARIVM.

Quomodo facienda restitutio rerum existentium in spe, n. 1.
An fructus percepti ex furto restituendi. n. 2.
Quomodo restituenda res furata, si sit meliorata vel deteriorata, num. 3.

An teneatur quis restituere quod non abstulit.

1. Conclus. Qui intulit damnum in re actu habita, illam integrè restituet.

2. Concl. Qui intulit damnum in re habita in spe, restituet non ad æqualitatem, sed pensatis circumstantijs rei, &c.

Dub. 1. *Quomodo fiet restitutio rerum existentium in spe.* 1

1. Concl.

1. Concl. Qui per ignorantiam inuincibilem intulit damnum in istis, nihil restituet. Quia non ratione rei acceptæ; cum nihil habeat alienum: nec ratione acceptionis, vt patet; ergo. Si autem intulit damnum ex ignorantia culpabili, & à fortiori si videns, & sciens calcauit sata, etsi id non intenderet primo, & per se, sed implere suam libidinem, restituet attentis circumstantijs spei, periculorum & futuri temporis, & demptis expensis faciendis pro colligendo rem. *Ita ex Diu Thom.*

2 2. Conclus. Res ablata fructuosa restituatur cum fructibus perceptis, cum res domino fructificet. Imo & cum fructibus non perceptis, si dominus rei erat illos percepturus, *iuxta cap. grauis de resti. spoliat.* & demptis expensis faciendis.

3. Conclus. Non est fructus pecuniæ furatæ, quod fur lucratur cum illa. Nam cum pecunia sit infructifera, lucrum ex ea acceptum industriæ furis tribuitur. Restituatur tamen pecunia furata cum lucro cessante, & damno emergente ex eius ablatione, v. gr. si furatus es triticum, aut aliud seruandum in tempus, quo pluris æstimatur, restitues valorem, quo tunc æstimabitur. Quia illius damni fuisti causa.

3 4. Conclusio. Res furata meliorata apud furem restituatur demptis expensis non extraordinarijs, sed faciendis à domino si rem secum haberet. At si res sit deteriorata apud furē eius culpa, restituetur cum compensatione damni, vt patet ex illa regula iuris. Si tua culpa, vtpotè contra iustitiam commutatiuam, damnum illatum est, iure super his te satisfacere oportet. Secùs si non sit deteriorata culpa latronis, sed eodem modo fieret deterior apud dominum. Nisi aliàs dominus eam venderet ante deteriorationem. Nam iam latro erit causa istius damni. Etsi aliud dicant alij.

ARTICVLVS V.

SVMMARIVM.

An restitutio sit facienda cum damno alicuius, n. 1.
An restituenda res illa cuius datio & acceptio est prohibita, num. 2.
Quid si sola acceptio sit iniqua, n. 3.
Quomodo restituenda bona incerti domini, n. 4.
Cuius expensis restituendum debitum domino absenti, n. 5.

An

AN *restitutio sit facienda ei à quo est res ablata.*

1. Concl. Si res sit eius à quo ablata est, restituatur ei; sin minus, vero domino. Nisi restituenti damnum immineat in persona, aut bonis. Vel nisi dubitetur an res sit furtiua. Nam tunc melior est conditio possidentis.

Dub. 1. *An restitutio sit facienda domino cum damno eius, aut alterius.* 1

1. Conc. Peccas mor. contra iustitiam dando v. g. gladium domino petenti ad se, aut alterum occidendum, aut aliud damnum contra iustitiam inferendum, si sine tuo graui damno potes illum retinere, & restitues damna secuta cum sis illorum causa. Imo si dominus petit depositum in damnum Reip. aut personæ Reip. maximè necessariæ, etiam cum periculo vitæ illum retine, si sic malum vitatur. Quia pars cum suo damno tenetur conseruare totum.

3. Conclusio. Si redditio depositi cedit in damnum spirituale creditoris solum, vt si petit pecunias ad scortandum, reddantur. Nam dominus habet ius petendi, & alter retinendo non vitat eius peccatum: cum sit ad illud paratus, in quo consummatur. At si depositi redditio cedit in damnum spirituale tertij, vt si petuntur pecuniæ ad solicitandam virginem, peccas mort. ex genere contra charitatem eas reddendo, si eas retinendo vitatur malum, & alias sine tuo graui damno potes eas retinere. Nam si corporale damnum est à nobis vitandum in proximo, à fortiori spirituale.

Dub. 2. *An si datio, & acceptio rei sit lege vetita, sit restituendum acceptum, vt pretium datum iudici pro iniqua sententia, aut testi pro falso testimonio, aut fiscali pro non accusando.* 2

1. Concl. Stando in iure naturæ tale precium, aliàs non excessiuum, non est restituendum. Nam labor & industria in his sunt pretio æstimabilia. Alias faber ferrarius nil posset accipere pro gladio ad hominem occidendum, nec miles pro bellando in bello iniusto.

2. Concl. Stando in iure positiuo, probabile est tale pretium esse restituendum, aut ei qui dedit, *vt ait Soto. 4. de iust. qu. 1. art. 1. ad 2.* aut pauperibus, vel cui est facta iniuria, *vt ait Caiet. ver. restitutio c. 4.* aut indifferenter pauperibus, vel ei qui dedit, *vt ait Siluest. verb. restitutio.* Nam in vtroque iure irritantur istæ donationes, *l. iuris gentium, §. si hoc*

si hoc maleficium, ff. de pact. & cap. non sa nè, 14. q. 5.

3. Concl. Probabile etiam est, quod: dhuc stando in iure positiuo non est restituendum tale pretium. Ita *Nau. cap. 17. nu. 30. Ange. verb. concussio, Bannes, 2.2. q. 62. art. 5. & communiter moderni.* Nam illæ leges etsi de iegent actionem in iudicio petenti pretium: sed non inhabilitant recipientem pretium ad eius dominium, vt patet rectè intuenti. Item *vt ait D. Thom. ad 2. & communiter*, mulier etiam nupta recipiendo moderatum stipendium attenta eius qualitate pro vsu sui corporis, nil tenetur restituere, *contra Medinam, C. de rest. tract. de rebus restit. 6. Silu. & Nau. n. 39.*

3 Dub. 3. *An si sola acceptio sit iniqua, sit restituendum acceptum?*

1. Concl. Accipiens pretium pro re, quam non ex iustitia, sed ex alia virtute tenebatur præstare, nil restituet. Patet in medico recipiente pretium pro medendo extremè indigente, & in aduocato pro patrocinando eidem.

2. Concl. Accipiens pretium pro re, quam ex iustitia tenebatur præstare danti pretium, tenetur illud restituere. Patet in iudice recipiente pretium à me pro sententia iusta in meum fauorem, & in scholari pro suffragio ferendo digniori danti pretium. Nam res pro qua datur pretium, est dantis pretium: ergo iniustè ei venditur. De teste an ex iustitia teneatur testificari, dico in 8. præcepto, qu. 3. art. 4. dub. 13.

3. Concl. Qui accipit à me pretium pro non faciendo alteri iniustitiam, nil restituet. Nam iste non accipit pretium pro non faciendo iniustitiam absolutè, sed pro non faciendo illam in gratiam mei, & hoc est pretio æstimabile, nec mihi debitum. Ita *Soto, Bannes, & alij, 2.2. q. 62. art. 5.* Etsi oppositum, ait Bannes, sit communius, *Adrian. Silu. Caiet. & aliorum.*

4 Dub. 4. *Quomodo sint restituenda bona quorum dominus, & eius hæres diligenter inquisiti ignorantur. Et sermo est de iniuste acquisitonis; nam ne inuentis dixi, q. 2.*

1. Concl. Si scitur aliquem ex decem, v.g. esse dominium rei, diuidatur inter eos si sit diuisibilis, sin minus, sortiantur de illa, aut diuides eius pretium. Et si solum scitur dominum esse de illo oppido, restituatur communicati, aut pauperibus istius oppidi, si res sit alicuius momenti, sin minus dethr pauperibus occurentibus. Ita *Bannes*. Et patet diuitijs captis in iusto bello in India. Nam cum dominus ab-

lati

fati non comparet, fiet restitutio iuxta eius voluntatem interpretatiuam. Sed in hoc præsumitur voluntas interpretatiua veri domini, vt detur ciuibus suæ Reip. quibus meritò est magis affectus, maximè quia ibi erunt eius hæredes, ergo.

2. Concl. Si dominus sit omnino ignotus, expendatur res in pios vsus de consilio confessoris, *vt ait Bannes & communiter. Imò vt ait Nau. c. 17. num.* 93. potest confessor applicare totum, aut partem debiti debitori pauperi. Et facta ista restitutione, non tenetur debitor iterum restituere, si postea comparet dominus: bene tamen pauperes, si res manet apud eos; aut restituent id in quo facti sunt ditiores ex illa. Et nomine pauperum, aut piarum causarum semper intelliguntur monasteria, hospitalia, Ecclesiæ indigentes ædificijs, ornamentis, &c. *Ita Nau. in Man. c. 26. n. 29.*

Dub. 5. *Cuius expensis sit mittendum debitum domino absenti.* 5

1. Concl. Debitum paruum, etiam iniustè acceptum non restituatur cum expensis notabilius, *vt dixi de fama, art. 2. dub.* 5. sed differantur restitutio in tempus opportunius, vel erogetur pauperibus, si non speretur tale tempus. Et hæc debet esse rationabilis domini voluntas. Imò etsi dictum debitum sit magnum, & iniustè acceptum, & pro nunc non potest solui sine magnis expensis, & expectato tempore fiet sine illis; differatur restitutio: nisi aliàs dominus grauiter egeat.

2. Concl. Debitum etiam magnum licitè contractum non restituetur cum expensis debitoris: dum tamen cesset in eo dolus, & mora. Nam si dominus recessit, sibi imputet. Satisfaciet enim debitor seruando rem, aut monendo dominum.

3. Concl. Debitum magnum iniustè acceptum aut detentum, vt si debitor fuit in mora soluendi, & interim dominus recessit; aut si debitor de industria recessit, restituetur cum expensis debitoris: nisi aliàs dominus esset eas facturus. Nam dominus est seruandus indemnis, cum non distet sua culpa.

4. Concl. Si debitor tenebatur restituere ratione rei acceptæ vt depositarius, & dedit debitum fidei nuntio, ad nil aliud tenetur: etsi in via pereat. At si tenebatur ratione acceptionis, siue iustæ vt in commodato, siue iniustè vt in furto, etsi det illud fideli nuntio, si pereat, iterum restituetur.

Nam

Nam debitori ſte accepit debitum in ſuum commodum, ergò & debet ſentire damnum. Et intelligitur, niſi ex voluntate domini, aut iudicis mittatur per iſtum nuntium.

ARTICVLVS VI.

SVMMARIVM.

An qui emit rem furto ſublatam teneatur eam reſtituere ſuo domino, num. 1.
Quid dicendum de emptore dubiæ fidei, num. 2.
An depoſitarius teneatur reſtituere depoſitum ſi ſua culpa pereat, num. 3.
An commodatarius ſi commodatum pereat, num. 4.
Ad quid teneatur conductor ſi res conducta pereat, num. 5.
An conductor teneatur ſoluere penſionem locationis ſi non vtatur re conducta, num. 6.
An ob fortuitam ſterilitatem vel fertilitatem agri ſit minuenda vel augenda penſio agri ab agricola, num. 7.
An adultera teneatur ſe prodere ne filius adeat hereditatem, num. 8.
An adulter in hoc caſu teneatur iuuare adulteram vt ſatisfaciat, num. 9.

1 AN *ſemper teneatur reſtituere qui accepit.*

1. Concl. Qui habet rem alienam, aut fructus eius, aut ſi ex illa ſit factus ditior, reſtituet ratione rei acceptæ. Quia habet plus, quàm debet habere. Ex hoc patet 1. eſſe probabilem ſententiam Victoriæ hic, *Silu. ver. reſtitutio* 4. *Nau. in Manu. c.* 27. *n.* 29. *& aliorum, contra Soto* 4. *de iuſt. q.* 7. *ar.* 2. *& Med. tract. de rebus reſt. q.* 10. quod qui bona fide emit rem furatam, ſi poſtea ſcit eſſe furatam, & alias videat aliter non poſſe pretium recuperare, poteſt reſcindere contractum cum latrone, etſi ſciat iſtum non reſtituturum. Nam tunc non cooperatur latroni, ſed ponit rem in ſtatu in quo inuenit, & ſeruat ſe indemnem. At ſi aliter poteſt recuperare pretium, vero ſimile eſt, quod ex iuſtitia tenetur eam reddere vero domino. Alias, *ait Bannes*, videtur cooperari latroni. Et ſi emptor emit rẽ à latrone, vt det eam domino, demat pretium datum pro ea. Nam ex bono opere non debet reportare damnum. 2. Patet, quod ſi emptor bonæ fidei durante bona fide vendidit rem alteri

non

non tenetur restituere pretium, sed id solum quo factus est ditior, vt si pluris vendidit, quam emit, restituet excessum. Et si res erat fructifera, restituet id in quo factus est ditior, demptis expensis, & labore. At si rem gratis acceptam à fure gratis dedit, aut eodem pretio vendidit, & in nullo sit factus ditior, nihil restituet. Ita *Victor. Caiet.2.2.qu.62.art.6. Silu. ver.rest.3. Soto 4.de iust.q.7.a.2.* & communiter, excepto Bannes cum Pena asserente totum pretium esse restituendum vero domino. Imò addit *Nauarr. numer.7. & Medin. in sum. 30.* quòd in dicto casu primus emptor non tenetur seruare indemnem secundum emptorem; Quia sine culpa sua, & bona fide tradidit ei rem ex natura sua integram, etsi ab extrinseco vitiosam. Ergo si iuxta Bannes secundus emptor est seruandus indemnis, quia est sine culpa, primus etiam emptor erit seruandus indemnis, cum etiam sit sine culpa, & hoc est verius.

2. Concl. Si acceptio rei sit iniusta, restituetur, & ratione rei acceptæ & ratione acceptionis, & sic etiam si pereat restituetur. Ex quo patet *contra Siluest. ver. restitutio.3. & contra Nauarr.n.84.* emptorem malæ fidei non posse rescindere contractum cum latrone, sed tradet domino rem cum fructibus, & damnis, sicut fur, cui est cooperatus, etsi pereat in eius potestate, & etiamsi ex sua negligentia non capiat fructus, quos dominus caperet. Et idem de emente à fure dictam rem per ignorantiam crassam.

De emptore dubiæ fidei dico, quod si emit rem agens negotium veri domini, tenetur diligenter eum inquirere. Et si compareat, dempto sibi pretio dato, det illam ei, aut pauperibus, si non compareat dominus. At si cum dubia fide emit rem in suum commodum, peccat mortal. & restituet, sicut emptor malæ fidei. Quia exponit se periculo contrectandi alienum inuito domino. At si iste à principio bona fide emit, & postea dubitauit an res esset furtiua, diligenter veritatem inquiret. Et si hoc facto adhuc manet rationabile dubium, potest sibi retinere rem. Nam in dubio melior est conditio possidentis, quod intelligitur etiam de dubio rationabili, sed iam diligenter examinato. Et licet iste possit contractum rescindere cum venditore: cum sic velit se indemnem seruare, at non potest eam vendere alteri: *contra Siluest. verb. restitutio. 3.* nisi moneat eum talis fidei dubiæ; cum debeat declarare vitium

mercis, & seruare tunc emptorem indemnem. Ita *Bannes dub. 4. & 5.*

3. Concl. Quis accipit alienum etiam sine iniuria per contractum quo transfertur dominium, vt per mutuum, tenetur restituere non solum ratione rei acceptæ, sed & ratione acceptionis. Et sic restituet rem, etiam si pereat de casu fortuito, & sine sua culpa: cum res domino pereat.

4. Conclu. Accipiens alienum in vtilitatem domini, vt depositarius, solum restituet ratione rei acceptæ. Et sic si res sine culpa pereat, nil restituet.

3 Dub. 1. *Circa 4. Conclus. An depositarius teneatur restituere depositum, etsi pereat sine sua culpa.* Et non sumitur nunc culpa pro peccato, sed pro negligentia custodiendi aliquid. Et hæc alia est leuis, quam homines diligentes vitant regulariter, *vt ait Nauar. c. 27. n. 278.* vel vt ait Med. in sum. quæ solet cadere in hominem mediocriter diligentem, vt si relinquas librum in cubiculo aperto. Alia est culpa leuissima, quam homines diligentissimi vitare solent, vt ait Nauar. vel vt ait Medin. quæ solet cadere in homines diligentissimos, vt si relinquas librum in cubiculo clauso, sed non obserato. Alia est culpa lata, quam homines regulariter vitant, vt ait Nauar. vel vt ait Medin. quam homines negligentissimi solent committere, vt si relinquas librum in ostio domus.

1. Concl. Depositarius restituet depositum etiam si pereat sine culpa mort. aut ven sed solum de lata culpa. Ita communiter contra Sotum *4. de iust. qu. 7. ar. 2.* requirentem culpam mort. Sed conclusio est D. Thom. hic, *& colligitur ex l 1. §. vlt. ff. depositi.*

2. Conclusio. Depositarius non tenetur restituere de leui leuissima culpa. *communiter, & colligitur ex lege cit* Et patet. Nam depositarius recepit depositum in gratiam deponentis, ergo solum est grauandus de lata culpa. Et intelligitur ex natura depositi. Nam si depositarius accepit pretium pro custodia depositi: sicut accipit stabularius pro seruandis quæ in eius stabulo deponuntur, tenetur ea restituere si pereant de leui culpa. Imò si accepto maiori pretio rem assecurauit, restituet de casu fortuito, vt fit in contractu assecurationis.

4 Dub. 2. *De qua culpa teneatur restituere commodatarius, qui accepit commodatum in suam solum vtilitatem.*

1. Conclusio. Iste restituet commodatum periens de sua culpa

culpæ leuissima. Hæc contra Soto requirentem etiam hic culpam mort.sed minorem quàm in depositario. *Et concl.est communis Theologis,& iuristis,Caiet.Bannes, & alijs 2.2. qu. 62. art.6. Adrian.in 4.tract.de rest.Silu.verb commodatum, & habetur cap.1. de commodato*. Nam iste accepit rem in suam solum vtilitatem.

2. Concl.Non tenetur iste restituere commodatum periens de casu fortuito. Nisi vt dicitur cap.1.de commodato, accepto pretio ad id se obligauit,aut nisi casus ille fortuitus sua culpa accidat,vt si fuit in mora reddendi rem ob quod est deteriorata aut consumpta, & perijt aliter quam periret apud dominum,aut si eam applicuit ad alium vsum. Ex hoc patet teneri te restituere mulam commodatam vsque Toletum,& vltra deductam,ob quod incidisti in latrones,qui eam rapuere.

Dub 3. *De qua culpa restituet conductor, qui accepit rem in suam,& locantis vtilitatem*.

1. Conclusio. Conductor restituet de leui culpa. Ita *communiter Thomist.2.2.qu.62 art.6.& Iurista in leg. contract. ff. de regul. iur.& in ti.de locato & conduc*. Nam locatio fit in vtilitatem conducentis,& conductoris; sed depositarius, quia accepit in solam vtilitatem domini,tenetur solum de lata culpa, & commodatarius, quia accepit rem in suam vtilitatem solùm, tenetur de culpa leuissima,ergo conductor tenetur de culpa media:cum vtilitas sit communis conducenti,& conductori. 5

2. Conclus. Si conductor accepit pretium pro custodia rei conductæ, restituet de culpa leuissima. Nam ob pretium ad amplius tenetur. Imo aliquando tenebitur de casu fortuito. Primò, si accepto maiori pretio ad id se obligauit.Secundò,si fuit in mora reddendi rem,aut ex alia culpa perijt aliter quam periret apud dominum, vt casu mulæ dubij secundi. Sed si à Valleoleto in Salmanticam conduxisti mulam per tres dies,& in duobus diebus iter absoluisti, si aliàs dedisti congruum pastum, non restitues mulam sic pereuntem. Nam ordinarium iter mulæ sunt decem aut duodecim leucæ. Ita *Medin.in sum.* §.29. Et intelligitur *vt ait Ludou. Lop.tom.*1. *c.*396. nisi ex eo quod mula erat fatigata,sit data hac conditione, vt tribus diebus iter fiat ne mula pereat.

Dub.4. *An si conductor domus,aut agri, istis non vtitur, teneatur soluere pensionem locationis*. 6

1. Conclus. Qui ob delictum bona amisit,& à fortiori si ob

aliam iustam causam v. gr. pestis aut quia in domo apparebant visiones, dimittit domum, aut agrum locatum, soluet pensionem pro rata temporis, quo talibus est vsus. Ita *Nauarr. cap. 17. num. 187. ex communi sententia, & Man. Rod. in sum. 1. part. cap. 20.* Secus si sine iusta causa deserit domum aut agrum, tunc reddet integram pensionem. Nisi dominus statim inueniret alium conductorem. Nam tunc recipiet pensionem pro rata temporis, & insuper compensationem damni secuti interim ac domus locatur. Et idem est de locante operas suas, qui si culpa sua omittat operari, restituet damnum secutum domino. Nisi statim inueniatur alius qui similiter inseruiat. Nam tunc dominus soluet priori salarium pro rata seruitij. Ita *Nauarr. cap. 17. num. 197.* At si ex casu fortuito omittit operari, remittetur illi pensio solum pro rata temporis, quo non est operatus. Ita *Nauarr & habetur l. si vno ff. locati, § item cum quidam*. Sed si omisit operari, quia dominus voluit, soluet dominus denarium promissum. Nisi alias operarius inueniret alium dominum pro tunc, *vt ait Siluest. verb. locatio*, & insuper soluet ei expensas, quibus se præparauit pro ei seruiendo. Ita *Silu. & leg. pecuniam ff. de cond. ob causam, de eo qui parauerat ire ad locum, &c.* Nisi dominus iustè eijceret eum. Nam tunc detur ei pensio pro rata seruitij.

2. Concl. Si dominus agri aut domus sine iusta causa eijcit conductorem, non soluet iste pensionem; nisi inueniat statim alteram domum. Imò dominus domus restituet conductori damnum secutum, vt si maiori pretio sibi locatur alia domus. Patet ex dictis à contrario sensu. At si dominus iustè eijcit à sua domo conductorem, soluet iste pensionem pro rata temporis. Et in quatuor casibus iustè eijcitur. 1. Si domino domus superuenit necessitas, cui aliter non potest subueniri. 2. Si conductor recipit meretrices, & lenones. 3. Si domus malè tractatur. 4. Si non soluit pensionem. Ita *cap. propter, de locato, & cond. De quo Nauar. num. 193.*

7 Dub. 5. *An ob sterilitatem agri fortuitam sit aliquid remittendum agricolæ de pensione agri. Et similiter ob fertilitatem fortuitam an sit aliquid pensionis addendum domino agri.* Et dicitur sterilitas fortuita, quæ prouenit ex insolito calore, frigore, tempestate, nimia pluuia, locusta, & similibus, seclusa negligentia culturæ, & debilitate terræ. Ita *ex leg. ex conducto. ff. locat. §. si vis.* Et iudicium de hac sterilitate, *ait Nauar.*

*narr. cap.*17. *num.*188. arbitrio prudentum, & consuetudini regionis relinquatur. Et istis cessantibus, *ait ex Bart. ca. propter legem, ff. de conducto. ci.* sterilitas hæc est quando ex tribus partibus, quæ communiter colligi solent, vix duæ colliguntur. Et tunc si ager sit locatus tribus aureis, solùm duo soluantur. Etsi in Lusitania sit lex, vt si nulli colliguntur fructus, nulla detur pensio: at si aliqui etiam pauci, detur integra pensio; aut omnes fructus, dempta semente, domino relinquantur. Similiter fertilitas fortuita non est, quæ prouenit ex industria coloni, aut ex fœcunditate agri. Nam dominus totum hoc locauit. Ita *Silu. verb. locatio.* Neque prouenit, ex eo quod fructus ad maiorem valorem venerunt. Sed quando ex eo quod alia molendina, v.g. sunt diruta, meum molendinum tibi locatum plus tibi fructificat.

1. Conclusio. Si sterilitas sit tanta, vt non compensetur ex fertilitate præcedentis, & sequentis anni, fiet agricolæ aliqua remissio pensionis. Ita *Nauarr. ca.*17. *num.*198. *Et patet. ex cap. propter. de locato. & cond.* Secus, si compensetur; vt si in anno præcedente, & sequenti plus solito tertia pars colligatur.

2. Conclus. Ob fertilitatem fortuitam augenda est pensio pro rata aucti fructus. Patet ex dictis.

Dub. 6. *An res inferioris ordinis sint restituendæ cum damno superiorum?*

1. Conclusio. Negatiua, secluso bono communi. Ita *Caiet. & Bannes, 2. 2. quæst.* 62. *art.* 6. *Med. in sum.* §. 19. *Soto,* 4. *de iustit. quæst.* 7. *art.* 2. *& alij.* Nam inferiora debent ancillari superioribus: ob quod in extrema necessitate licet rapere aliena ab subueniendum vitæ propriæ. Et sic adultera etiam 8
infimæ sortis, & nupta viro nobili cui supponit filium & consequenter hæreditatem omissis filijs legitimis, non se prodat, cum periculo famæ, etsi sciat profuturum, *vt ait Caietan. & Nauarr. cap.* 16. *numer.* 43. *& Doctores citati contra Cordo. lib.* 1. *quæst.* 32. Nec tenetur adultera hoc reuelare suo spurio, *vt ait Soto, & Medin.* Nisi fortè tantæ virtutis sit, *ait Nauarr.* vt secretè monitus credet matri, & restituet. Alias filius non tenetur credere, *vt ait Siluest. cum Panorm. verb. adulterium.* Et si certo credat restituet absque infamia sua, & matris, & reseruando sibi congruum victum, ne mendicare cogatur. Tenebitur tamen adultera, si potest, & spurius non restituit, ex iustitia aliter satisfacere, aut con-

ferendo bona libera filijs legitimis, aut consulendo spurio intrare religionem.

2. Conclusio. Nec adultera, nec alius tenetur etiam in casu hæreditatis Regni prodere se cum periculo vitæ. *Ita communiter contra Soto*. Nam vita est finis omnium temporalium, cui ista debent seruire. Damna enim il.ata in bonis vnius generis reparentur cum damno bonorum eiusdem generis. Si imposuisti crimen alteri, ob quod occiditur, eum à morte cum damno vitæ tuæ eripies, si aliter non potes eripere, nisi sic; *vt ait Bannes, Soto 4. de iust. q. 6. art. 5. ad 4. Nauarr. cap. 15. n. 17. & Couar. in reg. peccatum 1. p. §. 3. n 6.* Sed si iam est occisus, & manet infamis cum sua familia, & confiscatis bonis, non reuoces sententiam cum periculo vitæ: sed exeundo extra regnum pones te in loco tuto, *vt ait Bannes dub. 9.* & exinde recantabis sententiam, & de tuis bonis restitues hæredibus defuncti in quantitate læsa. Et si non potes exire à regno, in tuo testamento clauso illud declarabis.

9 Dub. 7. *An adulter teneatur in dicto casu iuuare adulteram vt satisfaciat?*

1. Conclusio. Adulter regulariter non tenetur credere adulteræ dicenti aliquem esse filium amborum, maximè si sit leuis, & solita coire cum alijs. Et tunc adulter nil restituet.

2. Conclusio. Si adulter credit, aut ex coniecturis credere debet, in dicto casu non tenetur, secundum Soto, restituere sumptus factos à filio in domo patris putatiui, nisi aliàs sit diues, & potens. Quia, ait, sola adultera supponit spurium. Sed contrarium est probabilius. Ita *D. Anton. 3. par. tit. 2. cap. 7. Siluest. & Medin. loco citato, Victor. & Bannes, 2. 2. quæst. 62. art. 6. & Nauarr. cap. 16. num. 48.* Nam adulter etiam inuitatus ab adultera est concausa suppositionis spurij: & fecit iniuriam sicut & adultera, istius marito. Et sic iuuabit adulteram pro restituendo iuxta maiorem, aut minorem certitudinem quam habet, an sit filius suus. Imò si adulter vi, aut minis coegit adulteram, restituet omnes sumptus, & insuper satisfaciet adulteræ pro vi. *Et nota*. Quod qui exponunnt filios educandus hospitali, aut alibi, si possunt eos educare, restituent expensas educationis, cum defraudent pauperes, pro quorum educatione sunt instituta hospitalia. Ita *Siluest. & Nauarr.*

AR-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SVMMARIVM.

Qui sint causæ morales iniustæ acceptionis, & quo ordine teneantur ad restitutionem, num. 1.
Itinerantes separatim deuastantes vineam, quam restitutionem facient, num. 2.
An recipiens furẽ, & eius furta teneatur aliquid restituere, n. 3.

AN *qui nihil accepere restituere teneantur.* I
1. Conclusio. *D.Thom.* Omnes causæ morales etiam indirectæ iniuriosæ acceptionis, tenentur in solidum restituere: licèt enim sint illæ causæ partiales physicæ, quia tamen totus effectus est singulis voluntarius, singuli censentur causa eius totalis moralis.

2. Conclusio. *D. Thom.* Inter istas causas. Prima est causa imperans, si suo imperio est secutum damnum. 2. Causa consulens eadem limitatione. Et restituet solùm de lata culpa. Patet etiam in aduocato patrocinante in causa iniusta, qui restituet omnia damna partis contrariæ; si pars, quam defendit, non restituet. Imò ista non restituat, si ex consilio aduocati, aliàs non factura si sciret iniustitiam suæ causæ, mouit litem. Imò & tunc aduocatus tenetur de leui culpa ob stipendium acceptum restituere suæ parti expensas litis, & damna secuta ex hoc. Si verò bona fide consuluisti aliquem contractum, ex quo secutum est damnum, aut si vt impedires maius damnum in eandem personam consulis minus, vt si videns Petrum paratum occidere Paulum, consulas vt sit contentus dando alapam, nec peccas, nec restitues. Tertia est causa consentiens, si sic est causa furti, vt pater consentiens filijs furari. Quarta est causa adulans, si sua adulatio est causa alteri furandi. Quinta causa participans mala fide in ipsa acceptione iniusta, & restituet in solidum. Sed qui bona fide comedit gallinam furatam, censens esse inuitantis illum, solùm restituet id, in quo factus est ditior. Et adhuc hoc, si inuitator non potest restituere. Nam si potest & aliàs res furata sit vno vsu consumptibilis, inuitatus, etsi sciat illas escas esse furatas, nil restituet: sicut nec si inuitetur ad alias escas furis: cùm istæ escæ non sint obnoxiæ restitutioni obligatione reali, sed personali, & satisfa-

ciat fur reddendo valorem. *Et nota* circa eos, qui ſeparatim ſunt cauſæ alicuius damni, vt itinerantes deuaſtantes vineam exiſtentem propè viam carpendo ſingulos racemos: quod ſi ſciſti, aut ſcire debuiſti alia modica furta aliorum, peccaſti mortaliter carpendo racemum,& teneris ſub mortali illum reſtituere. At ſi illud non aduertis,nec debuiſti aduertere,ſolùm peccaſti venialiter. Sed ſi poſteà tibi conſtet de damno, teneris ſub mortali tuum racemum reſtituere, & reſpondere excommunicationi latæ in hoc. Ita *Nauar. cap.17. num.*130. Sexta cauſa,non obſtans,& non manifeſtans,ſi,vt ait *D.Thom. ad* 3. ex officio ad id tenetur,vt Prætor,cuſtos vineæ,aut montis, peccat mortaliter, & reſtituere tenetur de leui culpa, ſi tacet. At qui non tenetur ex officio obſtare, aut manifeſtare, peccat mortaliter contra charitatem tacendo; ſi aliàs poteſt obſtare ſine ſuo damno graui.

3 3. Concluſio. Qui recipit latronem vt ſic, & rem ab eo furatam, reſtituet in ſolidum damna ex hoc ſecuta: cùm faueat furi ad furtum. Ita *D.Thom.* Secus ſi recipit furem, quia eſt amicus, conſanguineus, aut quia habet neceſſitatem hoſpitij, aut ſi non poteſt tradere rem furtiuam ab eo habitam in depoſito, ſine periculo vitæ, aut famæ.

4. Concluſio. Si vnus ſocius alicuius iniuſtitiæ in ſolidum reſtituit, alij reſtituent iſti pro rata. Ita *D.Thom. ad* 2. Niſi aliàs iſte eſſet cauſa præcipua alios inducens. Ita *Caietan. & Bannes, art.6. ad* 3.

ARTICVLVS OCTAVVS.

SVMMARIVM.

An reſtitutio ſtatim obliget, num. 1.
*An facienda cum graui damno ſtatus,num.*2.
Quo ordine debita ſunt ſoluenda dum non poteſt omnibus ſatisfieri, num. 3.

1 AN *teneamur reſtituere ſtatim.*
Concluſio. Tenemur reſtituere ſtatim,ac poſſumus. Ita *D.Thom.* Nam cum præceptum reſtituendi, ait *D.Thom. ad* 1. includat iſtam negationem, non retineas alienum, obligat ſemper, & pro ſemper. Et ſi non potes ſtatim reſtituere, habeto animum reſtituendi pro tempore quo poſſis. Et dum

habes animum contrarium, es in actuali peccato. Et explicabis in confessione tempus, quo habuisti talem animum, & quo potens restituere non restituisti.

Dub. 1. *An teneamur restituere cum graui damno status.* 2

1. Conclusio. Non tenemur restituere cum graui damno status iustè comparati, si aliàs creditor non patitur extremam necessitatem, qua mendicare cogatur. Sed tenemur parcè viuere in illo statu, vt paulatim restituamus. Vbi diligenter attende, quando debitor restituendo cadet à suo statu. Et in dubio declinabis in fauorem creditoris, cuius melior est conditio. Sed si debitori sequitur graue damnum, & creditori nullum, aut paruum commodum ex hoc, quod modò fiat restitutio, differatur pro tunc. Nisi aliàs illud damnum sequatur ex natura debiti, vtpotè magni, aut quia si debitor modo soluit, desinet lucrari aliquid. Excusatur etiam debitor, ait *Nauar. cap. 27. num. 79.* à mora soluendi si creditor scit debitum, & sine metu potest illud petere. Secus si creditor ignoret debitum, aut præsumitur non petere ob metum etiam reuerentialem.

2. Conclusio. Tenemur restituere cum amissione status iniustè comparati, retinendo parcè necessaria pro conseruando statu, à quo iniustè ascendimus. Ita communiter, ait *Bannes, 2.2.q.62. art. 8. paucis Iuristis exceptis.* Et patet: Nam non est minor iniquitas tueri statum iniustè acquisitum, quàm illum comparare tollendo alienum.

Dub. 2. *Quo ordine sunt debita soluenda, si non sint opus, pro omnibus creditoribus.* 3

1. Conclusio. Primò soluantur debita existentia in propria specie iustè, aut iniustè contracta. Ita *Caiet. verb. restitutio, cap. 8.* Et loquitur, & de rebus, quæ non transferant in dominium accipientis illas, vt depositum, commodatum, furtum. Et de emptis non solutis exstantibus in propria specie, cùm res ipsa in se manens, dum non soluitur eius pretium, fit restitutioni obnoxia. Secundò soluentur expensæ funeris. Ita *Siluest. verb. restitutio. 6.* Sed alia legata non sunt debitis præferenda, *contra Siluest.* Tertiò, debita certa incertis præferantur. Et inter certa, prius soluantur debita habentia realem actionem super bona debitoris, vel quia creditor habet pignus debitoris, vel quia habet hypothecam generalem, aut specialem expressam, aut tacitam super eius bona. Ita *ex l. eos, C. qui potior. in pignore habeantur,*

ff. vt

ff. vt supra, *& lege* 11. *tit.* 19. *p.* 5. Et bona tacitè hypotheca: ta, sunt, Primò Bona mariti pro dote, arrhis, & alijs bonis paraphernalibus vxoris. Ita *l. assiduis*, *C. cit.* Et talium obligatio etiam sine verbo, & scriptura resultat. Ita *l.* 23. *tit.* 13. *p.* 5. *& l.* 17. *tit.* 11. *p.* 4. Et quando ista hypotheca alijs præferatur dixi *quæstione* 1. *dub.* 9. Secundò, Bona facientis pactum cum fisco. Tertiò, Domus, nauis, vinea, vel alia empta, aut reparata pecunijs mutuatis, sunt specialiter hypothecata pro illis pecunijs. Ita *l.* 2. *ff. qui potior. in pign. & l.* 18. *tit.* 13. *p.* 5. Et idem est de re empta pecunijs orphani, *l.* 30. *tit.* 13. *p.* 5. Et inter istos creditores præferantur habentes hypothecas antiquiores, ait *Bannes*, *& Couar.* 1. *variar.* 7. *num.* 2. *regulariter*, *& cæteris paribus*. Nam hypotheca specialis est præferenda generali omnium bonorum regulariter, excepta dote, & debito Regis. Ita *l.* 30. *tit.* 13. *p.* 5. Hæc de debitis habentibus hypothecas.

2. Conclusio. Debitum personale, quando, v. g. sola persona ob delictum commissum manet obligata, est præferendum debito reali, etiam priori: quando, v. g. obligantur bona. Ita *lege* 11. *tit.* 14. *p.* 5. Et inter debita realia prius soluantur pecuniæ mutuatæ pro sepeliendo mortuo. Ita *lege* 30. *tit.* 13. *p.* 5. Et deinde soluantur pecuniæ mutuatæ pro soluendo stipendio debito portantibus res venditas à creditore, etsi debitum venditoris sit prius. Ita *l.* 29. *tit.* 13. *p.* 5. Item obligatio constans per publicam scripturam præferatur alijs etiam prioribus sic non constantibus, excepta, vt dixi, dote, & debito Regis. Ita *l.* 31. *titul.* 13. *p.* 5. Et si quis creditorum præuenit alios in iudicio, petendo debitum, potest iudex isti integrè soluere. Ita *lege* 11. *titul.* 14. *p.* 5. At seclusis dictis, etsi antiquiora debita sint præferenda, iuxta *leg.* 5. *&* 17. *tit.* 20. *libr.* 3. *fori*, *& leg.* 27. *titul.* 13. *part.* 5. sed in conscientia iuxta communiorem sententiam non est seruandus ordo, sed diuidantur debitoris bona singulis creditoribus pro rata debiti cuiusque. Et sic debitor non potest vni creditorum integrè soluere, si non habet bona, quibus alijs soluat, aliàs integra solutio debiti vnius reuocatur, *l.* 1. *&* 2. *ff. quæ in fraudem creditorum*. Sed, vt ait *Syluest. verb. restitutio.* 6. poterit debitor in conscientia integrè soluere pauperi etiam non petenti, etsi in foro externo talis solutio reuocetur. Ex dictis patet, quod non est seruandus ordo inter debita licitè contracta, & inter contracta illicitè, non obstanti-

ſtantibus, Caiet. dicente licitè contracta eſſe prius ſoluenda; & Medina oppoſitum dicente: eo quod ad debita illicitè contracta tenemur, & ratione rei acceptæ, & ratione iniuſtæ acceptionis. *Et nota*, Quod ſi debitor acceptante creditore tranſtulit debitum in alium, etſi iſte non ſoluat, primus debitor manet liber à debito. Ita *lib.* 3.*fori*, *tit. vltim. l.*16.

3. Concluſiò. Dictus ordo reſtituendi, ſi non obſtet alia lex iuſta, ſeruetur ſub peccato mortali: aliàs debitor ſoluet damna ex hoc ſecuta creditoribus. Et idem eſt de creditore præoccupante bona debitoris, omiſſo dicto ordine. Ita *lege finali*, § *etſi præfacta*, *C. de iure delibe. & lege* 6. *part.* 6. *& Bannes*. Si tamen vnus creditorum accepit à debitore integrum debitum, etiam contra dictum ordinem, tutus manet, ſi ex parte ſua abſit vis, aut dolus. Nec reſtituet antiquioribus creditoribus: cùm non acceperit pluſquam debeat habere. Niſi aliàs alij creditores haberent hypothecas, aut pignus ſupra bona debitoris.

OCTAVVM PRÆCEPTVM DECALOGI.

NON LOQVERIS CONTRA PROximum tuum falſum teſtimonium.

OMnia peccata contra hoc præceptum reducuntur ad tria prædicamenta. In primo continentur ſuſpiciones, & iudicia temeraria. In 2. Peccata linguæ. In 3. Peccata commiſſa in iudicio à iudice, accuſatore, reo, teſte, & aduocato.

QVÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

DE IVDICIIS, ET SVSPICIONIBVS.

D. Thomas 2. 2. quæst. 60.

SVMMARIVM.

An iudicium temerarium sit peccatum mortale, num. 1.
An suspicio deliberata in re graui sit peccatum mortale, nu. 2.
Quæ indicia requirantur ad rectè iudicandum, vel suspicandum de proximo, num. 3.
Quomodo iudicandum de his peccatis in confessione, num. 4.

1 DVB. 1. *An iudicium temerarium sit peccatum mortale.* 1. Conclusio. Qui sine iudicijs sufficientibus ex plena deliberatione, & certo, sinistrè iudicat de bonitate alterius, peccat mortaliter. Ita *D. Thom. art.* 3. Nam per hoc iudicium grauiter despicitur proximus, & indignus censetur honoribus, & mallet ille, quod ab eo tolleres decem aureos, quàm quod de eo haberes talem æstimationem.

2. Conclusio. Qui ex indeliberatione, etiam in re grauissima, & leuibus indicijs, aut si in re leui, etiam ex plena deliberatione, & leuibus indicijs, sinistrè iudicat de alterius bonitate, solùm peccat venialiter. Et grauis materia censetur illa, per quam proximus grauiter despicitur, & infamatur, etsi in illo nullum, aut leue sit peccatum; vt iudicare de viro grauissimo esse mendacem, fatuum, de gente Iudæorum, &c. Nec etiam omne peccatum mortale est grauis materia in hoc temerario iudicio. Nam iudicare de viro profano, quod sollicitat fœminam, aut exercet aliud peccatum, de quo non dedignatur, non est grauis materia. Et ex dictis patet, non esse peccatum mortale, iudicare sinistrè etiam ex plena deliberatione, & in re graui, de aliquo cum sufficientibus indicijs. Sed quæ sint indicia sufficientia arbitrio prudentnm relinquitur.

2 Dub. 2. *An suspicio plenè deliberata in re graui, & leuibus indicijs sit peccatum mortale.*

1. Conclusio. Probabile est, quod sic. Ita *Bannes, Victor, & Thomistæ communiter, 2. 2. quæst.* 60. *art.* 3. *Soto* 1. *de iustitia, q.* 4. *art.* 3. *Medina in summ.* Nam maior iniuria fit proximo, suspi-

ſuſpicando illum eſſe hæreticum, quam iudicando eſſe fornicarium, & magis læditur, & contemnitur per illam ſuſpicionem, quàm per hoc iudicium; ſed tale iudicium eſt peccatum mort. ergo.

2. Concl. Pars negatiua videtur mihi probabilior. Ita *Caie. Roſe. & Armi. verb. iudicium, & verb. ſuſpicio. Lud. Lop tom. 1. cap* 283. Et videtur D. Thomæ art. 3. vbi ait ex gloſſa, ſuſpiciones vitare non poſſumus: iudicia tamen firmaſque ſententias contemnere debemus. Et quod l. 12. art. 34. ait, quod ſuſpicio ſi non ſit ex odio, ex ſuo genere non eſt peccatum mor. quia eſt imperfectus actus in genere iudicij. Et patet. Nullum iudicium citra certitudinem eſt peccatum mort. *iuxta D. Thomam, & Caiet.* Sed iſta certitudo tollitur non ſolùm per dubitationem, quæ in neutram partem declinat, ſed etiam per ſuſpicionem, & opinionem, quia etſi ſuſpicio, & opinio vni parti magis adhæreant, ſed non ſine formidine alterius partis.

A*d argumentum* 1. *Concluſio* Negatur antecedens. Nam per ſuſpicionem non amittis tuam æſtimationem, nec grauiter deſpiceris. Et ſi homines magis timent ſuſpicionem de grauioribus, quàm iudicium certum de minoribus criminibus, ideò eſt, quia inde ſibi timent maius malum; vtpotè quia iſti maleuoli ſuſpicioſi in aliquo inſidiabuntur, & aduerſabuntur ſibi, vel quia timent, quod ſaltem indirectè ſuas ſuſpiciones alijs reuelabunt. Ex dictis patet dictum Medinæ in ſum. ſatis ſcrupuloſum, quod qui habens bonam opinionem de aliquo ex leuibus indicijs in re graui deliberate ſuſpendit actum, peccat mort. vt ſi cenſebas Petrum eſſe nobilem; & quia alius paruæ auctoritatis dixit eſſe de gente Iudæorum, ſuſpendis actum. Hoc enim non videtur verum, cum maius ſit ſuſpicari quam dubitare, opinari, aut ſuſpendere actum.

Nota. 1. quod cum maius ſit iudicare quam ſuſpicari, & hoc maius quàm dubitare, & opinari; maiora indicia requiruntur ad rectè iudicandum, quàm ad ſuſpicandum, & adhuc maiora ad rectè ſuſpicandum, quàm ad dubitandum, vt ſi fide dignus refert ſe audiſse à fide dignis, alium bonæ famæ furatum eſse, poteris ſuſpicari, non iudicare. Et ſi vir timoratus refert hoc de alio non ita bonæ famæ, potes iudicare ita eſse. Sed non ſi loquax & mendax id referat de viro timorato. Imo non potes ſuſpicari ita eſse, Et tantum poteſt eſs e bonum nomen eius, de quo iſta referuntur, & adeo in- 3

famis

famis relator, vt nec dubitare possis. At si vterque sit bonæ famæ, attende circumstantias loci, temporis, &c. vt iudices grauitatem indiciorum, & si vtrimque apparent æquales rationes: suspende iudicium.

Nota 2. pro confessionis iudicio. Quod si pœnitens est timoratus. nec habet consuetudinem temerariè iudicandi, hoc est, non est malitiosus, non illicò damnetur, si dicit se iudicasse, tut suspicatum esse. Quia regulariter in his suspicio aut iudicium prouenit ex inde liberatione, maximè si sit melancholicus. At si pœnitens non sit ita timoratus, sed haber consuetudinem temerariè iudicandi, timendum est ex plena deliberatione iudicasse, & peccasse mort. ob prauam consuetudinem iudicandi: maximè si sit malitiosus, & malè affectus ad eum de quo sinistrè iudicat.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE PECCATIS LINGVAE.

ARTICVLVS I. DE CONTVMELIA.

D. Thomas. 2. 2. q. 72.

SVMMARIVM.

Quid sit contumelia & quotuplex, *num*. 1.
An contumelia sit semper peccatum mortale, *num*. 2.

1 DVB. 1. *Quid sit contumelia*.

1. Concl. D. Thom. art. 1. Contumelia propriè consistit in verbis. Nam contumelia est dehonoratio contraria reuerentiæ honori exhibendæ, sed reuerentia præcipuè consistit in verbis; cum ista principalius significent, quàm facta: ergo. Sed contumelia largè sumptâ consistit in factis. in quantum procedunt ex animo iniurandi: vt si animo paruipendendi percutis alium arundine.

2. Concl. Contumelia propriè diuiditur in contumeliam
2 strictè dictam, vt si objicias alteri sua peccata v. g. vocando eum ebrium animo iniurandi: & in conuicium, vt si objicias alteri iniuriam, quæ non est peccatum in eo, vt si voces eum Iudæum, & in improperium, vt sit alteri objicias iniu-

iniuriosè beneficia ab eo recepta.

3. Concl. ex D. Thom. art. 2. Coutumelia ex genere suo est peccatum mort. & grauius furto: cum tollat præstantius bonum, vtpotè honorem. *Et nota ex D. Thom.* quod malitia peccatorum linguæ non sumitur sicut in peccatis operis ex solo obiecto; sed etiam ex intentione proferentis illa ex qua habent significare inhonorationem. Ex iuxta vtrumque aggrauatur, & alleuiatur contumelia. *Nam* si contumelia sit de re leui, aut cum aliquali defectu cautelæ in præuidendo inhonorationem, quæ ex tuis verbis oriri potest, vt contingit inter mulierculas, & homines infimæ classis ad inuicem se iniuriantes, quibus parum solet adhiberi fidei; aut si fuisti negligens venialiter in præuidendo inhonorationem ex tuis verbis secuturam, erit solùm peccatum ven. At si materia sit grauis, & procedant verba contumeliosa ex animo iniurandi, aut ex crassa ignorantia seu negligentia considerandi quod objicitur, erit peccatum mort. Sed si contumelia etiam de re graui non procedit ex animo iniurandi, vt fit in parentibus, & prælatis objicientibus verbus verba contumeliosa subditis ob correctionem, nullum erit peccatum. Sed in hoc, ait D. Th. moderatè procedatur, ne incautè tollant honorem à subditis; alias peccabunt mort. etsi non intendant dehonorationem. De modo restituendi honorem dixi qu. de resti. art. 2. dub. 6.

ARTICVLVS II. DE DETRACTIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 73.

S V M M A R I V M.

Quid sit detractio & quale peccatum, num. 1.

An & quando liceat reuelare crimen alterius occultum, num. 2.

An sit peccatum reuelare crimen publicum notitia iuris vel facti, num. 3.

An referre crimina occulta sub dubio & non assertiue, sit peccatum, num. 4.

An aperire vel legere litteras obseratas, sit peccat. mort. num. 5.

An detractio sit grauior alijs peccatis contra proximum, num. 6.

An audiens detractorem peccet. num. 7.

Dub. 1.

1 DVB. 1. *An detractio sit peccatum mortale.*

1. Concl. D. Thomæ art. 1. Detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba. Vbi occultatio non pertinet essentialiter ad detractionem, sicut pertinet ad furti essentiam. Nam ille est verè detractor, qui ex intentione suis verbis tollit ab alio famam: quod fieri potest in eius præsentia. Et sic tunc tenebitur etiam honorem restituere. Ex quo patet, contumeliam, & detractionem essentialiter differre & ex parte obiecti; quia contumelia tollit honorem, & detractio famam. Et ex parte modi; quia coutumelia requirit essentialiter, vt fiat in præsentia; at detractio abstrahit à præsentia, & absentia.

2. Concl. D. Th. art. 2. Detractio ex suo genere est peccatum mort. Nam per illam tollitur fama pretiosior cunctis opidus iuxta illud. *Eccl. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit, tibi quam mille thesauri.*

3. Concl. Detractio, sicut & alia peccata, fit peccatum ven. aut ex imperfecta deliberatione, cum nec plenè aduertit, nec potuit aduertere; aut ex leuitate materiæ. Et leuis materia censetur per quam proximus parum infamatur, siue sit in se peccatum siue non. Dicere enim de viro graui, quod sit mendax aut Iudæus, est materia grauis: cum per hoc grauiter infametur: dicere vero de aulico dormisse cum meretrice, erit leuis materia in ordine ad detractionem: cum de his parum iste infametur, imo glorietur.

2 Dub. 3. *An liceat reuelare alterius crimen occultum.*

1. Concl. Peccas mort. ex genere contra iustitiam reuelando crimen occultum alterius etiam probabile tribus testibus. Ita communiter per se loquendo. Nam in aliquibus casibus illud licebit. Primò, seruato ordine correctionis fraternæ licet reuelare crimen fratris, vt corrigatur modo dicto suprà in 5. Præcepto. Secundò, *ex mente Caietani, 2. 2. qu. 73. art. 2.* non erit peccatum mort. reuelare crimen alterius occultum viro graui, & timorato, si scitur quod iste alteri non reuelabit, nec reo nocebit. Et sic excusat Caiet. parentes reuelantes sibi ad inuicem crimina filiorum, & excusat eos qui in confessionibus, & consultationibus incautè reuelant complices suorum peccatorum. Sed hæc sententia, etsi ob tantum Doctorem probabilis sit, opposita tamen *Soto 5. de iust. q. 10. art. 2. & Bannes, 2. 2. q. 73. ar. 2* est communior. Et videtur *D. Thomæ art. 1. ad 2.* Vbi ait, quòd dicens

cens

cens malum de absente vni soli corrumpit famam eius in parte. Item pluris æstimant viri cordati habere bonum nomen apud vnum virum grauem, quam apud multos vulgares, maximè si cum eo conuersantur, apud coniunctionem alicuius necessitudinis habent. it enim *D.Tho.2.2. q.144. art.3.* à sapientibus, studiosis, & à personis coniunctis, & ab his qui possunt iuuare, vel nocere, à quibus homo magis desiderat honorari, magis verecundatur. 3. Licet reuelare alterius crimen occultum pro vitando damno proprio: vt si quis torquetur, vt alterius crimen occultum reuelet, potest illud reuelare, *ait Sot.* Non enim tenetur cum tanto periculo tormentorum seruare famam, aut vitam alterius: si alias illud non sit secretum Regis, vel Reip. vel extortum ab isto, qui torquetur, cum iniuria illata illi occulto peccatori, & ex cuius reuelatione pendet istius peccatoris vita 4. Tenemur reuelare occultum crimen alterius pro vitando damno proximi, & à fortiori pro bono communi, si aliter ei non subuenitur. Ita *D. Thom. quæst. 70. art. 1. ad 2.* Et sic tenentur reuelare striges latrones, & alios peccatores nociuos Reip. & proximis. Ex dictis patet 1. Licere reuelare aliorum defectus naturales ex culpa parentum prouenientes, vt quod quis sit illegitimus, de gente Iudæorum, Saracenorum, aut damnatorum per sanctam Inquisitionem. Expedit enim, vt isti alias perniciosi noscantur, vt sic honores dignis, & non istis tribuantur. Ita tenent viri prudentes, & sapientes, *ait Medin in summ.* §.35. etsi alijs hoc videtur scrupulosum, maximè si isti nulli nocent. 2. Patet, licere occultè patienti iniuriam, reuelare cui prosit, iniuriantem, & in hoc durantem, si aliter non vitatur malum. Imò & reuelare iniuriam iam occultè illatam, cui interueniat pro compensatione, nisi iniuria sit leuis & iniuriator persona grauis, quæ magnam patietur infamiam. Nam tunc erit culpa mort. istum reuelare. At si persona secretò grauiter iniuriata non valens se à dolore cohibere in querimonias prorupit publicas, non illicò de culpa mort. damnetur, etsi iniuriator infametur. Durum enim videtur sic afflictum animum cohibere ne in querimonias prorumpat, cum hoc naturalissimum sit. Ita *Lud. Lop. tom. 1. c. 263.*

2. Conclusio. Nec peccas contra iustitiam vbique reuelando infamatum per iudicem. Ita *Sot. Med. Bann. loco cit. & fere communiter.* Nam iste publico præconio in vltionem criminis sic iure famæ est spoliatus, vt cuique sit facta co- 3

Q piat

piat ea crimina vbique publicandi. Sed aliquando erit peccatum mortal. contra charitatem talia reuelare, vt si reus iam emendatus bonum nomen recuperauit vbi moratur: cùm bona fama maximè conducat hominibus ad virtutem sectandam, & conseruandam, qua de medio ablata, quasi præcipites in malum corruunt. Ita *Sot. contra Caiet. & Nau.*

12 3. Conclu. Reuelans alterius delictum diuulgatum per maiorem partem viciniæ, aut collegij, dum non est damnatus per iudicem, peccat mort. contra iustitiam, *Secundum Sot. Cord. lib. 1. de detract. q. 3. Adrian. quodl. 11. q. 1. & Med. in summ.* §. 14. Vbi ait, quod non damnatus per iudicem, qui fugit è carcere, si alibi infametur, est in fama restituendus. Quia nullus nisi iudex potest eum fama priuare, & sic non est fama spoliatus. Sed oppositum est probabilius. Ita *Caiet. Bann. & alij*. Imò nec peccat contra charitatem istum reuelando, *ait Bann.* si creditur, quod notitia talis criminis illuc deueniet. Imò etsi illic non esset diuulgandum, *ait Nauar. in man. c. 18. num.* 26. Quod maximè verum est in aliquibus insignibus criminibus quorum notitia expedit bono communi. Et sic excusantur chronistæ ista scribentes, & viri timorati illa per epistolas denuntiantes.

4. Conclus. Referre alterius delicta occulta sub dubio, & ex auditu, & non assertiuè, non est peccatum mort. *ait Caieta. 2.2. q. 73. art. 2. & Silu. verb. detractio.* Sed Sot. Bann. & communiter oppositum docent. Nam etsi sic referens non generet determinatum assensum in audientibus, tamen generat suspicionem, & grauiter læditur proximus ob damna relata, q. 1. dub 2. Et si sententia Caiet. sit probabilis, moderanda est iuxta *Nauar. c. 18. nu.* 36. quando sic referens nec lædit notabiliter, nec intendit lædere, nec dat causam læsioni notabili, nec interuenit alia iusta causa credendi, vt auctoritas dicentis cum additione aliorum rem certificantium, quibus probabilis causa credendi audientibus præbeatur, sed solùm simpliciter refert illud audisse.

13 *Nota*, quod qui legit literas obseratas animo lædendi notabiliter aut aduertens, seu aduertere debens inde posse sequi notabile damnum, peccat mortal. Ita *Caiet. Armi. ver. litera. Nauar. n.* 33. Imò *Med. in sum.* §. 36. absolutè ait: quod qui aperit has litteras peccat mortal. ob periculum sciendi aliquod secretum. At si eas sine illo animo, & periculo aperit, sed vt ait Nauarr. ob curiositatem vt sciat noua, aut vt

captet

captet risum ex barbara compositione, aut ex eleganti voluptatem, aut quia putabat epistolam sibi mitti, peccat venialiter. Et qui epistolam legit de consensu saltem implicito mittentis, aut eius cui mittitur, aut si est Prælatus cuiuslibet istorum, aut vt ait *D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 22. §. 5. & Siluest. verb. falsarius*, si sit inimicus alicuius istorum, & iustè timet sibi parari malum, aut alteri iniustè, & vt caueatur, referat, non peccat.

Dub. 4. *An detractio sit grauior alijs peccatis contra proximum* 6

1. Conclusio. *D. Thom. art. 3.* Homicidium, & adulterium sunt grauiora, cùm per homicidium tollatur vita pretiosior fama, & adulterium sit contra debitum ordinem humanæ generationis.

2. Conclusio. *D. Thom. ibi.* Detractio est grauior furto, cùm tollat famam, quæ præstat diuitijs furto ablatis, vt dicitur Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Et eadem ratione est grauior quam contumelia, cùm fama sit pretiosior honore contumelia ablato. Et cùm ait *D. Thom. art. 3. ad 2.* contumeliam esse grauiorem, loquitur ex parte modi, ex quo contumelia includit maiorem contemptum proximi, secus est ex parte obiecti, in quo attenditur essentialis grauitas peccatorum.

Dub. 5. *An audiens detractorem peccet.* 7

1. Conclusio. Qui audit detractorem ob necessitatem, aut pietatem, non peccat. Ita *Medin. in sum. §. 35.* Et qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut animi leuitatem non resistit detractori, peccat venialiter. Ita *ex D. Thom. art. 4.*

2. Conclusio. *D. Thoma ibi.* Qui complacet sibi in detractione alterius, peccat mortaliter ex genere contra charitatem. Et idem de vidente damnum secuturum ex alterius detractione, si non resistit, cùm possit sine damno. Et si ad id ex officio teneatur, peccat contra iustitiam non resistendo detractori, vt si sit Prælatus detrahentis, aut eius cui detrahitur. Et sic restituet damna secuta: sicut & qui inducit detrahentem, aut addit ei animum ad detrahendum. Nam omnes isti sunt causæ morales talis damni.

3. Concl. Curiositas audientis alterius defectum, & intentantis certificari de eo, est peccatum veniale solùm. Nisi alia moralis circumstantia misceatur, vt si ab alijs hoc sciscitatur cum dispendio alienæ famæ. Ita *Cord. in sum. q. 37.*

Q 2 AR-

ARTICVLVS III. DE SVSVRRATIONE, & derisione.

D. Thomas 2. 2. q. 74. & 75.

SVMMARIVM.

Quid sit susurratio, & quale peccatum, num. 1.
Quid derisio, & quomodo differat ab alijs peccatis, num. 2.

1 Nota 1. Quod etsi per susurrationem, sicut & per detractionem, malum de proximo occultè dicatur: tamen differunt in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi, & sic præcipuè dicit verba infamantia: At susurro intendit dissoluere aliquorum amicitiam. Et sic susurratio est peior, cùm tollat amicitiam, quæ præstat famæ. Imò hæc disponit ad amicitiam. Ex quo patet susurrationem esse peccatum mortale ex genere, & sit peccatum veniale, aut ex indeliberatione, aut si parum minuat de amicitia. Imò vt ait *Soto* 5. *de iustitia, quæst.* 11. *art.* 1. laudabile est, dicere aliqua sine infamatione, vt dissoluas malam amicitiam, vt si vt amoueas hominem ab amica, dicas illam esse deformem, aut insulsam. Item qui sine animo disseminandi inimicitias narrat de alio publica vitia, vt sic istius amicitia ab alio explosa loco eius substituatur, non peccat: cum quisque sine vi, & dolo possit commodum, cuius est dignus sibi procurare. Ita *Soto*.

2 *Nota* 2. Quod derisio differt à præcedentibus peccatis. Nam detractio tollit famam, contumelia honorem, susurratio amicitiam, derisio intendit causare erubescentiam in irridendo, obijciendo ei mala culpæ, aut pœnæ: vt quod sit ebrius, aut cæcus. Et est peccatum mortale ex genere; cùm sit grauior contumelia, & detractione. Nam per derisionem non solùm tollitur honor, & fama, sicut per contumeliam, & detractionem: sed tolluntur ista maiori contemptu, & vilipendio. Et quanto persona, quæ deridetur, est dignior, est maior derisio.

AR-

ARTICVLVS IV. DE MALEDICTIONE.

D. Thomas 2. 2. q. 76.

SVMMARIVM.

An maledictio sit peccatum, num. 1.
An liceat maledicere creaturis irrationalibus, num. 2.
An maledictio sit grauior detractione, num. 3.

DVB. 6. *An maledictio sit peccatum.* 1

1. Concl. *D. Thom. art.* 1. Maledictio, in qua optatur, aut imprecatur malum peccatori non ex odio, sed vt resipiscat, aut ne peccata multiplicet, aut vt cesset nocere alijs, non est peccatum. Patet ex dictis *de homicidio dub.* 3. *in* 5. *precepto.*

2. Conclusio. *D. Thoma ibi.* Maledictio, in qua imprecatur, aut optatur malum, vt sic, & ex animo, est peccatum mortale ex genere, & tanto grauius, quanto charius amare tenemur personam, cui maledicimus. Vnde Leuit. 2. dicitur. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Sed fit maledictio peccatum veniale ex paruitate mali optati, aut ex indeliberatione: vt si ex leui motu iræ, vel surreptione talia verba proferuntur. Nam verborum significatio, & grauitas maximè pensatur ex affectu. Et sic maledictiones parentum in filios regulariter sunt peccata venialia, cum regulariter ex ira, & non ex desiderio procedant, cuius signum est, quod statim eos pœnitet maledixisse. Et idem est de aliorum maledictionibus sine desiderio mali.

Dub. 7. *An liceat creaturas irrationales maledicere.* 2

1. Conclusio. *D. Thoma art.* 2. Maledicere ista, in quantum sunt creaturæ Dei, est blasphemia. Et illa maledicere secundùm se considerata, est quid vanum, & sic illicitum. Nam benedictio, & maledictio soli competit rei, cui aliquid benè, aut malè contingere potest, vt creaturæ rationali, sed irrationalibus solùm in ordine ad hominem contingit bonum, an malum: ergo.

Dub. 8. *An maledictio sit grauior detractione.* 3

1. Conclusio. *D. Thom. art.* 4 Negatiua de maledictione exprimente simplex mali desiderium. Nam detractor sicut & contumeliator dicit de altero malum culpæ; at maledicens

dicit malum pœnæ, aut culpæ sub ratione pœnæ.

2. Conclusio. *D. Thomæ ibi.* Maledictio, quæ fit per modum imperij, cùm habeat rationem causæ, erit grauior detractione, si infert maius damnum, quam sit denigratio famæ, & minor, si minus. Et intelliguntur ista attentis per se pertinentibus ad ista vitia.

ARTICVLVS V. DE MENDACIO.

D. Thom. 2.2. quæst. 110. &c.

SVMMARIVM.

Quid, & quotuplex mendacium, num. 1.
Quid hypocrisis, & quale peccatum, num. 2.
Quid iactantia, & quot modis committatur, num. 3.
Quid ironia, & adulatio, num. 4.

1 DVB. 9. *Quid, & quotuplex sit mendacium, & quæ eius species.*

1. Conclusio. *D. Thom. art. 1.* Mentiri est dicere verum, aut falsum cum intentione dicendi falsum, & animo fallendi. Et sic qui dicit falsum putans se dicere verum, materialiter solùm mentitur. At qui dicit verum putans se dicere falsum, mentitur formaliter, etsi materialiter dicat verum.

2. Concl. *D. Thom. art. 2.* Mendacium aliud est iocosum, quando ioci gratia, & sine vllius damno mentiris; aliud est officiosum, vt cum vt tibi, aut alteri prosis mentiris: Aliud est perniciosum, vt si mentiaris cum damno alterius. Et licet omnia ista mendacia sint intrinsecè mala, sed mendacium iocosum, & officiosum sunt peccata venialia: at mendacium perniciosum ex genere suo est peccatum mortale: & si ex paruitate materiæ sit peccatum veniale. Ita *ex D. Thom. art. 3. & 4.*

2 3. Conclusio. Inter species mendacij prima est hypocrisis, cùm non ita te geris exterius in factis, sicut interius. Et sic mentiris fingendo te bonum, cùm non sis. Et peccas mortaliter si fingis te bonum, vt sis malus, aut vt adipiscaris præbendam, aut alia. At si es malus, & exterius ostendis te bonum, ne alios scandalizes, maximè si ratione status ad id tenearis, non es hypocrita: sed laudabiliter facis. Ita *ex D. Thom. quæst. 111.*

2. Spe-

2. Species mendacij est iactantia: cùm quis extollit se verbis, dicendo de se aliquid supra se: vt quod sit nobilis, cùm non sit, & peccat mortaliter, primò si iactet se de his, quæ sunt contra Dei gloriam, sicut fecit Rex Tyri, quando eleuatum est cor eius, dicens, *Deus ego sum, Ezechiel.* 18. aut si iactanter prorumpit in contemptum proximi, aut contumelias aliorum, sicut Pharisæus dicendo, Luc. 18. *Non sum sicut cæteri hominum raptores, &c. velut hic publicanus.* 2. Peccat mortaliter qui iactat se de malo à se non commisso in damnum suæ famæ, vel bonorum, sic enim mentitur perniciosè contra charitatem, qua tenetur diligere se. At si iactes te de his, quæ nec sunt contra Deum, nec contra te, nec contra proximum, peccas venialiter, & mentiris officiosè. 3. Peccat mortaliter, qui ex superbia, aut inani gloria mortali iactat se, ac si nihil acceperit a Deo, aut ponendo finem in iactantia. 4. Qui iactat se ob cupiditatem lucri peccat mortaliter, aut venialiter iuxta damni grauitatem, & restituet, vt si idiota iactet se esse Doctorem, & sic adipiscatur præbendam aliàs non adepturus. At qui gloriatur de peccato à se commisso, etsi peccet mortaliter, aut venialiter iuxta grauitatem peccati, de quo gloriatur, sed hoc non pertinet ad iactantiam: cùm hæc supponat mendacium, sicut species eius, sed ad vanam gloriam. Ita *ex D. Thom. q.* 111. 3

Tertia Species mendacij est ironia, qua à veritate declinando, minora de te dicis, vt si de te asseras aliquod vile, quod in te non recognoscis, aut si deneges de te aliquod magnum, quod percipis in te esse. Et est peccatum, cùm sit mendacium, etsi id ex humilitate facias, aut ob vitandam arrogantiam. Nam mendacium nulla via honestatur. Et sic ait *August. Serm.* 29. *de verb. Apost.* cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequàm mentireris, mentiendo efficeris. Et *D. Gregor.* 26. *mor.* 2. Incautè sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant. Et si iste minora de se fingit, vt alios dolosè capiat, peccat mortaliter. De isto enim dicitur Eccles. 19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Ita ex *D. Thom. q.* 113. 4

Not. ex D. Thom. quæst. 115. quod adulatio, qua quis dicit alteri verba, quibus fit vanus, maximè si illud, de quo illum laudat non est in eo, est contra hoc præceptum 8. Et est peccatum mortale. Primò, si proximus aduletur de peccato mortali, vt sic inducatur ad peccatum mortale. Secundò, si sic adulatus prætendit ex hoc, ea quorum est indignus. At si adulatio fit

de re bona, ex qua parum vanitatis est secutum in adulato, erit peccatum veniale.

QVÆSTIO TERTIA.

DE PECCATIS IN IVDICIO COMMISSIS.

ARTICVLVS I. DE INIVSTITIA IVDICIS.

D. Thomas 2. 2. q.67.

SVMMARIVM.

*An sententia iudicis excommunicati valeat, num.*1.
*Quæ personæ non gaudeant immunitate Ecclesiæ, num.*2.
*An rei confugientes ad Ecclesias possint inde extrahi, num.*3.
*An possint ibi ligari, num.*4.
*In quibus fideles omnes, & clerici sint exempti à potestate sæculari, num.*5.
*Quando iudex sæcularis possit comprehendere, vel punire clericum; num.*6.
*Quibus legibus ciuilibus subdantur clerici, num.*7.
*Iudex in ciuilibus, & criminalibus tenetur iudicare secundùm allegata, & probata contra scientiam priuatam, num.*8.
*Ad quid teneatur tunc iudex, vt liberet quem certo scit innocentem, num.*9.
*An iudex possit damnare reum sine accusatore, num.*10.
*An semper teneatur iudicare secundùm leges iustas, num.*11.
*An possit relaxare pœnam legis, num.*12.
*An si non damnet reum ad pœnam pecuniariam applicandam fisco, teneantur eam soluere, num.*13.

1 DVB. 1. *An iudex possit non sibi subditum iudicare, vbi tres insinuantur difficultates.*

1. *An sententia iudicis excommunicati valeat*. De quo in tract. de excommunicatione dicitur, quod sentētia excommunicati tolerati, etiam publici, valet vt communiter tenent *Bannes, & Thomistæ, 2.2.q.67.art.1.contra Caiet.ver.excommunicatio, & Soto 3.de iust.q.4.art.*6. Imò & sententia excommunicati non tolerati occulti, iuxta *l.Barbarius, ff.de offic præsid.* valet. Secus de sententia excommunicati non tolerati publici.

2. *Dis-*

2. *Difficultas An rei possint extrahi ab Ecclesia?* Et dicitur Ecclesia, quæ auctoritate Episcopi est ædificata; etsi non sit consecrata, sed in ea sacra celebrantur, *iuxta cap. Ecclesiæ, de immunitate Eccles.* Et idem est de monasterio, cœmiterio Ecclesiæ, domo Episcopi, & alijs locis iuxta morem. *Ita Ludou. Lop. tom. 1. cap.* 285. *&* 286. Et idem de associante Eucharistiam publicè delatam. *Ita Nauar. in man. cap.* 25. *num.* 18. *& alij, contra Couarr.* 2. *vari.* 20. *num.* 5.

1. Concl. Non gaudent immunitate Ecclesiæ hæretici, & alij in fideles, assasini, vtpotè, fidelem per infidelem occidentes, latrones publici, *iuxta cap. inter alia, de immun. Eccles.* viarum grassatores, itinera obsidentes, ac viatores ex insidijs aggredientes, depopulatores agrorum, committẽtes in Ecclesia, aut cœmiterio homicidia, aut membrorum mutilationes, *iuxta cap. vltim. de immunitat. Eccl.* aut aliud graue crimen: homicida proditorius, vtpotè, qui occidit alterum veneno, vel occidit non inimicum nihil tale præcauentem: cum non sit causa præcauendi. Et reus læsæ maiestatis in personam Principis non gaudet ista immunitate. Ita Gregor. 14. in motu incipiente. Cum alias nonnulli. Vbi etiam præcipitur Ecclesiasticis à ministris iustitiæ requisitis dictos reos tradere absque nota irregularitatis, aut alterius censuræ. Nec etiam gaudent Ecclesiæ immunitare euellentes terminos hæreditatum, nec reddituri Regi rationem de suis tributis, nec qui vt defraudent suis creditoribus *se alcancan*; id est consequuntur immunitatem, nec violatores Virginum. *De quo Hugo, verb. malhechor* De raptoribus virginum: de delinquentibus propè Ecclesiam vt sic ad eam statim confugiant, probabile est contra Couarru. gaudere immunitate Ecclesiæ, nisi vsus sit in contrarium. *Et prædictorum textus, & Doctores vide in Lud. Lop. & Nauarr. num.* 20. 2

2. Concl. Alij delinquentes etiam excommunicati, & interdicti etsi fugerint ex carcere, aut supplicio, gaudent immunitate ista. Et iudex extrahens eos ab Ecclesia vi, aut dolo, est sacrilegus contra Ecclesiam, & iniustus contra reum. Et si iudex infringit fores Ecclesiæ, vt reum extrahat, manet excommunicatus, & restituet reo, & Ecclesiæ damna secuta. *Ita Bannes, 2.2. qu.77. art. 1. dub.4. Med. in sum. cap.* 16. *& Ludou. Lop.* Et reus sic extractus non respondeat iudici interroganti, sed deludat eum verbis æquiuocis, cum leges illum extrahant à potestate iudicis: *vt patet tit.* 3

de

de immunitate, 1. *& 2. quæst.* 4. *& l.* 1. *ord. tit.* 2. Imò reus iste dum actu extrahitur, potest se defendere occidendo iudicem, si opus sit. Et idem potest quando sententiam exequitur: cum ei inferatur iniuria. Ita *communiter Doctores citati.*

4 3. Conclusio. Si certò constat reum gaudere immunitate Ecclesiæ, non potest ibi ligari, nec Ecclesia, aut cœmiterium obsideri, nec reo isti alimenta impediri. Et hæc est communis sententia, contra quam, ait Couarruu. nulla consuetudo prævalere potest. Et synodalibus Toleti excommunicantur aliter facientes, sicut & istos reos ab Ecclesia extrahentes. Potest tamen iudex secularis tollere arma ab existentibus etiam licitè in Ecclesia, imo & à clericis in Hispania repertis cum armis, vt sic ab eis tollatur occasio liberius patrandi scelera.

4. Conclusio. Si dubitetur an reus gaudeat Ecclesiæ immunitate, dum examinatur veritas, potest in Ecclesia ligari, ne fugiat interim. Et Gregor. 14. in motu cit. præcepit iudicibus secularibus, ne reos istos extrahant ab Ecclesia sine expressa licentia Ordinarij. Et extracti ponantur in carcere iudicis Ecclesiastici compediti, & custoditi per iudicem secularem: dum per iudicem Ecclesiasticum declaratur, an gaudeant immunitate. Sed hæc lex non est vbique recepta. *ait Man. Rodr. in sum. c.* 154.

3. *Difficultas. An clerici sint subiecti Reip. seculari.*

1. Conclusio. Omnes fideles ex iure diuino sunt exempti

5 à potestate seculari in spiritualibus; vt in Sacramentis, in creãdis Episcopis, & ministris Ecclesiæ, in ferendis censuris, & legibus concernentibus finem supernaturalem, in puniendis delictis, in quantum sunt contra vitam spiritualem. Ita *diffinitur in Concil. Const. sessi.* 8. 9. *&* 15. Nam Ecclesia est Resp. perfecta ab alia independens: ergo in concernentibus suum finem non subditur alteri potestati. Imò Resp. secularis, cum respiciat finem inferiorem, pendet ab Ecclesia in pertinentibus ad finem supernaturalem. Et si sic Resp. secularis condit legem bonis moribus, aut fini supernaturali contrariam, potest ista lex ab Ecclesia tolli.

2. Concl. Clerici sunt exempti à potestate seculari in ciuilibus, & criminalibus, in soluendis tributis, &c. ex iure canonico, vt patet in Conc. Const. *sess.* 13. *&* 15. *& in Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 2. *& ex iure ciuili. vt patet ex authen. statuimus. de Ep sc. & cler. & ex iure Hispano, lib.* 5 *tit.* 6. *p.* 1. *& lib.* 1. *ord.*

ord. tit. 3.*lib.* 6. Et cap. 1. de iura. calum. vetatur clericis, aut religiosis vtriusque sexus, iurare in ciuilibus aut criminalibus absque superioris licentia. Et ita expedit, vt qui præ est alijs in superioribus, non subdatur eis in inferioribus. Et etiam ne peccata clericorum ad secularia tribunalia deferantur, & cum secularium scandalo publicentur. Vnde in Bulla Cœne excommunicatur iudices seculares vocantes Ecclesiasticos ad sua tribunalia, & eorum causas cognoscentes.

3. Con. Iudex secularis iure defensionis suæ, aut alterius innocentis licitè comprehendit clericum non solùm in actuali aggressione, aut crimine patrando, præueniendo illud, detinendo, & incarcerando dum traditur suo superiori, sed etiam in crimine patrato, ne fugiat, vt præsentetur suo superiori: dum non excedat in hoc, de industria impingendo pugno clericum volentem se capi, & duci quietè, aut offerentem fideiussionem præsentandi se suo Prælato. Nisi immanitas delicti, aut alia iusta causa petat illum debere capi. *iuxta cap. si clericus, de sentent. excommun. in 6. & Silu. verb. excommunicatio, 6. & Lud. Lop. c.* 20. *de excomm* Imo si Prelatus nolit punire clericum turbantem Remp. potest iudex secularis eum punire, quantum satis sit ad suam defensionem, si aliter Reip. non subuenitur. Et sic excusantur iudices isti aduocantes ad se causa Ecclesiasticorum iure defensionis, hoc est. *por via de agrauio, ò fuerca,* propter iniuriam aut vim, & sic est à Papa concessum Regi Hispaniarum: *ait Bannes,* 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *dub.* 2. 6

4. Concl. Clerici subduntur legibus ciuilibus conducentibus bono regimini; & illos non dedecentibus; vt sunt leges taxantes pretia rerum, &c. Quia sunt ciues, & membra Reip. secularis: ergo tenentur eius legibus. Etsi ad istorum solum Prælatum spectet eos puniri, si violent istas leges. Et in cap. eos qui, de immu. Eccles. excommunicantur mandantes suis subditis ne cum Ecclesiasticis contractus celebrent emendo, vendendo, aut alia obsequia eis exhibendo. 7

Dub. 2. ***An iudex teneatur in ciuilibus, & criminalibus iudicare iuxta allegata, & probata, etiam contra veritatem sibi notam?***

1. Concl. D. Thom. ar. 2. affirmatiua. *Ita Caiet. Bannes & Thomist. ibi D. Ant.* 3. *p. tit.* 9. *c.* 2. §. 6. *Sil. verb. iudex, & alij quos refert, & sequitur Couar.* 1. *vari. n.* 3. *&* 6. *contra Ange-* 8

ver.

ver. iudicare, *Panorm. in c. pastoralis*, *de offi. deleg. & contra Adria. id negantem in criminalibus*, *quod l.6. art. 3*. Sed patet concl. Nam potestas publica iudicis debet sequi scientiam publicam, sed hæc habetur ex dictis testium cum iuramento, *iuxta cap. nuper, de test & attest. ergo.2.* Si liceret iudici sequi scientiam priuatam contra publicam, posset malus iudex absoulere reos dicendo se scire, illos esse innocentes Nec est idem de lictore, *ait D. Thom. 2.2. quæst. 64. art. 6. ad 3*. Qui etsi non teneatur examinare iustitiam causæ, sed obedire iudici iubenti suspendere istum, etiam in dubio de innocentia eius, tamen si certo ei constet eius innocentia, non potest obedire iudici in hoc. Nam cum non fungatur auctoritate publica, sicut iudex, non potest sequi scientiam publicam, quidquid dicat Caiet. sed contra D. Thom. Sed dices, quid tenetur facere iudex, vt liberet quem certo scit esse innocentem? Ad hoc sit

9 2. Concl. Iste iudex non tenetur descerere offitium; cum nulli faciat iniuriam, qui vtitur iure suo. *Ita Bannes dub.2. contra Silu. verb. iudex* Tenetur verò iudex inferior saltem ex charitate, *contra Bannes, & Soto.5. de iust. qu. 4. art. 2.* remittere causam superiori, si potest sine graui damno, & infirmare coram illo testium probationes, & si id non possit, concedat reo appellationem, & restificetur in eius fauorem coram superiore. Et si adhuc causa ad eum deuoluatur, pressius examinabit testes; exprobando eis, sicut Daniel, suum testimonium: & relaxabit quantum possit pœnas legis, imo & relinquet carcerem apertum, vt fugiat, si possit fieri sine scandalo. Et si sit iudex supremus, tenetur eum liberate dispensando in legibus, si possit sine scandalo, & damno Reipub. Dicta doctrina colligitur ex *D. Thom. loco citato*.

Maior, difficultas est; An iudex saltem supremus possit damnare reum, quem ipse solus certò scit deliquisse? Ad hoc sit

3. Concl. Ex cap. cum à nobis, de test. & attest. non potest iste damnare etiam secretò talem reum sine scientia publica talis delicti; cum fungatur auctoritate publica. Imò nec potest reum damnare ex aliorum dictis, antequam eius causa diligenter examinetur, & detur reo locus defendendi se per se, aut per alterum: cum ius naturæ id poscat, aliàs posset innocens damnari.

4. Conclusio. Examinatis testibus, & conuicto reo de crimine

crimine coram iudice ſupremo, aliquando licebit iſti damnare reum, omiſſa regulari forma iudicij, vtpotè, ſine tabellione, ſine proceſſu, aut ſine alijs ſolemnitatibus ſine cauſa non omittendis. Nam ſæpè expedit, ne aliqua delicta publicentur, vt ſi reus ſit comes, cuius publica punitione turbabitur. Reſp.

Dub. 3. *An poſſit iure damnare reum ſine accuſatore.* 10

1. Concluſio. *D. Thom. art.* 3. Negatiua. Nam homines confugiunt ad iudicem, ſicut ad iuſtitiam animatam, ſed iuſtitia eſt ad alterum, ergo iudex debet iudicare inter duos, quorum vnus ſit reus, alter actor, ſeu accuſator.

2. Concl. *D. Tho. ad* 2. Aliqua ſupplent vicem accuſatoris ex quibus iudex licitè procedit contra reum. Primò, ſupplet clamoroſa inſinuatio, ſeu infamia ſparſa per maiorem partem viciniæ, aut communitatis, vtpotè, ſi proceditur via Inquiſitionis, *ait Caiet.* Secundo, ſupplet manifeſta rebellio, & contumacia in Eccleſiam, cui crimen eſt denuntiatum: *ſi, vt ait Caiet.* proceditur via denuntiationis, dicitur enim Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, erit ſicut Ethnicus*, id eſt excommunicandus. Tertio, In denuntiatione fraterna, cum iſta ordinetur in bonum peccantis, nec intendatur eius punitio, non eſt opus accuſatore. Quarto, Euidentia patrati ſceleris coram iudice exiſtente cum alijs ſupplet accuſatorem Ita *Caieta. ad* 2. *D. Thom. ex cap. euidentia, de accuſa.*

3. Concluſio. Etſi in criminalibus pars læſa non accuſet, tenetur iudex procedere ex officio, dum ſit aliquid ſupplens accuſatorem. Aliàs Reſp maximè lædetur. At in ciuilibus regulariter requiritur actor, nec ſat eſt infamia publica; cum non turbetur pax communis ſiquis poſſidet bona alterius, dum iſte tacet. Sed ſi tacet, quia non audet litem deducere in iudicium, licebit tunc iudici procedere contra reum, ſi ſit aliquid ſupplens accuſatorem. Ita *l. nequaquam,* §. *ſecundum, ff. de offic. Prætoris.*

Dub. 4. *An iudex teneatur iudicare iuxta leges iuſtas.* 11

1. Concluſio. *D. Thom.* 2. 2 *q* 60. *art.* 5. Affirmatiua. Nam iudicium ſeu ſententia eſt determinatio iuſti. ſed aliquid dicitur iuſtum ſi eſt conforme legi naturali, & poſitiuæ, ergo. Et intelligitur concl. regulariter. Nam *vt ait D. Thom. loco citato ad* 2. leges iuſtæ aliquando deficiunt in aliquibus caſibus: & eas tunc ſeruare erit contra ius naturale. Sed attendatur tunc ſecundum epicheiam legiſlatoris intentio, quæ debet

esse talis, vt quod pro hominum vtilitate instituit, non obliget cum cedit in eorum damnum.

2. Concl. Si in ciuilibus sint variæ opiniones circa intelligentiam alicuius legis, feratur sententia iuxta probabiliorem opinionem. Et si opiniones sint æquè probabiles, tutius erit componere partes diuidendo rem de qua est lis. Ita *Bannes*, 1.2. *quæst.* 63. *art.*4. Nam tunc æquale est ius ambarum partium. Etsi *Soto*, 3. *de iustit.quæst.*6.*art.*4. dicat, non esse certum, tunc peccare iudicem mortaliter, si in gratiam amici, & ablato scandalo alteram istarum quam maluerit opinionum, sequatur.

Dub.5. *An liceat iudici pœnam legis relaxare.*

12 1. Concl. Non licet iudici etiam supremo pœnam legis relaxare renitente accusatore. Ita *D.Tho.* q.67.*art.*4. Et loquitur regulariter. Nam ob bonum commune illud licebit etiam iudici infeciori, maximè si non patet facilis aditus ad superiorem. Patet in reo Reip. maximè necessario, cuius morte Resp. patietur magnum damnum, iste tunc non occidatur. Quia iudici primo incumbit prospicere bono communi, deinde bono accusatoris.

2. Concl. Iudex inferior, etiam volente accusatore, non potest pœnam legis relaxare post latam omnino sententiam, cum iam functus sit officio suo. Benè tamen ante latam sententiam, vel quando iuxta iura potest admittere appellationem, seu supplicationem: tunc in secunda instantia potest minuere pœnam. Nam leges taxant pœnam delictis consideratis ex se, non attentis circunstantijs loci, temporis, personæ, &c. Sed aliquando ex his alleuiatur crimen, ergo etiam renitente accusatore licitè ex his moderatur pœna. 2. Ratione dignitatis personæ licet minuere pœnam. Ita *l.ad bestias, ff.de pœnit. ergo*, & ex alijs alleuiantibus crimen, licet, etiam renitente accusatore, eam minuere, vt si constet reum ex ignorantia peccasse, aut si ipse, seu eius maiores notabilia seruitia Reipubl. fecerunt; *vt ait Nauarr. in rub.de iudi.numer.*99. Tertio iudex potest aliquando augere pœnam. Ita *l.offerre, ff. de pœnis* Sed leges sunt proniores ad saluandum, quam ad puniendum, ergo.

13 Dub. 6. *An iudex si non damnet reum ad pœnam pecuniariam secundum leges applicandam fisco, accusatores, aut alijs, teneatur eam restituere illis. Et idem de alijs ministris iustitia.*

Concl.

Concl. Prædicti scienter, aut ex ignorantia culpabili non exercentes debitè sua officia, si ex hoc non applicatur pœna quibus ex lege competit, tenentur eam eis restituere. Nam ratione officij tenentur ex iustitia reddere partibus suum ius; sed accusator, & alij habent ius ad illas pœnas, ergo. Et intelligitur concl in causis grauibus. Nam circa leuia iudex prudenter faciet ob vitandas lites leuiter puniendo, aut non admittendo accusationem. Nec est idem de reo iniustè negante crimen ob quod talis pecunia prædictis non applicatur. Nam reus habet se merè passiuè in iudicio. Imo nec testis iniustè negans tenetur in hoc casu restituere: cum non sit minister iustitiæ sicut iudex. De custodibus montium, vide in 7. præcepto *qu.7. art.3 dub.5.*

ARTICVLVS II. DE INIVSTITIA ACCVSATORIS.

D. Thomas q. 68.

SVMMARIVM.

Quid denuntiatio & accusatio & quomodo differant, n. 1.
An correctio secreta sit præmittenda denuntiationi, n. 2.
Quando accusatio vel denuntiatio obliget, n. 3.
Ad quid teneantur accusatores, n. 4.

DVB. 7. *An teneamur accusare, aut denuntiare crimen fratris. Et nota,* quod denuntiatio, alia est secreta, seu Euangelica, qua intenditur emenda fratris; alia publica, seu iudicialis, qua interditur bonum commune, aut alterius innocentis: in quo conuenit cum accusatione, etsi differant in hoc quod accusatio fit in scriptis, *vt ait D. Thom. art. 2. ex cap. accusatorum, 2. qu. 8.* Et obligatur accusator sub pœna talionis probare quæ deponit contra reum: *vt ait D. Tho. art. 4. ex cap. qui non probauerit. 2. q. 3.* at non sic denuntiator. 1

1. Conclusio. Proximus est secretè corrigendus etiam de crimine contra bonum commune, si sic probabiliter speretur eius emenda, nec alias periclitetur bonum commune. Ita *Bannes, 2.2. quæst. 68. art. 1. Et iuxta cap. si quis, & cap. cum dilectus, de accusa.* Et si tunc non corrigas, sed accuses, aut denunties, restitues ei damna secuta: cum tunc iniustè infametur. Habet enim ius ad suam famam, dum non expedit bono- 2

com-

communi,vt eius crimen publicetur. Et sic intellige præceptum visitatorum sub excommunicatione mandantium, sibi denuntiari delicta. Si enim proximus sit emendatus, aut probabiliter speretur eius emenda per correctionem fraternam,non potest denuntiari, aut accusari, si aliàs non periclitatur bonum commune.

3 2. Conclusio. In dubio an reus per secretam correctionem emendabitur, tenemur accusare, aut dennuntiare iuridicè si desint testes pro accusatione. Peccata etiam mediatè lædentia bonum commune, vt sunt peccata atrocia, & peccata publica. Cum in dubio inclinandum sit in fauorem boni communis, & peccata etiam lædentia innocentem iniustè in vita, honore, fama,aut diuitijs: si aliàs possum ei sic subuenire sine meo graui damno. Ita *colligitur ex D.Thom.quodl.* 11. *art.*12. Imò in eodem dubio de emenda rei per secretam correctionem,teneor accusare, aut denuntiare in meum commodum si habeo famam alijs obligatam, aut si timeo quod sine honore aut sine diuitijs facilè in peccata ruam mortalia, aut alij scandalizantur, si non recupero famam sic accusando. Et sub peccato ven. teneor accusare, ne sim prodigus mei honoris, aut census, quibus vti possum pro colendis virtutibus & alenda familia.

3. Concl. Extra dictos casus non obligat accusatio,aut denuntiatio, sed licitè omittitur etiam incepta,si ex hoc soli accusatori sequitur damnum: qui extra dictos casus potest cedere iuri suo. Imò aliquando erit opus maioris perfectionis non accusare in causa propria Nec ad id obligamur, cum visitatores iubent sibi manifestari delicta.

4 4. Conclus. Qui accusat alterum de crimine occulto,quod non potest in iudicio probare,peccat mort.& restituet accusato damna secuta. Nisi ex ignorantia inculpabili excusetur putans posse illud probare. *Patet ex dictis,q.2.ar.2.& in tract.de reuelante occultum crimen alterius art.2.dub.5.*

5. Conclusio. Accusatores ex officio eodem modo ac in eiusdem casibus præmittere tenentur correctionem fraternam, ac alij accusatores ante accusationem, etiam si ex accusatione sibi proueniat maxima pecunia. Et solum accusare tenentur in casibus secundæ conclusionis. Et quando accusatio, aut denuntiatio est licita. Et eo modo restituent quæ ob suam negligentem accusationem non applicantur fisco, aut alijs, sicut dixi de iudice dub. 6. Nam ob stipendium ac-

acceptum à Rep. tenentur ex iustitia procurare bonum Reip. & actoris, vt singulis suæ portiones applicentur. Sed qui sint legitimi accusatores, iuxta *cap.* 1. *de accusat.* vide infra *dub.* 16. Item laicus non potest accusare clericum. Ita *c. cum, de accusa.*

ARTICVLVS III. DE INIVSTITIA REI.

D. Thomas 2. 2. quæst. 69.

S V M M A R I V M.

Reus non interrogatus iuridicè potest negare crimen, num. 1.
Interrogatus verò iuridicè tenetur illud fateri etiam cum periculo vitæ, num. 2.
Nec est absoluendus quamdiu non fatetur, etiam data sententia mortis, num. 3.
An teneatur aliquid restituere si ex negatione criminis fuit absolutus, num. 4.
Quid requiratur vt iudex interroget iuridicè via accusationis, vel denuntiationis, num. 5.
Quid vt interroget per inquisitionem generalem, num. 6.
Quid vt interroget per inquisitionem omninò specialem, num. 7.
An liceat torquere reũ, aut testem pro veritate inquirenda, n. 8.
Quando liceat reo appellare, num. 9.
An damnatus ad mortem vel vt fame pereat teneatur fugere dum potest, vel sumere panem oblatum, num. 10.
An iustè damnatus ad mortem, vel carcerem, possit fugere frangendo vincula, & carcerem, num. 11.
An hoc liceat consulere, & ad id iuuare, num. 12.
An tali reo liceat impugnare custodes carceris, num. 13.

DVB. 8. *An reus iuridicè interrogatus teneatur confiteri crimen.* 1

1. Conclusio. Dum non constat reo se iuridicè interrogari, non confiteatur crimen, etiam sub iuramento, & excommunicatione quæsitus. Ita *Sot. de iustitia, q.* 6. *art.* 2. *Nauar. in Man. cap.* 18. *num.* 57. *& cap.* 25. *num.* 36. *Caiet. Bann. & alij,* 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Et patet. Nam in dubio melior est conditio rei possidentis suam famam. Et sic reus tunc vtatur verbis æquiuocis, dicendo, non feci, non dixi; cùm sic verum dicat iuxta mentem iudicis interrogantis de crimine in ordine ad iudicium;

& scientiam publicam, cùm eius crimen sit occultum. Imò etsi iudex dicat se interrogare non solùm vt iudicem, sed vt personam priuatam, non tenetur reus respondere ei, nisi vt publicæ personæ. Item quoties reus non potest probare suam innocentiam, etsi aliàs à iudice ob ignorantiam sine peccato interrogetur, potest reus vti dictis verbis æquiuocis, vt si Petrus occidit suum inuasorem cum debito moderamine, & interrogatus an illum occidit; non potest probare tale moderamen, licitè dicit, non occidi. Nam interrogatio iudicis terminatur ad reum de crimine, sed occisor tunc non est reus de tali occisione, cùm esset necessaria pro sui licita defensione: ergo. Ex dictis patet 1. Quod si iudex tunc putans se interrogare reum legitimè in processu litis aduertit se iniustè procedere, tenetur cessare. Nisi aliàs sequatur scandalum, aut graue damnum in Republica, eo quod iam delictum sit diuulgatum. Imò ad idem tenetur, etiamsi à principio extorserit iniustè confessionem à reo. Nam tunc vt persona publica tenetur prospicere bono communi damnando reum, & vt persona priuata restituet reo damna secuta. Secundò patet, Non teneri reum restituere famam accusatori, cùm vtatur iure suo negando delictum occultum. Ita *Penna, Medina, Orellana, Bannes, Ledesma, contra Soto, dist. 15. q. 4. art. 3.*

2 2. Conclusio. Si constat reo se legitimè interrogari, tenetur sub mortali ex genere, etiam cum periculo vitæ, crimen confiteri. Ita *Caietanus, Soto, Bannes, & communiter cum D. Thoma, art. 1.* Nam in Republica est potestas ad puniendum crimina. Sed aliquando non possunt puniri, nisi reus confiteatur veritatem: ergo. Dixi ex genere. Nam mendacium etiam in iudicio, secluso iuramento, ex leuitate materiæ erit peccatum veniale. Ita *communiter contra Caietanum, & Siluest. verb. mendacium.* Et ex duplici capite pensatur leuitas materiæ in iudicio. Primò, Ex parte iuris, quod habet iudex ad interrogandum, qui si teneatur sub mortali interrogare, tenetur interrogatus sub mortali respondere. Sicut Religiosi tenentur sub mortali respondere visitatori interroganti de obseruantijs regularibus. Secundò, Ex ordine ad iudicium, in ordine ad quod res leuis in se potest esse grauis aliquando, vt maximè conducens pro noscenda veritate: v.g. Si vnus testis deposuit, quod homo tali indutus veste occidit Petrum, & alius testis, aut reus interrogatur de tali veste, tenetur sub mortali dicere veritatem. Nam illa circum-

stantia vestis, tunc est materia grauis in ordine ad iudicium. *Si obijcias*: Nullus tenetur testificari contra suum cõsanguineum intra quartum gradum, vt dicetur *dub.*13. ergo à fortiori nec contra se. Ob hoc argumentum *Nau. in c. inter verba, concl. 6. num.*142. *Salic. in pract. crimin cap.*26. *& Manu. Rodr. tract. de ordin. iud. cap.*10. *conclus.*1. tenent quod in periculo vitæ, magni honoris, aut famæ potest reus occultare veritatem absque mendacio. Sed ad hoc negatur consequentia. Nam interrogatio iudicis, quæ non est iuxta legem, non censetur iuridica, & sic cum illi consanguinei rei eximantur per legem à testificando contra ipsum, nisi in delictis contra bonum commune, non censentur interrogari iuridicè de illius delicto, & sic nec tenentur respondere: Secus est de reo: cùm per nullam legem eximatur à respondendo contra se. Vnde opposita sententia est improbabilis. Ita *Ledesm tract.*8. *cap.*24.

3. Conclusio. Dum pendet iudicium, & reus sub mortali tenetur confiteri crimen, non absoluatur, dum non confitetur. Nam perseuerat in actuali inobedientia mortali, cum censeatur actualiter à iudice interrogari. Et intelligitur, nisi accrescat reo noua pœna ex prima negatione. Tunc enim non obligetur, vt se prodat. 3

An verò sententia iam prolata, & reo sine eius confessione ad mortem damnato, sit absoluendus, etiamsi tunc non confiteatur veritatem. In hoc *Nauar. in Manu. cap.* 25. *num.* 38. *Segura in direct.* 2. *part. cap.* 17. *num.* 36. *& Manu. Rodr. loco citato*, tenent quod sic. Quia, dicunt, iudicium est iam finitum. Sed oppositum est communius, & sequendum, ait *Ledesm. cum Orellan. Medin. in summ.* §. 35. *Bannes, & Thomistis, loco citato*. Nam adhuc reus interrogatur quousque sententia exequatur. Sed si reus sit omninò absolutus, non cogatur iterum confiteri crimen, cùm iam cessauerit interrogatio, & inobedientia, & negando solùm peccauit contra obedientiam, & iustitiam legalem, quarum violatio non obligat restituere. Tenetur tamen restituere parti contrariæ damna secuta ex sua negatione. Ita *Bannes, Nauar. Ledesm. & alij*. Nam teneris ex iustitia commutatiua vitare actionem ad quam non habes ius, si ex ea sequitur alteri damnum: vt si ex tuo verbo otioso sequitur damnum alteri, teneris ex iustitia illud vitare: sed reus modò non habet ius ad negandum, & ex eius negatione sequitur alteri damnum in fama, &c. ergo. Nec valet solutio contrariorum cum *Caiet.* 2. 2.

quæst.62. art.2. ad 2. probabiliter ſentientium,quod accuſator ſibi imputet illa damna,accuſando ſine ſufficientibus teſtibus. Nam accuſator benè probabat ſi reus confiteretur crimen , ad quod cum ſemiplena probatione interrogatus tenebatur ex iuſtitia legali in ordine ad iudicium , & ex iuſtitia commutatiua in ordine ad accuſatorem ob vitandum eius damnum. Non tamen reſtituet reus fiſco , & alijs pœnam, de qua dixi *dub.6.* Ita *Ledeſm. cum Orellan. & communiter Thomiſtæ contra Sot. & Medin.*

5 Dub. 9. *Quando interrogatio iudicis dicetur iuridica.*

1. Concluſio. Vt iudex interroget iuridicè via accuſationis , aut denuntiationis , eſt neceſſaria ſemiplena probatio , in qua cum accuſatore,aut alio ſupplente accuſatorem,vt ſupplet infamia, ait *Caiet. art.1.* ſit etiam vnus teſtis ſine exceptione: aut vt ait *Soto 5. de iuſt. q. 6. art.2.* manifeſta indicia maiora, vel minora iuxta qualitatem criminis . Nec ſat eſt vnum indicium, niſi ſit adeò efficax,quod æquiualeat multis . Et debent iſta eſſe expreſſa,& quoad delictum,& quoad reum,& ſunt explicanda in proceſſu, & oſtendenda reo, iuxta *cap. qualiter, & quando,de accuſat.* vt ſciat ſe iuridicè interrogari . Aliàs non credat iudici dicenti ſe habere manifeſta indicia, & teſtes,nec petat proceſſum , vt videat , ſi interrogetur iuridicè, ne ſic veniat in ſuſpicionem delicti . Iſta concluſio colligitur *ex D. Thom. art.2.* qui loquitur,vt patet ex contextu,quando iudex procedit via accuſationis , aut denuntiationis , vt ibi explicat *Bannes, & communiter Thomiſtæ , & Iuriſt.*

6 2. Concluſio. Vt iudex iuridicè interroget per inquiſitionem omninò generalem , v. g cùm viſitator interrogat an in aliqua communitate ſint delicta ſine explicatione delicti , aut delinquentis , nec requiritur infamia , nec indicia , nec ſemiplena probatio . Ita *cap. relata, & cap. placuit, 1. q. 1.* Et patet ex vſu . Et ſic etiam ſub excommunicatione interrogatus ſolùm potes declarare , quæ aliàs poteras licitè denuntiare iuxta dicta *dub.7.* & ad hoc teneris . Nec potes declarare quæ audiſti à perſona tam leui , aut quæ tali modo audiſti , quod eſſet leuitas credere . Nec quæ ſcis in ſecreto , vtpotè , ſi à te ſit petitum conſilium pro ſalute animæ , corporis, aut temporalium, vt patet in Medicis, Aduocatis, &c. Nam ſi iſti reuelent illa ſecreta , quando non eſt neceſſe pro vitando damno communi , aut proximi , peccant mortaliter , etſi ſciant reum laborare infamia , & eſſe contra eum ſufficientem probatio-

nem ,

nem, & testes. Ita *Bann. Orell. cum D.Thom.* 2.2.q.70.*art.* 1. *ad* 2. Quia seruare fidem est de iure naturæ. Et sic isti solùm declarare tenentur quæ extra secretum nouerunt.

3. Conclusio. Vt iudex iuridicè interroget per inquisitionem omninò specialem, v. g. cùm interrogatur delictum, & reus, aut per inquisitionem partim generalem, & partim specialem, v. g. cùm de Petro quæritur an sit vitiosus, aut cùm de aliquo delicto inquiritur auctor, requiritur infamia, seu clamorosa insinuatio, quæ à probis, & honestis, & non à maleuolis, & maledicis ortum habeat. Ita *cap. qualiter, & quando*, 2. *de accusat.* Nec sufficiunt indicia etiam grauia, ait *Bannes, & alij contra Caietan. & Sot.* nisi sint talia, quæ æquiualeant infamiæ, vt si sint sparsa per maiorem partem viciniæ, seu communitatis. Aliàs, vt colligitur *ex cap. Inquisitionis, de accusat.* tres testes oculati, & iurati non sufficiunt contra reum, quia non præcessit infamia. 2. Iudex non potest procedere contra reum sine accusatore, aut alio supplente accusatorem, sed sola infamia, seu euidentia patrati sceleris, iuxta dicta *dub.* 3. supplent accusatorem: ergo. Et intelligitur conclusio secunda regulariter. Nam aliquoties, ait *Soto relect. tegen. memb.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 6. potest fieri specialis inquisitio sine præuia infamia. Primò si non intenditur punitio, sed vitatio erroris, aut damni: v.g. ne indignus assumatur ad officium, aut si inquiritur de impedimentis alicuius matrimonij. 2. Cùm quis publicè coram multis deliquit, aut confessus est suum delictum. Secus si solùm coram duobus. 3. Si inquirendo vnum crimen, detegitur aliud, quod est alterius circumstantia, vel indicium, aut pertinens ad illius perfectam cognitionem. Imò etsi non habeat coniunctionem cum priori delicto. Ita *Ledesm. cum Nauar. & Orellano contra Soto*. Et patet ex vsu, qui potest derogare legi requirenti infamiam. 4. Si crimen cedit in damnum tertij, & est in fieri, aut pendet in futurum, & à fortiori si cedit in damnum publicum, vt grassatio raptorum in vijs, falsificatio monetæ, insidiæ contra Rempublicam, ambitiones, subornationes. 5. Cùm crimen est atrox vt hæresis, crimen læsæ maiestatis. Imò Pius V. in motu incipiente, *Cùm primùm*, statuit, vt in Sodomia, Simonia, & Blasphemia procedatur ad simplicem, & secretam denuntiationem, tam ratione delicti, quam personæ, dum tamen ex calumnia denuntiantes ad pœnam talionis teneantur. In dictis ergo casibus licet iudici sine infamia ex sola 7

euidentia patrati sceleris inquirere in generali reum, non verò in particulari, an, scilicet, Petrus illud commiserit: nisi aliàs laboret infamia. Sed licebit quærere de infamia, an quis laboret infamia talis delicti: & hac probata duobus testibus, licebit inquirere de isto in particulari. Ita *Soto, & Nauar. in Manu. cap.* 18. *num.* 38. Et licet in casu 4. & 5. reus non teneatur respondere, benè tamen testis. Ex dictis patet 1. Non licere iudici extra dictos casus, ait *Ledesm. & communiter*, interrogare de complicibus sine dicta infamia, vt dicitur *cap.* 1. *de confessis*. Nec infamatus de vno delicto potest interrogari de alijs, in quibus non est infamatus, nisi ista sint priori annexa: vt conuictus de vno furto rectè interrogatur de alijs. Ita *Soto, Caiet. Orellan. & Bannes*, 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *& Medin. cum D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Secundò patet, Quod etiam cum crimen est notorium, & reus secretus, vt si inuenitur homo occisus, non potest iudex extra dictos casus inquirere etiam in generali quis eum occidit sine præuia infamia: vt ait *Caiet. & Soto*, 5. *de iustitia, quæst.* 6. *art.* 2. *ex cap. qualiter, & quando* 2. *& cap. inquisitio, & cap. cum oporteat, de accusat.* vbi strictè cauetur, ne inquisitio personæ vllo modo fiat; si non præcessit infamia, seu clamorosa insinuatio. Sed quod tunc liceat in generali inquirere homicidam, est satis probabile. Ita *Ledesm. cum Orellan. & Innocentio*. Et patet ex vsu iudicum, qui potest derogare legi contrariæ. Et ita expedit bono communi, cui aliter sequitur damnum, scandalizatur Respublica videns crimina manere impunita, & malefactores fiunt audaciores. Iudex tunc, ait *Nauar. cap.* 18. *num.* 59. inquirat reum in communi, monendo testes ne sibi reuelent reum omninò occultum; sed eum, qui laborat infamia, aut mittat eos ad alios, qui eos doceant qualiter debent respondere. Mens ergo iudicis est interrogare de his, quæ testes possunt declarare, & continget aliquoties reum laborare infamia nota testibus, & ignota iudici.

8 Dub. 10. *An liceat torquere reum, aut testem pro veritate inquirenda.*

1. Conclusio. *Contra Ludou. Viues* 19. *de ciuit.* 6. Erroneum est, aut saltem temerarium, negare esse licita tormenta. Patet *ex cap. illi qui* 5. *q.* 5. vbi ab Eusebio Papa approbantur. Ita etiam *D. Ambrosius lib. de Cain. Hieron. Episc. ad Innocent. Aug.* 19. *de ciuit.* 6. *D. Thom. in Iob* 10. *lect.* 1. Et patet ex vsu, & communi sententia Theologorum, & Iuristarum. Aliàs

multa

multa crimina manerent impunita: cum sæpè non constet veritas nisi tormentis.

2. Concl. Testis vt sic non est torquendus, nisi præsumatur ex malitia nolle testificari. Vt si alij testantur Petrum adfuisse alicui negotio, & quæsitus non vult declarare quid sciat. Ita *Bannes, art. 2.*

3. Conclu. Reus licitè torquetur tribus conditionibus. 1. Cum semiplena probatione, vtpotè cum accusatore seu alio supplente accusatorem, & cum vno teste sine exceptione seu manifestis indicijs, vt dixi dub. 9. Nec sat est infamia sola, nisi solum ad inquirendum: aliàs, *vt ait Silu. verb. tortura*, confessio sit extorta erit nulla, & iudex compensabit reo istam iniuriam, & alia damna ex hoc secuta. 2. Quod non possit iudex aliter scire veritatem. Peccat enim iudex torquendo reum duobus testibus legitimis conuictum; nisi confiteri renuat vt differat executionem iustæ sententiæ. Ita *Nauarr. c. 18. nu. 59. cum communi sententia Theologorum. & Iurist. in c. inter verba.* Aut nisi expediat, quod reus iste sic conuictus statim puniatur, & sic torqueatur, vt confitendo non gaudeat appellatione iniusta, *vt ait Bannes.* Nam negatur appellatio reo crimen confitenti, sed non negatur conuicto duobus testibus, *vt patet lib. 2. C. quorum appellatione, &c.* At si non licet torquere reum afferentem nouas, & legitimas probationes ad reprobandum processum. Quia tunc iustè appellat, & sic male impeditur tormentis ab appellando. 3. Conditio: Quod priuilegiati non torqueantur. Nam etsi in casu hæresis, aut læsæ maiestatis omnes licitè torqueantur, at in alijs delictis non possunt torqueri minores quatuordecim annorum annorum, etsi vapulare possint. Nobiles etiam, & Doctores, & habentes prærogatiuam dignitatis, aut nobilitatis non possunt torqueri. Nec infirmi sine licentia medici; nec sexagenarij; etsi isti in causis grauibus possint leui tortura torqueri. *Et dictorum iura Vide in Hugo de Celso ver. tormenta.*

Dub. 11. *An liceat appellari.* 8

1. Conclusio. Non licet pro differenda executione legitimæ sententiæ appellare, nec petere terminos, seu fictas dilationes intuitu inducendi nouas probationes. Ita *D. Tho. art. 3. & ca. omni. & cap. quicumque, 2. q. 6.* Et patet. Nam sic appellans irrogat iniuriam iudici impediendo eius officium, & accusatori turbando eius iustitiam. Et sic restituet parti contrariæ expensas, & damna ex tali appellatione secuta. Ita *Bannes,*

Soto 5. de iuſt. q. 6. art. 3. Silu. verb. accuſatio. Nauar. cap. 25. n. 14. 28. 29.

2. Concl. *D. Tho.* Licet appellare ex confidentia iuſtæ cauſæ. Vt ſi reus habet nouam probationem, quam non potuit in tempore proferre, & dum dubitatur de iuſtitia ſententiæ. Item damnato iuxta vnam opinionem licet appellare ad ſuperiorem habentem contrariam, etiam minus probabilem, *contra Caiet. & Bannes.* Et licet reo appellare à iuſta ſententia in his, quæ relinquuntur arbitrio iudicis, ad iudicem à quo ſperat mitiorem ſententiam. Et non ſolum in criminalibus, ſed & in ciuilibus, ſi neutra pars litigantium poſſidet fundum, & opiniones ſunt æquè probabiles, licet damnato iuxta vnam opinionem appellare ad ſuperiorem habentem contrariam ſibi fauorabilem. Imo etſi ſententia lata ſit iuxta opinionem aliquanto probabiliorem, & ego poſſideo fundum, poſſum appellare ad ſuperiorem habentem opinionem contrariam probabilem. Sicut & ante litem poteram cum illa minore probabilitate retinere fundum. Nec vlli fit iniuria in hoc, cum reus proſequatur ſuum ius. Et in dictis, & ſimilibus caſibus ſemper ſit appellatio ex confidentia iuſtæ cauſæ.

10 Dub. 12. *An liceat damnato ad mortem, ſeu aliam pœnam, fugere ex carcere, aut aliter ſe defendere.*

1. Concluſio. Damnatus ad mortem non tenetur fugere ex carcere, ſed poteſt ſicut martyres patienter ſperare mortem. Nec ex non fugere ſequitur mors propria directè, & per ſe, ſed ab intrinſeco inferente. Sicut licet damnato vt fame pereat, non ſumere panem ſibi ſecretò oblatum, *ait Soto. contra Caietan. 2. 2. quæſt. 69. art. 4. & Victor. relec. de homi.* Nam hoc non eſt occidere ſe directè, ſed non conſeruare ſe pro zelo iuſtitiæ. Et præceptum conſeruandi vitam, non obligat pro ſemper, cum ſit affirmatiuum. Et ſic intellige *D. Thomam, art. 4. ad 2.* dum ait, quod non ſumere panem tunc, eſt occidere ſe: Loquitur enim de occiſione indirecta. Non vero licet damnato vt ſumat venenum, ſumere illud, *ait Caiet. Soto, Bannes contra Victor.* Nam hoc eſſet occidere ſe directè, ac ſi damnetur vt iugulet ſe. Nec eſt idem de apertione oris, vt infundatur venenum, & de aſcenſu ſcalæ, ad quæ reus tenetur ſub peccato mort. Sicut & ire ad locum ſupplicij, *vt ait Vict. & Med. 1. 2. qu. 96. art. 4. contra Caiet. & Soto.* Nam illa apertio oris, aſcenſus ſcalæ, ſicut & extendere collum pro iugulatione, non ſunt mala intrinſecè, nec cau-

causatiua propriæ mortis, sed est parare se ad actionem mortis ab alio causandam.

2. Conclusio. Damnato iustè ad aliquam pœnam carceris non licet fugere,sicut & damnatus iustè ad exilium aut pœnam pecuniariam, tenetur illa subire. *Iuxta D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2.

3. Concl. Damnato etiam iustè ad mortem, aut aliam pœnam corporalem, seu ad carcerem quousque vita priuetur, licet fugere ex carcere, nec imputantur sibi damna secuta carceri, aut custodi. Nam *vt ait D. Tho. artic.* 4. *ad* 2. in his non damnatur reus vt agat, sed vt patiatur: ergo nec tenetur facere id, ex quo sequitur mors, vt est manere in loco ex quo ad mortem ducatur. Et idem licet damnato ad carcerem perpetuum, aut ad triremes. Nam ista morti æquiparantur *vt dicitur lege antepenultim. ff. de regulis iuris. Et Ledesm. in sum. contra Caiet. Soto Nauar. in c. statuimus, & contra Conar.* 1. *vari. cap.* 2. *&* 14. 11

4. Concl. Reo etiam iustè damnato ad mortem licet rumpere vincula, & parietes carceris. *Ita Caietan. contra Gauda quodl.* 9. *art.* 25. Nec restituat damna secuta carceri, aut custodi, *ait Bonnes, Ledesm. & Nauar. in man cap.* 17. *nu.* 102. *contra Soto*. Et patet. Nam non tenetur restituere ratione rei acceptæ: cum nil alienum habeat apud se, nec ratione iniustæ acceptionis: cum licitè illud faciat; ergo &c. Imò & licet consulere isti fugam. *Ita Cou. Bannes, Soto.* 5. *de iust. q.* 6. *art.* 4. Nam licet consulere alteri, quod licitè potest facere. Imo etiam, *iuxta Caiet. Bannes. Med. Orella, & communiter contra Soto*. licet personæ priuatæ dare reo damnato ad mortem instrumenta quibus carcerem rumpat, cum cooperetur rei licitæ, & aliàs magis influit in effectum dans consilium & industriam quam dans instrumenta. Non tamen id licet ministris iustitiæ, *ait Caietan.* quibus ex officio incumbit tueri publicam potestatem. Sicut etiam licet priuatæ personæ, etsi ad id non teneatur, dare cibum damnato vt fame pereat, aliàs non nociuo Reipub. *vt ait Lud. Lop. tom.* 1. *cap.* 64. non vero id licet ministris iustitiæ.

5. Conclusio. Non licet iuuare reum iustè damnatum, vt rumpat vincula, aut carcerem. Nam quod respectu vnius est effectus per accidens secutus ad actionem, ad quam habet ius, respectu alterius est per se intentum, & sic illicitum. Sicut cuilibet licet occidere suum inuasorem,

etiam

etiam sine peccato inuadentem, vt si sit amens, & licet alijs hoc ei consulere, & dare arma ad id; sed non iuuare eum. Ita Caiet. Bannes, & Ledes. Etsi iste tract. 3. de bello, dicat contra Bannes, licere iuuare ad fugam seruos captos in bello iusto, ex quo videtur licere iuuare dictos reos ad rumpenda vincula.

13 6. Concl. ex D. Thom. art. 4. Non licet reo iustè damnato ad mortem, impugnare custodes carceris, bene verò iniustè damnato. Imò & innocenti iustè damnato iuxta allegata, & probata, licet, secluso scandalo, & damno communi, defendere se etiam occidendo iudicem, & ministros iustitiæ, si necesse sit. Ita *Victor & Bannes, 2.2.q. 69. art.4. contra Soto 5. de iust. q. 6. art.4. & Lud. Lop. tom. 1. cap. 66.* Sicut licet innocenti se defendere etiam occidendo aggressorem innocentem, vtpotè amentem. Imò & licet falsè denuntiatio se tueri falsis testibus vltro se ingerentibus ad testificandum pro eius innocentia. Quia licet vti iniquitate alterius parati in proprium commodum, dum tamen ad hoc non inducatur, vt dicitur de vsurario.

7. Concl. Iniustè etiam incarceratus, cui sub iuramento redeundi conceditur exire à carcere, tenetur seruare iuramentum dum non relaxatur, & redire ad carcerem. *Ita Caiet. 2. 2. q. 89. art. 7. & Nau. in man. c. 12. n. 18. contra Cou 1. ver. 2. & Lud. Lop. tom. 1. c. 276.* Nam iste potest sine peccato seruare iuramentum. Sicut & qui iurauit dare latroni bona sua. Nec redeundo occidit se magis, quam damnatus ad mortem, qui potest fugere carcerem non fugit: ergo tenetur implere iuramentum, cum sit de re licita.

ARTICVLVS IV. DE INIVSTITIA TESTIS.

D. Thomas. 2. 2. q. 70.

SVMMARIVM.

Quando testis censendus iuridicè interrogati, num. 1.
An testis dubitans de interrogatione iuridica teneatur respondere, num. 2.
An testis non quæsitus teneatur aliquando testari, num. 3.
Quando testis iuridicè interrogatus non teneatur respondere iudici, num. 4.

An

An quãdo ad id tenetur, obligetur ex iustitia commutatiua. n. 5.
An crimen notum per ingiuriam possit puniri, num. 6.
An in iudicio requiratur testimonium duorum aut trium. n. 7.
An testes debeant esse contestes, num. 8.
Quando liceat repellere in iudicio alterius testimonium, num. 9.
An liceat obijcere crimen pro infirmando testimonio, num. 10.

DVB. 13. *An testis iuridicè interrogatus respondere teneatur.* 1
Nota, quod quoties reus iuridicè interrogatur à fortiori iuridicè iuterrogatur testis. Et sic via accusationis, aut denuntiationis iuridicè interrogatur cum semiplena probatione modo dicto dub. 9. Sed si accusator habet solum vnum testem, iste dum sibi non constat de alio conteste, tenetur sub peccato mort. dicere se nil scire cum nec tunc interrogetur iuridicè. *Ita Ledes. in sum. tract* 8. *c.* 25. *cum Orella, & Bannes.* 2 2. *qu.* 70. *art.* 1. *contra Soto* 5. *de iust. qu.* 7. *art.* 1. Secundò, interrogatur testis iuridicè via inquisitionis generalis, etsi non præcedat semiplena probatio, aut infamia; *iuxta dicta loco cit.* concl. 2. Tertio, interrogatur testis iuridicè via inquisitionis omnino specialis, aut mixtæ si præcedit infamia modo dicto lococitat. concl. 3. Imò etsi reus interrogatus sine præuia infamia in casibus 4. & 5. dictis loco cit. conc. 4. non teneatur respondere, bene tamen testis. Nam testis respondendo tunc prospicit bono cõmuni, aut tertij, nec ei suppetit aliud medium pro bono communi tuendo, at reus prospicit tali bono cessando à malo. *Ita Soto* 5. *de iu. q.* 6. *ar.* 3. *& Led.*

1. Concl. Testis dubitans se legitime interrogari, si respondendo nulli nocet, respondeat; cùm sic exerceat actum obedientiæ. Et si tacendo nulli nocet, bene tamen respondendo, taceat. *Ita Soto, Medina, Bannes, contra Siluest.* 2
Et si tacendo imminet damnum Reipub. respondeat etiam cum damno alterius, etsi pro parte boni communis sit minor probabilitas damni. Nam è duobus malis minus est eligendum, quale est damnum particulare. Sed si respondendo sequitur æquale damnum reo, & accusatori, & testis non sit consanguineus accusatoris, declinabit in fauorem rei, cuius melior est conditio, cum possideat suam famam; nisi damnum accusatoris sit notabiliter maius, cum è duobus malis minus sit eligendum, aut nisi quando accusator tenebatur accusare, aut erat opus maioris virtutis accusare. Ex dictis patet, quod quando testis non tenetur respondere, vta-

tur

tur verbis æquiuocis, vt dixi de reo. Imò ad id tenetut, etſi reus non teneatur, cum reus poſſit cedere iuri ſuo, teſtis autem non poſſit cedere iuri alterius, *vt ait Bannes*.

2 2. Concl. Teſtis etiam non quæſitus tenetur aliquando teſtificari vltro de crimine alterius, etiam in ſecreto noto: *iuxta D. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2.* Et primo tenetur ad id ex iuſtitia legali pro bono communi. Secundo tenetur ex charitate pro liberando innocente à morte, aut alia iniuria, ſi aliàs poſſit ſine ſuo graui damno, iuxta illud Prouer. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*. Imò & pro vitando graui damno proximi in temporalibus. Tertio, quoties accuſator tenetur accuſare, tenetur teſtis vltro teſtificari, *vt ait Caieta. & Bannes, cap. 2. 2. q. 80. art. 1.* Sed accuſator licitè accuſat, ſed ad id non tenetur, minus tenetur teſtis non notus teſtificari, etſi immineat periculum accuſatori, qui vltro ſe congeſſit in has anguſtias. *Ita D. Thomas*.

3. Concl Teſtis iuridicè interrogatus tenetur ſub mortali veritatem reſpondere per ſe loquendo. *Ita communiter cum D. Thom art. 1.* Aliàs non poſſent puniri delicta, ex quo innumera mala Reipublicæ obuenirent. Dixi per ſe loquendo. Nam
3 *vt ait Nau. in man. cap. 25. n. 46. & 47.* non tenebitur teſtis reſpondere in aliquibus caſibus. Primò cum graui damno vitæ, honoris, aut diuitiarum, niſi pro bono communi. Quia cum graui damno proprio non tenemur proſpicere bono particulari. Et ſi iudex id ſciret, non poſſet eum interrogare. Secundo, Conſangninei rectæ lineæ, etiam ſi velint, non admittuntur ad teſtificandum ad inuicem contra ſeipſos. *Ita 4. q. 3. cap. ſi teſtes. §. item parentes. & l. parentes. C. de teſtibus.* Bene tamen admittitur pro diſcernenda conſanguinitate in cauſa matrimonij, *iuxta c. videtur, qui matri. accuſare poſſunt.* Item fratres, ſorores, gener, ſocer, vitricus, nouerca, priuigni, patruus, patruelis, auunculus, vel nepos ex fratre aut ſorore, admittuntur vt teſtes contra ſe inuicem, ſed ad id non ſunt cogendi. *Patet in l. Iulian. ff. de teſtibus.* Et communis ſententia Iuriſtarum extendit hoc ad coniuges, *vt ait Bannes. q. 70 art. 1. dub. 4. ad 6.* Nec reſpectu iſtorum interrogatio eſt iuridica, *ait Ledeſm. tract. 8. de iuſt. com. cap. 7. dub. 7.* Niſi in crimine hæreſis, læſæ maieſtatis, vel alijs contra bonum commune, cum hoc ſit præferendum etiam vitæ propriæ. *Ita communiter. De quo Bannes & Ledeſm.* Tertio, Si teſtis ſcit delictum à perſonis fide indignis, aut ſi ſcit in ſecreto ſibi

comiſſo

commisso modo dicto *dub.*9. Ita *Bannes.* Quarto, si scio, quod per meã testificationem iudex plus iusto exacerbabitur contra reum. Ita *Nauarr.* Quinto, si proceditur via inquisitionis, celabis crimen fratris iam emendatum, etsi laboret infamia, si aliàs nulli nocet, aut si probabiliter speretur eius emenda per correctionem fraternam, *iuxta D. Tho.* 2.2. *qu.*33.*art.*7.*ad* 5. Aliàs peccabis contra iustitiam commutatiuam testificando contra eum, & restitues damna. Nec iudex tunc iuridicè interrogat: sed peccat, nisi excusetur ex ignorantia de correctione profutura, *vt ait Bannes ad* 3.

An vero testis iuridicè interrogatus teneatur ex iustitia commutatiua respondere. 5

Ad hoc sit 4. Concl. Probabile est quod sic. Ita *Orella. Med. in sum.* §.35. *Soto* 3. *de iust.q.*7.*art.*1.*Nau.cap* 25.*nu.*44. Aliàs restituet parti damna illata in bonis proprijs, & in illis ad quæ habet ius ex iustitia commutatiua, sed non restituet pœnam applicandam per sententiam, sicut dixi de reo, dub.8. Ita *Bannes, & Nau. n.*51.

5. Conclusio. Probabilius est quod non. Itaque etsi testis tunc respondendo contrarium veritatis, peccet contra iustitiam commutatiuam: cum ex illa teneatur vitare actionem, ad quam non habet ius, si ex ea sequitur alieni damnum: secus si non respondet, dicendo se nil scire. Ita *Bann.* Et patet. Testis etiam vocatus vt testificetur, & abscondens se, non peccat contra iustitiam commutatiuam, *vt etiam Nauar. fatetur contra Soto.* Sed præceptum iudicis iam intimatum solum addit obligationem ex obedientia, & ex iustitia legali ad respondendum, vt colligitur ex *D. Thom. art* 1. ergo. Nec est idem de occultante scripturam, qui quæsitus tenetur ex iustitia commutatiua eam tradere, quando pertinet ad ius alterius, & non ad suum ius. Secùs si ei constet iustè possidere fundum, & si det scripturam, timet ne vexetur pro re quam iustè possidet, tunc non manifestet eam, etsi sit alteri necessaria. Nam cum damno proprio non tenetur prospicere alieno. Ita *Ludou. Lop. tom.*1.159.

Dub. 14. *An crimen notum per iniquitatem possit puniri.* 6

1. Concl. Negatiua de crimine noto in confessione, aut ex consilio pro eius remedio. Nam cederet in odium, & irrisionem Sacramenti.

2. Conclus. Non potest puniri crimen notum per iniuriam factam à iudice, iniustè interrogando reum, aut testem, aut con-

concurrendo cum alio ad illam iniuriam,vt potè dando pecuniam testibus, aut accusatori. Ita *Bannes*. Nam illicitum est damnare innocentem, qualis censetur, qui legitimis testibus non probatur nocens. Et idem est, si iudex procedat ex infamia orta à maleuolis. Ita *cap.qualiter,& quando de accusat.* Et si ignorando vitium accusationis, aut infamiæ accepit notitiam criminis, tunc cognito vitio non Procedat vltra. Nam antea excusabatur ignorantia. Et intelligitur secluso bono communi. Nam si crimen detectum sit contra bonum commune, aut sequitur scandalum eo quod iam detectum non punitur: iudex tunc, crimine detecto, inchoabit nouum processum, & inquiret vsque ad punitionem: cum bonum commune sit præferendum particulari. At iudex ratione iniuriæ prius à se illatæ restituet reo damna secuta ex tali iniuria, vt dixi dub.8.

3. Concl.Iudex potest punire crimen notum per iniuriam illatam ab alio extra iudicium,vt si quis induxit metu aut aliter Petrum ad accusandum, aut testificandum contra reum. Nam iudex solum tenetur seruare quæ pertinent per se ad iustitiam externam. Aliàs non liceret ei recipere accusationem accusantis ex odio, aut omittentis correctionem fraternam profuturam,etiam alias iustam iuxta leges. Et idem est de crimine noto per iniuriam illatam à tertia persona in iudicio:vt si testis in inquisitione generali quoad personam reuelauit occultum crimen,quod non poterat reuelare. Nam parum refert, quod iniuria sit facta in iudicio,aut extra.Et ita est vsus

7 Dub.15.*An in iudicio requiratur testimonium duorum, aut trium testium.*

Conclus *D.Thom.art.2.ex cap.veniens,& c.licet, de test. & attest.* Affirmatiua. Patet Deut 17. *In ore duorum aut trium testium peribit omnis qui interficietur.* Et Matt.18.*In ore duorum,vel trium testium stat omne verbum.* Et intelligitur conclusio in causis grauibus. Nam in leuibus sat est vnus testis,vt in custodibus montium, & vinearum, quorum declaratio sub iuramento sat est,vt reus pecunia multetur. *Ita sancitur lib.4. fori.tit 4 lege 7.*Nam in his regulariter non possunt esse plures testes. Et idem est in discernenda aliqua causa pia. Patet cap. cum itaque, d. 4. de consc. vbi præcipitur, vt pueri infidelium baptizentur extracti à cura parentū.Nisi fide dignus dicat esse baptizatos. Item in causis grauissimis vt contra Episcopum, requiruntur plures quam tres testes. Nam cum Episco-

scopus sit acerrimus iudex, credendum est habere inimicos ex odio eum accusantes. Nec derogat iuri naturali: cum circa numerum testium, nil statuat positiuè, sed negatiuè, quod non sint minus duobus, aut tribus; pro causis scilicet grauibus. Et ex iure positiuo taxatur numerus pro qualitate causarum.

2. Concl. *D. Thom. ad 2.* Testes singulares non faciunt fidem in iudicio, sed debent esse contestes eiusdem casus in quo conueniant non solum in substantia facti, sed & in principalibus circumstantijs, loci, temporis, &c. quæ meritò variant substantiam facti. Si tamen vnum testis dicat tempus & locum, & alius dicat de his non recordari, istæ non præiudicat testimonio illius. Et idem si testes discordent in circumstantijs non pertinentibus ad substantiam facti, v. gr. Si tempus erat nubilosum, aut domus depicta. Nam ad hæc parum attendunt homines, & sic facilè obliuiscuntur. Et si testes actoris, & testes rei discordent in circumstantijs præcipuis, & sint æquales numero, & dignitate, stetur pro reo, cum debeat esse pronior iudex ad absoluendum, quam ad puniendum. Sed si testes rei inter se, aut testes actoris inter se discordent, iudex ex motu sui animi percipiet cui parti sit standum, aut ex numero testium, aut ex eorum dignitate, aut ex fauorabilitate causæ, aut ex conditione negotij. *Hæc D. Tho. & ex cap. si testes, 4. q. 2. & 3.* vbi notant *Caiet. & Sot. 5. de iust. qu. 7. art. 2.* Quod etsi testes singulares de actionibus multiplicatis eiusdem personæ, vt de multis furtis, non faciant fidem certam stando in rigore iuris, tamen non debilem faciunt fidem, maximè in religionibus, vbi possunt haberi pro indiciis, quibus procedatur ad aliquam inquisitionem, & interrogandum reum leui tortura. Sed hoc non licet in secularibus, vbi supplicia sunt acerbiora. 8

Dub 16. *An alicuius testimonium, aut accusatio sit sine eius culpa in iudicio repellenda.* 9

1. Conclus. Iustè repellitur alicuius testimonium, aut accusatio aliquando sine culpa, vt testimonium amentis, mulieris, consanguinei, pauperis, & minoris quatuordecim annorum, & inimici, *in cap. honestum, 2. 2 quæst. 5.* Et cohabitantes cum inimicis accusati, *iuxta cap. repellantur, de accusat.* Et dicitur inimicus meus, qui occidit mihi consanguineum intra quartum gradum, aut qui mouit contra me litem seruitutis, aut accusauit me de delicto merente mortem, membri am-

amputationem, aut amissionem maioris partis bonorum, aut me prouocauit ad pugnam, aut laborauit vt me occideret. Ita *lege 6. tit 33. par. 7. & lege 2. tit. 17. par. 6.*

2. Conclusio. Aliquando repellitur iustè alicuius testimonium aut accusatio ob culpam, vt testimonium infidelis, publici peccatoris, periuri, & infamis; & isti & alij qui prima conclusio. non admittuntur ad accusandum, denuntiandum, aut testificandum. Nisi in casu hæresis, aut læsæ maiestatis. Ita *cap. præsul. 2. qu. 5. & cap. testimonium, de testi. & Soto relec. tegen. men. 2. qu. 5. conclusio.* 3. Et in crimine simoniæ, *iuxta capitul. si dominus, & capit. per tuas, de simonia.*

10 Dub. 17. *An liceat obijcere testi crimen pro infirmando eius testimonio.*

1. Conclus. Non licet obijcere testi etiam iniquo crimen falsum: cum mentiri sit intrinsecè malum. Imo etsi Bannes, & Ledesm. cum Orellan. probabiliter sentiant, esse solum mendacium veniale, obijcere testi iniquo crimen falsum, secluso periurio in obijciente & testibus ad hoc inducendis: sed probabilius est, & conformius *D. Tho. art* 4 esse mendacium perniciosum mortale. Nam ex iustitia tenemur vitare actionem ad quam non habemus ius, si ex illa sequitur alterius malum. Sed reus non habet ius defendendi se illo medio; cum sit mendacium intrinsecè malum, nec ordinabile in finem bonum: ergo. Sed adhuc in ista sententia reus iste nihil restituet, sed dabitur compensatio, cum alias iste testis iniquus teneatur restituere reo. At alius tertius, vt aduocatus imponens testi crimen falsum, pro reo restituet testi: cum nulla sit ei facta iniuria compensanda. Et dicta doctrina æqualiter procedit, siue reus accusetur de crimine falso, siue de crimine vero, sed occulto. Quia vtrobique patitur æqualem iniuriam, & idem ius habet ad sui defensionem.

2 Conclusio. Testi iniquo imponenti crimen falsum, aut reuelanti occultum verum, licet obijcere crimen verum, etiam occultum. Ita *Ledesma, & communiter.* Nam vim vi repellere licet. Nec ista est aggressio, sed legitima defensio. Et hoc etiam licet, etsi testis per ignorantiam inculpabilem inferat talem iniuriam. Imò etsi testis ponat verum & legitimè, si habet crimen probabile, quo eius testimonium repellatur: licet obijcere illud ei. Nam sic reus defendit se cum moderamine, quod ei licet; cum censeatur innocens,

dum

dum per legitimos testes non probatur nocens. Et damna secuta testi, ei imputantur, qui non tenebatur testificari cum periculo honoris. Et intelliguntur prædicta esse vera per se loquendo. Nam aliquando illud non licebit. Primò, Si crimen obiectum testi nihil conducit pro infirmando eius testimonio. Nam tunc talis obiectio criminis non erit defensio, sed vindicta. Secundò, si reus potest aliter se defendere. Tertiò, si damnum quod sequitur reo est paruum, non licet obijcere testi, maximè ad testificandum compulso, crimen notabile. Et semper crimen obiectum debet esse minimum, quod sit necesse pro repellendo eius testimonio; cum teneatur reus se defendere cum moderamine.

3. Conclu. Testis post debitam diligentiam deceptus testificando falsum, nec peccat, *vt ait D.Thom.art.* 3. *ad* 1. *Nau. in ma.c.*25.*nu.*40. etsi ob hoc reus ad mortem damnetur, nec tenetur cum periculo vitæ eum à morte eripere, nec alia damna reparare. Ita *Caiet.*2.2.*q.*70.*art.*4.*Soto contra Manu.Rod.trac. de ordi.iudi.c.*7. *concl.*5. Sed tenebitur testis secluso suo graui damno totum posse facere, vt illum liberet, *vt ait Naua* Nam etsi non admittatur testis nisi in incontinenti ad mutationẽ sui testimonij, *vt patet cap. præterea, de testi. cogen.* At quia, vt ibi ait glossa, correctio testimonij & prius testimonium minus firmum reddit, & ex qualitate personæ sit aliquando admittenda, vt si certò creditur non esse subornatum, sed ex conscientia corrigere dictum suum, ideo tunc quiuis corriget suam obliuionem etiam cum iuramento, maximè si est persona bonæ famæ de qua præsumitur verum modò dicere, & non periurare.

ARTICVLVS V. DE ADVOCATO.

D. Thom.2.2.q.71.

SVMMARIVM.

*An aduocatus teneatur gratis patrocinari pauperibus. n.*1.
*Quinam arceantur ab aduocando.n.*2.
An aduocatus peccet mort.defendens causam iniustam. n. 3.
*An possit defendere causam dubiam,n.*4.
*Quid possit accipere pro suo patrocinio.n.*5.
*An possit recipere munera. n.*6.

DVb. 18. *An aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperibus.*

1. Concl. Aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperibus iuxta opportunitatem loci, temporis, & personæ. Dixi iuxta opportunitatem loci, Nam non tenetur peragrare mundum, vt quærat pauperes, sed subueniat pauperibus occurrentibus. Dixi iuxta opportunitatem temporis. Nam non tenetur prouidere futuræ necessitati alterius, sed præsenti. Dixi iuxta opportunitatem personæ. Nam iuxta eius necessitatem oritur obligatio patrocinandi ei. Si enim extremè eget, ei subueniatur cum damno necessariorum ad statum. Imò in communibus necessitatibus solus titulus superflui de pertinentibus ad decentiam status obligat patrocinari pauperibus, iuxta dicta de eleemosyna in 5. præcepto. Item in grauibus necessitatibus tenetur aduocatus patrocinari de superfluo ad statum. Nam, vt dixi, in extrema necessitate tenetur quilibet eleemosynam elargiri de necessarijs ad statum, ergo in grauibus tenetur de superfluo ad statum.

2. Conclusio. Aliquando tenetur aduocatus gratis patrocinari pauperibus, quando alij non tenentur dare eis eleemosynam: vt cum quis si eius causa deseratur incidet in statum in quo patietur communes necessitates, tunc diuites non tenentur dari isti eleemosynam, sed possunt eligere alios, quibus eam tribuant, & aduocatus tenetur tunc isti patrocinari. Nam tunc iste eget patrocinio, & non sunt alij egentes, nec aduocatus potest illud seruare alijs. Et idem est de medico, tabellione, relatore, procuratore, & alijs ministris iustitiæ.

3. Concl. Superfluum in aduocato est tempus, quod superest, nec est ei necessarium ad statum, nec ad eius decentiam seruandam. Et grauis necessitas est, cum quis, si ei non subuenitur, incarcerabitur, vbi cruciabitur, & vxor, & filij patientur maximam miseriam citra extremam. Et quæ dicta sunt de eleemosyna hic accommodentur.

Dub. 19. *An aliqui conuenienter arceantur ab aduocando.*

1. Concl. Aliqui iustè arcentur ab aduocando ob indecentiam, vt Ecclesiastici: cum sint diuinis adstricti, alii ob defectum corporalem, vt cæci, alii ob defectum spiritualem, vt infideles, & infames, *in cap. infames qu. 7.* Sed isti omnes in necessitate admittuntur tam pro se quam pro personis sibi vnitis,

tis, aut miserabilibus, & clerici pro sua Ecclesia, & monachi pro suo monasterio. Ita *c. 1. & 3. de postulando*. Alij arcentur ab aduocando, nec admittuntur etiam in necessitate, ob impotentiam, vt amentes, surdi, muti. Ita *Thomistæ cum D. Thom. art. 2.*

2. Conclus. Assumens officium aduocati sine sufficientia necessaria, peccat mort. & restituet parti damna, & expensas litis; cum sit istorum causa.

3. Concl. Non requiritur in aduocato summa iuris peritia, sed regularis, & ordinaria. Si enim deficiat in cognitione alicuius veritatis extraordinariæ, & notæ à solis peritissimis, non peccat mort. At si per culpam leuem amittit causam suæ partis, restituet, sicut dixi de locatore. art. 6. de restitutione. Ex dictis patet, peccare mort. aduocatum paratum admittere plures causas, etiam iustas: cum exponat se periculo morali committendi culpas leues ob plura negotia.

Dub. 20. *An peccet mort. aduocatus defendens causam iniustam.* 3

1. Concl. Aduocatus scienter defendens causam iniustam, & peccat mortal. & est periurus in Hispania, cum à principio sui officii iuret non suscipere scienter causam iniustam. Et restituet parti contrariæ expensas & damna secuta ex sua aduocatia. Et suæ parti restituet etiam expensas, si non monuit de iniustitia suæ causæ. Ita *Nau. in manu. c. 25. nu. 28.* Sed non tenetur aduocatus rei, etsi in eius fauorem alleget leges falsas, ob quod liberatur, restituere fisco, aut accusatori pœnam pecuniariam eis applicandam, si reus damnaretur, sicut dixi de teste, dub. 13. Imò minus quam testis: cum iste *iuxta D. Tho. art. 4. ad 3.* sit medius inter reum & accusatorem: at aduocatus rei tenet se ex parte rei. Aduocatus tamen accusatoris ob pretium acceptum, sicut dixi de iudice, tenetur illam pœnam restituere ei, si ob suam negligentiam leuem non damnetur reus ad illam.

2. Concl. Aduocatus accipiens causam, quam putabat iustam, comperta eius iniustitia tenetur eam deserere, *ait Nau.* & monere suam partem de tali iniustitia. Poterit tamen componere partes, sed sine præiudicio partis iustè litigantis. At non poterit prodere parti contrariæ, *ait Nau. n. 29.* iniustitiam, & secreta suæ causæ, si alias non imminet illi parti graue periculum in ciuilibus, aut criminalibus, cum ratio naturalis dictet secreta seruanda esse.

3. Conclusio. Aduocatus patrocinans in fauorem falsi criminis obiecti reo aut testi, aut in fauorem alterius mendacij perniciosi, peccat mortal. contra iustitiam, & restituet, sicut dixi de teste. At si patrocinetur in causa iusta, sed alligando scienter leges falsas pro innocente, solum peccat veniali mendacio, vt patet à simili de reo, & teste.

4 Dub. 12. *An liceat aduocato defendere causam dubiam.*

1. Concl. Si causa pro vna parte sit probabilissima, & pro altera fere improbabilis cum nec habeat rationes vrgentes, nec timorati iudicent secundum illam; non licet aduocato defendere istam partem.

2. Conclus. Causa vtrinque probabilis, æqualiter vtrinque potest defendi. Hæc enim est propria materia litis. Imo si pro vna parte est probabilis, & pro altera probabilior, potest defendi pro parte probabili, non solum pro reo, sed & pro accusatore: *ait Soto, & Bannes. dub.* 6. Quia accusatori licet tunc proponere merita suæ causæ examinanda per iudicem, ergo & aduocato id licebit pro accusatore. Et intelligitur hoc, *ait Bannes*, in causis leuibus: nam si agitur de rei vita, honore, aut magno censu, erit contra charitatem defendere partem minus probabilem contra reum, nisi alias æquale damnum immineat accusatori quem defendit. Tenebitur autem aduocatus ostendere suæ parti minorem probabilitatem suæ causæ, alias restituet ei damna, & expensas. Et quod dixi de aduocato, dic de alijs ministris iustitiæ, procuratore, tabellione, &c. *Et nota pro tabellione*, quod si confecit falsam & iniustam scripturam, peccauit mort. contra religionem, cum sit periurus; & contra iustitiam Reip. & contra iustitiam partis damnificatæ.

5 Dub. 22. *Quid possit aduocatus accipere pro suo patrocinio.*

1. Conclusio. Aduocatus accipiens pro petitionibus ordinarijs vltra duos argenteos restituet excessum. Ita taxatur lib. 2. nouæ Recopil. titul. 16 lib. 21. Quæ est lex iusta, & recepta à timoratis. Nec enim labor impensus in istis est ita magnus, nec status aduocatorum ita illustris, quod sit conseruandus tanta pompa & pauperum sanguine. Ita *Ledesm. in summ. tractat.* 8. *capitul.* 26. *cum Orell. Bannes, & communiter Thomistæ.* Et intelligitur conclusio per se loquendo. Nam si aduocatus vltra datam petitionem

nem

rem instruxit suum clientem circa litem consulendo ei, aut assistendo quando examinatur causa in iudicio, ob hoc poterit plus accipere. Lex enim illa solum taxat petitiones ordinarias. *Si obijcias*, illa taxa facta est anno 1495. vt patet ex copilatione antiqua preg. lib. 54. quando duo argentei erant maximum pretium: ergo cum iam creuerint rerum pretia, duo argentei non erunt iustum pretium. Ad hoc dico, quod rerum pretia crescunt, & decrescunt iuxta copiam, & inopiam earum, & emptorum, & venditorum, & tunc erant pauci aduocati, & paucæ lites, & vix singuli aduocati poterant quotidie obtinere singulas petitiones. At nunc mediocris aduocatus obtinet plures, & habet etiam alia extraordinaria negotia.

2. Conclusio. Cum pretia non sunt taxata pro alijs negotijs, possunt aduocati pacisci cum clientibus de pretio, habita ratione causæ, sufficientiæ aduocati, & aliorum: sicut fit in alijs emptionibus, & venditionibus. Et seruatis conditionibus positis loco citat. l. 7. 8. 18. & 19. & 20. Prima, Vt fiat pactum inter aduocatum, & clientem in principio litis antequam aduocatus videat scripturas, & secreta causæ. Secunda, Vt non possit accipere pretium pro assecuratione victoriæ. Tertia, Vt non conueniat aduocatus, quod accepto pretio suis expensis defendet litem. Et istæ tres conditiones iustè sunt obligantes saltem ex obedientia legis. At non erit obligatio restituendi, si alias taxatur iustum pretium. Quarta conditio, Quod ratione stipendij non possit aduocatus accipere vltra vigesimam partem pecuniæ de qua litigatur, quam partem alias non excedentem triginta mille dipondia possunt accipere soli aduocati Cancellariæ Regis, & Concilij Regalis. Alij tamen possunt illam accipere si non excedit quindecim mille dipondia. Et ista trasgredientes restituent excessum: cum iam à lege taxetur pretium. Et ista taxa fit ex parte magnitudinis. Ita vt non excedatur, sed infra illam taxetur pretium iuxta qualitatem litis, sicut fit in taxa tritici. Quinta conditio, Ne paciscantur de quota litis, de quarta, aut quinta parte. Et ista conditio iusta est, alias daretur occasio aduocatis calumniosè defendendi lites. Et regulariter non censetur iustum pretium aliquota pars litis. Si autem aliquando sit iustum pretium, etsi peccet aduocatus non seruando istam conditionem,

sed non tenetur restituere. Sexta. Ne paciscantur de aliqua summa pecuniæ, si litem vicerit, alias restituatur. Nam suppono esse iam factum iustum pretium pro patrocinio. Ex hoc patet, quod etsi stando in iure communi possint aduocati aliquid paruum accipere titulo boni nuntij, si pars voluntariè det: sed stando in lege Castellæ hoc expresse vetatur. *Ita Bannes, & Ledesma*. Licet Alexand. & Salicetus *in lege litem. C. de procuratoribus, & Nau. in manual. cap. 25. num.* 30. illud eis concedant. Et quæ dicta sunt intellige quando iudex remittit aduocatis prædictorum taxationem. Nam per dictas leges sunt à iudice taxanda, & tenetur aduocatus sub mortali adire iudicem vt dicta taxet, vt ibi præcipitur. A quo tamen excusabitur, quando ex voluntate iudicis interpretatiua conuenit cum parte de pretio iusto. Imò omnes fere iudices remittunt iam aduocatis talem taxam. Et quando aduocatus tenetur adire iudicem, si non facit, & alias taxat iustum pretium, nihil restituet.

6 Dub. 23. *An liceat aduocatis, & ministris iustitiæ accipere munera. Et nota* quod ista, aut liberè omnino dantur, aut titulo pretij etiam excessiui, vt si soluatur tabellioni pro suo labore vltra pretium taxatum, & ipso dicente non deberi sibi tantum, dicit qui dat, se velle illud liberè donare.

1. Conclusio. *Donatio primi generis est nulla, nec transfert dominium. Ita Ledesma, cum Medin. Orellan. & Bannes, & communiter Thomistæ*. Nam lib. 2. nouæ Recopilatio. titul. 5. lib. 6. prohibetur generaliter omnibus iudicibus etiam supremi Senatus, notarijs, tabellionibus, relatoribus, procuratoribus, & fiscalibus, ne per se, aut per alios directè aut indirectè accipiant munera, etiam comestibilia, ab habente litem coram eis, aut ab eo qui de proximo habiturus est, aut habuit. Et lib. 19. & 21. vetatur receptio aduocatorum vltra pretium taxatum, & etiamsi partes voluntariè dent. Permittitur autem eis ibi, receptio aliquorum esculentorum, vel poculentorum in parua quantitate. Et lib. 4. cap. 17. l. vnica, taxantur tabellionibus pretia pro singulis scripturis, & præcipitur ne plus accipiant etiam à gratiose donantibus. Itaa regulariter dictæ donationes sunt nullæ iure naturæ, cum sint inuoluntario mixtæ. Nam litigantes experiuntur, quod si istis donis non alliciantur non exercent diligenter sua officia, & sic quasi coactè dant, & vt redimant suam vexationem:

nem: cuius signum est, quod qui dant, postea conqueruntur de tali donatione. Imò, licet deut illa voluntariè, non transferunt dominium. Quia leges eos inhabilitant, sicut dicitur de legibus spuriorum in lib. 2. ord. 3. l.vltim. vbi postquam vetantur illæ donationes, & exigitur à iudicibus iuramentum de hoc seruando, subditur sic, *De suerte, que el que lo contrario hiziere sea obligado desde luego en el fuero de la conciencia a pagar la dicha pena, quantoquier que lo culpa sua occulta*, id est, ita vt qui contrarium fecerit obligetur ipso facto in foro conscientiæ satisfacere dictæ pœnæ, quantumuis sit occulta culpa. Si tamen dictæ donationes fiant transacta lite, dum non præcesserit ante finem litis virtualis, seu implicita petitio, aut promissio illarum, erunt validæ, cum iam non fiant intuitu litis, sed amicitiæ. 8

2. Conclusio. Donatio secundi generis etsi vetita sit iure Hispano, sed non irrita. Et sic nec restituet donatum. Nam dictæ leges loquuntur solum de donationibus vulgo dictis, *presentes o dadiuas*, id est donis gratuitis, quales non sunt istæ. *Ita Orell. & Bannes, art. 4. dub. 4. Etsi Ledes. cum Medin. tenet oppositum.*

3. Conclusio. Confessores interrogent aduocatos, & alios ministros iustitiæ, si sciant suas leges, & eos examinent per illas. *Vbi nota*, quod inter leges ab istis iuratas, quædam iurantur in particulari, & istarum transgressor est periurus, aliæ iurantur in generali, & istarum transgressor peccat iuxta grauitatem materiæ mortaliter, aut venialiter, sed non est periurus. *Ita Bannes loco cit.*

Hæc de octauo præcepto. Alia autem duo præcepta reducuntur ad prædicta. v.g. Nonum præceptum reducitur ad sextum. Et præceptum decimum ad septimum.

DIRECTORII CONSCIENTIÆ

Secunda pars, siue Summa de Sacramentis, per Fratrem Ioannem de la Cruz, Talabricensem Theologum sacri Ordinis Prædicatorum.

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia Sacramentorum.

D. Thomas 3.p. q.60.

SVMMARIVM.

Quid sit Sacramentum, & conditiones ad illud requisitæ. num.1.
Quale sit signum Sacramentum, & quid significet. n.2.
Differentia inter Sacramenta noua, & antiquæ legis. n.3.
An & quomodo Sacramenta constent rebus, & verbis. n.4.
An requirantur determinata verba. n.5.
An liceat aliquid addere vel tollere in verbis Sacramentorum. num.6.



DVBIVM I, *Quid sit Sacramentum*.

1. Conclusio D. Thomæ artic.2. Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis nos. Baptismus enim ad Rom.6.dicitur signum mortis, & sepulturæ Christi. Et Eucharistia, Lucæ 22.dicitur signum commemoratiuum Passionis Christi. 2. Nam Sacramenta sunt instituta, vt ex illis sicut ex visibilibus quasi manu ducamur in cognitionem supernaturalium inuisibiliũ, quæ occultantur in Sacramentorum significatione. Vbi duplex con-

conditio Sacramenti insinuatur. Prima, vt sit signum sensibile, ait Diuus Thomas articul. 4. habens rationem Sacræ ceremoniæ, qua Deus colitur. Et patet. Nam ista signa dantur hominibus, vt ea intelligant: & eis vtantur in cultum Dei, & suam sanctificationem, ergo debent esse sensibilia, vt sic cognoscenti proportionentur. Secunda conditio Sacramenti est, vt sit signum permanens. Et sic manna, serpens æneus, ignis descendens in Discipulos, non erant Sacramenta, cùm non essent signa permanentia. Tertia conditio Sacramenti est, vt sit signum practicum rei Sacræ perfectè sanctificantis nos, ita vt in actuali exercitio illius, res sacra nos sanctificans, vtpotè gratia, nobis conferatur; siue virtute Sacramenti, vt fit in Sacramentis nouis, siue conferatur à solo Deo ad præsentiam Sacramenti, vt in Sacramentis veteribus. Ex quo patet, quod nec Cruces, nec sacrificia, nec etiam Eucharistia in ratione sacrificij, sunt Sacramenta, cùm nec sint signa practica, nec in ratione sacrificij dicant ordinem ad gratiam sanctificantem nos formaliter, nec ad Christum sanctificatorem, sed solùm ordinantur in cultum Dei. Et licet significent mortem Christi, sed non cum ordine ad nostram sanctificationem.

2. Conclusio. Sacramentum non est signum naturale. Ablutio enim Baptismi ex natura sua nihil significat. Sed est signum ad placitum Dei repræsentans aliquid supernaturale, habita tamen proportione cum re significata. Sicut ablutio exterior Baptismi proportionatur internæ ablutioni animæ per gratiam, quam ex Dei placito significat. Et licet materiale Sacramenti sit quid reale, & formale, vtpotè, ratio signi sit ens rationis, tamen ablato formali, nec esset Sacramentum ceremonia Sacra, nec eius vsus applicaretur ex virtute religionis, ad colendum Deum. Ratione enim significationis, sicut & vasa sacra ratione consecrationis, ordinantur in cultum Dei per virtutem religionis. Et sic indebita istorum tractatio pertinet ad peccatum irreligiositatis.

3. Conclusio. Sacramenta significant tria sacra. Primò, Christi Passionem, cuius sunt rememoratiua. Secundò, gratiam, cuius sunt demonstratiua. Tertiò, gloriam, cuius sunt prænuntiatiua. Ita *D. Thom. art.* 3. Nam Sacramenta ordinantur ad nostram sanctificationem, sed in hac sunt tria. Primò, causa fructificans, vtpotè Passio Christi. Secundò,

forma

forma sanctificans, vtpotè, gratia. Tertiò, finis nostræ sanctificationis, vtpotè nostra beatitudo. Ergo, &c.

3 4. Conclusio. Sacramenta noua, & vetera differunt. Primò, quod vetera significant illa tria Sacra implicitè, & confusè; at noua explicitè, & clarè. Etsi inter noua Eucharistia explicatius illa tria significat, vt patet ex illo: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius.* Ecce primum. *Mens impletur gratia.* Ecce secundum. *Et futura gloriæ nobis pignus datur.* Ecce tertium. Deinde Baptismus explicatius significat illa. Nam significat mortem Christi, cui consepelimur per Baptismum, vt dicitur ad Rom. 6. Et significat gratiam eius virtute datam, & gloriam postea dandam, iuxta illud *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Alia etiam Sacramenta proportionabiliter illa tria Sacra significant. Nam Sacramenta consistentia in vnctione significant Christi Incarnationem, & Sanctitatem, qua dicitur vnctus oleo præ participibus suis, *Psal.* 44. & significant vnctionem nostram per gratiam, & consummationem per gloriam. Pœnitentia etiam per dolorem significat mortem Christi, per propositum nouæ vitæ renouationem per gratiam, & per absolutionem apertionem Cœli. Matrimonium significat primò coniunctionem Christi cum Ecclesia factam ex merito suæ Passionis. 2. Coniunctionem Christi cum anima, cui Christus desponsatur per fidem, & gratiam. Et 3. significat per insolubilitatem, æternitatem gloriæ. Secundò. Differunt Sacramenta vetera, & noua, quod vetera significabant gratiam dandam per Christum in genere causæ finalis; at noua significant gratiam dandam per Christum in genere causæ efficientis, cùm iam Christus, & eius merita sint præsentia.

4 Dub. 2. *An Sacramenta constent ex rebus, & verbis.*

1. Conclusio. Non est de essentia Sacramenti vt sic, componi ex rebus, vt ex materia, & ex verbis, vt ex forma, sed solùm quod sit signum rei sacræ, &c. Quod ex Dei institutione potest saluari in re simplici, aut in aliqua actione sine verbis, vt in Sacramentis veteribus, vbi nulla erant verba saltem pertinentia ad rationem Sacramenti. At omnia Sacramenta noua constant essentialiter ex rebus, & verbis. Ita *D. Thom. artic.* 6. Et patet ex Concil. Florent. & Trident. *sess.* 14. & ex illo ad Ephes. 5. vbi dicitur Christum mundasse Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ, vbi sermo est de verbis formæ Baptismi, vt ait Ambros. Hieron. & D. Thom. Etsi in sensu tropolo-

gico,

gico, ait Hiero. sit sermo de prædicatione Euangelii. Et idem explicatur de Eucharistia Matth. 26. & de Extrema vnctione, Iacobi 5.

2. Conclusio. In Sacramentis res sunt materia, & verba sunt forma, ex quibus fit vnum signum, & Sacramentum: Et res dicuntur omne, quod ex se est determinatum, & verba quod habet rationem determinantis, v. gr. in Pœnitentia confessio verbis, at signis facta, & contritio, sunt materia, & absolutio, qua istæ partes determinantur, est forma. Et in Matrimonio consensus contrahentium explicati verbis, aut signis, vt habent rationem traditionis, sunt res & materia, & vt habent rationem acceptantis alterius coniugis consensum, sunt verba & forma.

Dub. 5. *An Sacramentis sint verba determinata.* 5

1. Concl. *D. Tho. ar. 7.* Affirmatiua. Nam Christus determinata verba protulit in consecratione Eucharistiæ. Et Matt. 16. iubet baptizare in nomine Patris, &c. Secundo, In Sacramentis requiruntur determinatæ res sensibiles pro materia, *vt ait D. Tho. art. 5.* ergo à fortiori determinata verba pro forma. Nam principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quàm determinata materia: cum in compositis ex materia & forma principium determinationis sità forma, quæ est finis, & terminus materiæ: & materia ideo requiritur determinata, vt proportionetur determinatæ formæ.

2. Conclusio. *D. Thom. ad 1.* Ex verbis quæ æquiualent illis, quibus vtitur Ecclesia, fit verum Sacramentum. Nam Christus expressit formas Sacramentorum in Hebræo, & nos vtimur verbis Latinis eis æquiualentibus. Imò in eadem lingua mutatis verbis in alia æquiualentia, vt si dicas, Ego te lauo in nomine Patris, &c. verum fit Sacramentum. Et si sit peccatum ven. illud facere sine causa, contra communem vsum. Etsi ponantur verba, quæ non constat certò esse æquiualentia, erit mortale sacrilegium ob periculum non conficiendi Sacramentum. Et Sacramentum sic collatum iteretur sub conditione.

3. Conclusio. Qui cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vtitur in Sacramentis verbis corruptis adhuc retinentibus veram significationem ex impositione, aut vsus accommodatione, verum conficit Sacramentum: cum ponat verum materiam & formam. Secùs si corruptio verborum

Variet

variet significationem formæ, cum iam non ponatur vera forma.

6 Dub.4. *An liceat addere, aut tollere aliquid in verbis Sacramentorum.*

1. Concl. *D.Thom.art.*3. Si minister addendo, aut tollendo intendit introducere nouum ritum non toleratum in Ecclesia, non videtur fieri Sacramentum. Nam cum ex intentione recedat à ritu Ecclesiæ, non videtur habere intentionem Ecclesiæ. Et sic si dubites de intentione ministri iteretur Sacramentum sub conditione. Ex quo patet contra Soto, quòd si tunc ponas veram materiam, & formam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, etsi alias intendas introducere nouum ritum non toleratum in Ecclesia, verum fit Sacramentum, vt si Latinus baptizet cum forma Græcorum. Et intelligitur hoc nisi alias immutatione formæ intendat explicare suum errorem, vt si Arianus tenens Filium esse minorem Patre, dicat baptizo te in nomine Patris maioris, & Filij minoris, &c. Nam iste tunc non ponit debitam formam. Et idem si baptizet in nomine patria, & filia, &c. intendens explicare in diuinis esse filiam. Ita *cap. retulerunt, d.*4 *de conse.* Secus si id facit sine tali intentione, & ex ignorantia. Nam cum ignorantia linguæ Latinæ mutando verba formæ, vt in exemplo dicto, verus fit Baptismus, & ex vsus accommodatione idem significant illa, ac alia verba. Ita *loco cit.*

2. Conclus. *D. Tho. ibi.* Si addendo, aut tollendo varies sensum verborum, non fit Sacramentum. Et idem ait *D.Thom. ad* 3. de transpositione, aut interruptione verborum. Secùs si non varies sensum. Et sic patet, quod si minister ponit debitam materiam, formam, & intentionem, etsi ex ignorantia putet aliquam partem esse de essentia formæ, quæ tamen non sit, vt si credit, ly enim, esse de essentia formæ consecrationis, verè consecrat, etsi eam omittat.

3. Conclusio. Peccas mortal. si intendis introducere nouum ritum, etiam toleratum. Et à fortiori si mutes formam quando tollitur eius sensus, cum tunc Sacramentum reddatur nullum. Imò si mutatio est grauis, etsi non tollatur sensus formæ, erit peccatum mortal. vt si Latinus baptizet cum forma Græcorum. Item erit peccatum mortal. addere aliqua verba non essentialia, sicut essentialia, vt si baptizes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis, & fortè non erit baptismus, *ait Diuus Thom. art.* 8.

At

At mutatio leuis in forma Sacramentorum solùm est peccatum veniale.

4. Conclusio. Si dubites rationabiliter, an sensus formæ sit variatus substantialiter, iteretur Sacramentum sub conditione. Sed non ob leue dubium. Et in Sacramentis non iterabilibus diligentiùs examinabis dubium, cùm grauius sit iterare, v.g. Baptismum. At semel statuto rationabili dubio, etiam minori, quam requiritur ad alia Sacramenta, iteretur sub conditione. Nam baptismus est maioris necessitatis, maximè pueris, qui non possunt proprio actu iustificari.

QVÆSTIO SECVNDA.

De præcipuo effectu Sacramentorum, qui est gratia.

D. Thomas 2. 2. quæst. 62.

SVMMARIVM.

Sacramenta noua causant gratiam vt instrumenta Dei, num. 1.
An omnia possint causare primam gratiam, num. 2.
Sacramenta noua legis causant physicè gratiam, num. 3.
Etiam recedente fictione, num. 4.
Quomodo gratia contineatur in Sacramentis, & quid sit in illis virtus causatiua gratiæ, num. 5.
Sacramenta habent virtutem ex passione Christi, num. 6.

DVB. 1. *An noua Sacramenta sint causa gratiæ.* 1

1. Conclusio. *D. Thomæ art. 1.* Affirmatiua, & diffinita in Concil. Trid. *sess. 7. can. 6.* Et de Baptismo patet ex illo ad Tit. 1. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* De Eucharistia Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c.* De Confirmatione Act. 8. vbi per manus impositionem dabatur Spiritus sanctus. De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* De Pœnitentia Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* De Extrema vnctione, Iacob. 5. *Quod si in peccatis est, dimittentur ei.* De Matrimonio, ad Ephes. 5. Et hæc communis traditio Ecclesiæ. 2. Per Sacramenta incorporamur Christo, iuxta illud ad Galat. 3. vbi dicitur de Baptismo. *Quicumque*

in Chri-

In Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed hoc fit solum per gratiam, ergo.

1. Conclusio, *D. Thom. art. 1.* Sacramenta noua, vt instrumenta Dei, ex opere operato, & virtute propria, causant gratiam. Ita diffinitur in Concil. Trid. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit noua Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solum fidem promissionis diuinæ ad gratiam suscipiendam sufficere, anathema sit.* Et patet ex differentia data à Concil. Flor. inter Sacramenta noua, & vetera, quòd noua continent, & causant gratiam, sed non sic vetera.

2 Dub. 2. *An omnia Sacramenta noua possint causare primam gratiam, & facere ex attrito contritum.*

1. Conclusio. Baptismus, & Pœnitentia, & secundùm rationem genericam, id est, vt Sacramenta nouæ legis; & secundùm rationem specificam talium Sacramentorum, causant per se primam gratiam. Nam ideò dicuntur Sacramenta mortuorum, quia non supponunt vitam gratiæ, sed per se causant eam in non ponente obicem.

2. Conclusio. Alia Sacramenta non causant per se primam gratiam secundùm rationem specificam; cùm sint Sacramenta viuorum, supponentia vitam gratiæ in suscipiente, sed causant augmentum gratiæ, & speciales modos eius, vt Eucharistia causat gratiam per modum refectionis spiritualis.

3. Conclusio. Ista Sacramenta viuorum aliquando causant primam gratiam, non per accidens, vt dicebat *Soto d. 11. quæst. 2. art. 1 & 3* sed per se secundo, id est, secundùm rationem genericam Sacramentorum nouæ legis, v.g. quando cum Sacramento Pœnitentiæ informi, & peccato mortali, cuius non habes conscientiam, nec affectum, accedis ad Confirmationem, aut Eucharistiam, ex quibus Sacramentis moueris actuali operatione in Deum amando eum, vel in peccatum detestando illud. Ita patet *ex D. Thom. & Caietan. 3. part. quæst. 72. art. 7. ad 2.* vbi de Confirmatione, *& quæst. 79. art. 3.* de Eucharistia, ait, habere virtutem causandi primam gratiam. Sed non secundùm rationem specificam, vt dixi modò, ergo secundùm rationem genericam. Etsi semper causent primam, & secundam gratiam cum modo sibi proprio, v.g. Eucharistia causat tunc primam, & secundam gratiam per modum cibationis, & refectionis spiritualis. Nam non inconuenit, quod in eodem instanti homo viuat spiritualiter, & cibetur spiritualiter: sicut potuit creari Adam comedendo:

dendo: eadem enim gratia secundùm vnam rationem, prius natura regenerat, quam intelligatur eademmet cibare. *Si arguas*, qui post Pœnitentiam informem, & antequam peccet mortaliter de nouo accedit ad Eucharistiam perfectè attritus, fit contritus virtute pœnitentiæ præcedentis, ergo non virtute Eucharistiæ. Ad hoc dico, istam attritionem perfectam debere causari ab Eucharistia vt sic, cum ea fiat homo ex attrito contritus.

Dub. 3. *An noua Sacramenta physicè attingant gratiam.* 3

1. Conclusio. Affirmatiua, & communis contra Cano dicentem, Sacramenta esse solùm instrumenta moralia gratiæ. Ita quod attendens Deus ad Christi merita in Sacramentis contenta, confert gratiam, non quod Sacramenta illam attingant. Sed conclusio patet. Tum ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Tum ex Concilio Flor. & Trid. *loco cit.* determinantibus nostra Sacramenta continere gratiam, & virtutem causatiuam illius, in quo differunt à Sacramentis antiquis. Tum etiam *ex D. Thom. quæst.* 62. *art.* 1. *ad* 2. vbi explicat, actionem præuiam, & propriam secundùm ipsum requisitam ad instrumentum physicum. *Si arguas*, instrumentum physicum iuxta *D. Thom.* 1. *part. quæst.* 45. *art.* 5. debet habere actionem præuiam circa subiectum, vbi operatur instrumentaliter: Sed ablutio Baptismi, v. g. non habet actionem circa animam, vbi gratia causatur: sed corpus abluit, ergo. Ad hoc dico, quod non vult D. Thom. quod instrumentum habeat illam actionem in subiectum in quod agit, sed solùm ait, quod instrumentum non participat actionem causæ principalis, nisi in quantum ad effectum istius operatur dispositiuè per aliquid sibi proprium. Et sic 2. 2. *quæst.* 178. *art.* 1. *ad* 1. ait, Deum vti creatura ad patranda miracula, in quantum creatura virtute Dei immutat aliam creaturam, aliquando interiori motu hominis, vel eius locutione, quæ actio cùm sit immanens non attingit corpus, quod sanat instrumentaliter. Solùm enim requiritur ad instrumentum, quod habeat actionem propriam, vt sic eleuetur à principali agente, aliàs non stat eleuari, & operari, si non habet actionem propriam. Et sic, quia aqua habet abluere, eleuatur à Deo vt attingat animam, non abluendo eam corporaliter, sed sanctificando instrumentaliter per gratiam. Nec requiritur, vt ista actione præuia contingat subiectum circa quod eleuatur. Nam iste contactus cùm sit

condi-

conditio sine qua non, à Deo potest suppleri. Et potest instrumentum, hac actione supposita, eleuari à Deo, vt operetur instrumentaliter physicè in subiectum distans: sicut potest Deus medio igne hic existente comburere Romam. Ex dictis patet, posse Deum, semel supposita actione alicuius instrumenti, vti illo ad quemuis effectum, sicut potest calefactione infrigidare.

4 *An verò Sacramenta recedente fictione causent gratiam etiam physicè*. V. g. accedis ad Baptismum putans te esse satis dispositum, & re vera solùm accedis imperfectè attritus, ratione cuius recipis Sacramentum informe, & non gratiam: sed postea antequam de nouo pecces mortaliter habes sufficientem dispositionem, per quam cum Baptismo, si tunc reciperetur, consequereris gratiam. *Dubium ergo est, an Baptismus præcedens causet nunc gratiam physicè*.

2. Conclusio. Probabile est, sola Sacramenta imprimentia characterem recedente fictione, physicè causare gratiam, alia verò solùm moraliter. Nam ista iam transiere, nec manent in sua virtute, vt alia, quod requiritur ad causam efficientem etiam instrumentalem, quæ operatur in quantum est in actu, saltem per suam virtutem.

3. Concl. Probabilius est omnia Sacramenta recedente fictione physicè causare gratiam. Nam passio Christi, mors, & Resurrectio iam transactæ operantur modò physicè gratiam, vt ait *D.Thom. de Passione, 3. p. q. 48. art. 6. de mor. q. 50. art. 6. de resurrect. q. 56. art. 1*. Ergo & Sacramenta transacta. Nec valet dicere, quod humanitas Christi morte, passione, & resurrectione mansit realiter immutata, ex quo accepit virtutem causandi gratiam physicè; & sic passio, mors, & resurrectio virtualiter manent: nam etiam subiectum recipiendo entitatem realem Sacramenti mansit realiter immutatum. 2. Sicut contactus physicus non pertinet ad rationem formalem agendi, sed solùm est conditio, iuxta *D.Thom. 1. p. q. 56. art. 1. ad* 3. sic & existentia. Illuminatione enim hodierna Solis potest Deus cras illuminare: ergo & Sacramento exhibito, recedente fictione media reali immutatione subiecti, operatur modò Deus gratiam physicè. Et sicut humanitas Christi ex vi immutationis præteritæ passionis mansit determinata ad effectus, quos modo producit: sic Sacramentum manet virtualiter in illa determinatione diuinæ voluntatis, quæ manet in ordine ad immutationem Sacramentalem præcedentem circa subiectum....

4. Con-

4. Conclusio. *D. Thom. art.* 3. Gratia continetur in Sacramentis, non vt in causa vniuoca, cùm non sit ibi secundùm similitudinem speciei: sicut homo genitus in generante: nec vt in causa æquiuoca, cùm non sit ibi secundùm aliquam formam propriam permanentem proportionatam effectui, sicut res generatæ sunt in Sole: sed est ibi vt in causa instrumentali, secundùm esse fluens, & incompletum, vt ait *D. Thom. ad* 3. Et sic non inconuenit, quod gratia aliqualiter transeat à Deo per Sacramenta in animam. At non migrat de subiecto in subiectum: cùm non sit eodem modo in anima, & in Sacramento. Ita *D. Thom. ad* 2. 5

5. Conclusio. *D. Thom. art.* 4 In Sacramentis est aliqua virtus instrumentalis causatiua gratiæ, non permanens, sed fluens, quæ nil aliud est, nisi motio Dei, quâ eleuatur actio propria Sacramenti ad effectum supernaturalem. Sicut in serra ad faciendum scamnum, solùm ponitur motio agentis principalis, qua propria actio serræ, scilicet scindere, eleuatur ad illud. Ista enim motio, & eleuatio fat est, vt ablutio baptismi, v. g. deferat diuinam virtutem vsque ad animam, ita quod diuina virtus modificata in ablutione regeneret animam. Ista etiam actio Dei nec est corporea, nec incorporea absolutè: cùm istæ sint differentiæ entis completi, qualis non est ista motio. Tamen materialiter est corporea, & formaliter, & secundùm causalitatem est incorporea. Nam est ad aliquid spirituale, vtpotè, ad gratiam. Nec inconuenit, ait D. Thom. quod in corpore sit aliqua virtus spiritualis instrumentalis, in quantum mouetur à causa spirituali, scilicet, Deo ad effectum spiritualem.

6. Conclusio. *D. Thomæ art.* 5. Sacramenta noua habent virtutem ex Passione Christi. Nam agens principale per instrumentum coniunctum mouet separatum, sicut homo per manum mouet baculum, sed causa principalis gratiæ est Deus, & humanitas Christi est, vt instrumentum illi personaliter vnitum: ergo Sacramenta ex humanitate Christi, & ex omnibus in ea operatis, ex natiuitate, circumcisione, & maximè ex passione, habent virtutem. *Si arguas*, Baptismus, & Eucharistia ante passionem habebant æqualem virtutem, ac modò: ergo non habent specialem virtutem ex passione Christi. *Ad hoc dico* 1. quod virtus causatiua gratiæ participabatur tunc in illis Sacramentis à Passione Christi in genere causæ finalis, & ab alijs Christi operibus iam exhi- 6

bitis in genere causæ efficientis. *Dico* 2. quod etiam tunc participabatur in illis dicta virtus à passione Christi in genere causæ efficientis: non à passione exhibita, sed per voluntatem acceptata. De quo latius dicemus *quæst.* 1. *de Baptismo in principio*.

QVÆSTIO TERTIA.

De effectu Sacramentorum, qui est character.

D. Thomas quæst. 63.

SVMMARIVM.

Tria Sacramenta imprimunt characterem, num. 1.
Character est spiritualis potentia, reductiuè pertinens ad secundam speciem qualitatis, num. 2.
Subiectatur in intellectu practico, num. 3.

1 DVB. 1. *An Sacramenta imprimant characterem*.
1. Conclusio. *D. Thom. art.* 1. *&* 6. Fideles insigniuntur charactere per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Hæc est de fide ex traditione Apostolorum ab Ecclesia recepta, & diffinita in Concil. Trid. *sess.* 7. *can.* 9. sic. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum indelebile, & spirituale, vnde iterari non possunt, anathema sit.* Secundò, qui deputantur ad aliquod munus, designari solent aliquo signo: ex eo enim, quod commendatarij deputantur ad militiam, insigniuntur cruce alba, aut rubea. Sed Sacramenta, etsi præcipuè ordinentur ad remittenda peccata causando gratiam, tamen per illa secundario deputamur ad aliquod officium spectans ad cultum Dei, vtpotè, ad diuina suscipienda, aut conferenda: ergo.

2 2. Conclusio. *D. Thom. art.* 2. Character est potestas spiritualis ad cultum Dei destinata. Nam character imprimitur à Sacramentis in quantum per illa deputamur ad ea, quæ sunt Christiani cultus, consistentis in recipiendo, aut tradendo diuina, sed ad vtrumque requiritur aliqua potentia; ad recipiendum, potentia passiua; ad tradendum, potentia actiua: ergo.

3. Con-

3. Conclusio. *D. Thom. art.* 2. Potentia characteris cùm sit potentia ministri, & instrumenti, est instrumentalis, & sic nec directè posita in prædicamento, ait *D. Thom* sicut nec virtus Sacramentorum, cùm sint quid incompletum, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis, & non ad primam. Nam in prima sunt habitus disponentes, & ad subastntiam operationis, & ad modum operandi, vtpotè benè, aut malè. Et in secunda sunt qualitates disponentes ad solam substantiam operationis. Sed character non datur ad benè, aut malè operandum, sed abstrahit ab hoc: verè enim consecrat Sacerdos in peccato mortali, sed datur ad simpliciter operandum. Nam qui caret charactere Sacerdotali, non consecrat: ergo. *Et nota*, quod character in Concilio Tridentino dicitur signum, non formaliter, aliàs esset ens rationis, sed dicitur signum denominatiuè, quia fundat relationem signi spiritualis, sicut fumus dicitur signum.

4. Conclusio. *Ex D. Thom. art.* 4. *ad* 3. Character subiectatur in intellectu practico. Quia non subiectatur in anima, ait *D. Thom.* cùm sit operatiuus, at anima non operatur nisi medijs potentijs: ergo subiectatur in potentijs, sed non in potentijs corporis, cùm sit potestas spiritualis, nec in voluntate: nam cùm hæc sit principium bonæ, aut malæ operationis, qualitates ei inhærentes per se respiciunt bonum, aut malum, vt disponant subiectum iuxta suam naturam, sed character abstrahit à bono, & malo: ergo non est in voluntate. Et quod sit in intellectu, patet: nam per se ordinatur ad protestationem fidei factam per externum cultum Dei; sed confessio fidei est actus intellectus: ergo. Et sic quando dicitur characterem imprimi in anima, sumitur anima prout includit suas potentias. *Si arguas*, Character ordinatur ad exhibendum cultum Deo, sed exhibere cultum Deo est actus virtutis religionis existentis in voluntate, ergo character existit in voluntate. *Ad hoc dico*, quod idem actus potest pertinere secundùm diuersas rationes ad diuersas virtutes, v. g. confessio fidei per opera externa, in quantum est confessio fidei, elicitur à fide, & vt est cultus Dei religiosè factus, elicitur à religione, sed vt procedit ab homine deputato ad cultum Dei, hoc est, ad exercenda opera externa secundùm se proportionata diuino cultui, quæ tamen possint benè, aut malè fieri, elicitur à charactere maximè confirmationis, iuxta *D. Thom.* 3. *p. q.* 72. *art.* 5. *ad* 2. 3

QVÆSTIO QVARTA.

De causa Sacramentorum.

D. Thomas quæst. 64.

SVMMARIVM.

1 DVB. 1. *An solus Deus sit causa effectuum Sacramentorum.*

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 1. Solus Deus est causa principalis efficiens effectuum Sacramentorum, vtpotè gratiæ, characteris, &c. Nam nulla causa principalis operatur efficienter vbi non est, sed solus Deus illabitur animæ, vbi ponuntur effectus Sacramentorum, ergo.

2. Conclusio. *D. Thom. art.* 3. Christus in quantum homo est causa principalis moralis effectuum Sacramentorum. Nam nobis meruit illos sua Passione, Morte, & Resurrectione. Et etiam est causa illorum instrumentalis physica. Et quia humanitas Christi, ait *D. Thom.* est instrumentum diuinitati vnitum, habet Christus in quantum homo quandam principalitatem, & causalitatem supra alios ministros, quæ dicitur potestas excellentiæ, consistens 1. In hoc, quod eius merita operantur in Sacramentis. 2. In hoc, quod in nomine Christi Sacramenta celebrantur. 3. In hoc, quod Christus instituit Sacramenta. 4. In hoc, quod potest Christus præstare effectum Sacramenti sine Sacramento. Et hæc omnia habet Christus ex commissione Dei.

2 3. Conclusio. *D. Thomæ art.* 1. Ministri, & Sacramenta instrumentaliter physicè causant effectus Sacramentorum. Et intelligitur 1. de ministro conficiente simul, & conferente

Sacra-

Sacramentum. Qui enim confert, v. g. Eucharistiam, ab alio, aut à se prius consecratam, non causat per se gratiam, sed habet se tunc vt causa applicans,& sine qua non. Et ratio horum est; nam character principaliter ordinatur ad conficiendum Sacramenta, & secundario, & medio primo ad illa conferendum, & causandum gratiam: ergo supponitur quod minister attingat primum, vt simul attingat secundum. 2. Intelligitur conclusio de omnibus ministris, etiam malis, qui ponendo debitam materiam, & formam cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vera conferunt Sacramenta. Ita *in cap. à quondam Iudæo, d.4. de consecrat.* Et in Concilio Carthag. 2. diffinitur, baptizatos ab infidelibus non esse iterum baptizandos. Et idem diffinitur in Concil. Constant. *sess.* 8.& in Concil. Trid. *sess.7. can.*12. de Baptismo collato ab existente in peccato mortali. 3 Minister Sacramenti non agit sua forma, & virtute, nec assimilat sibi effectum: cùm solùm sit causa instrumentalis operans ex motione, & voluntate Dei: ergo gratia ministri, & omnis alia virtus, præter requisitam ad rationem instrumenti est impertinens, sicut impertinens est, quod fistula, per quam fluit aqua sicut lutea, aut aurea. Ita *D. Thom. art.* 5. *Si arguas,* Deus suo auxilio concurrit cum ministro ad collationem Sacramentorum; sed collatio mali ministri est sacrilega: ergo non concurrit cum ea auxilio speciali. *Ad hoc dico*, quod Deus non concurrit speciali auxilio cum ministro considerato vt persona priuata: bene tamen considerato vt minister est, & sic concurrit ad substantiam Sacramenti, quæ est actio ministri vt sic: & ad hoc vnitur ei Deus non per charitatem, cùm sit in peccato mortali, sed per specialem motionem, sicut baculus vnitur manui.

Dub. 2. *An intentio ministri in actu exercito non in actu signato, dicendo, volo habere intentionem, vt ait Caiet. requiratur ad Sacramenta.* 3

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 8. Affirmatiua diffinita in Concilio Trident. *sess.7. can.* 11. vbi dicitur: *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

2. Conclusio. Non sat est intentio habitualis in ministro: cùm ista non faciat actum perfectè humanum; nec est necessaria intentio actualis, cùm ista sit difficillima, sed sat est virtualis, quæ à D. Thoma ad 3. vocatur habitualis, consistens

in hoc, quod alquando actualiter decreuerit, quòd quoties se applicet ad conficienda Sacramenta, intendit facere quod facit Ecclesia. In ista enim actuali intentione præcedente, virtualiter continetur intentio necessaria ad quoduis Sacramentum postea celebrandum.

4 Dub. 3. *An peccent mali ministrando Sacramenta.*

1. Conclusio. Qui ministrat Sacramenta cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter ex genere. Ita *communiter cum D. Thom. art.* 6. Et habetur *cap. per Isaiam*, 1. *q.* 1. Et patet. Nam ministri debent conformare se suo domino in operando, iuxta illud Leu. 19. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum:* ergo. Dixi ex genere: nam in paruitate materiæ erit peccatum veniale, vt conferre Ordines minores; sicut & leuare Eucharistiam ex loco irreuerenti, vt est communis sententia, contra *Adrian. in* 4. *q.* 7. *de Baptis.* cùm sic leuans non faciat hoc, vt ministret ex officio ad hoc consecratus: & benedicere loca, vestes, & vasa sacra, cùm in his leuibus ministerijs parua irreuerentia fiat rebus sacris. Et idem est de consecratione olei, aut Chrismatis contra *Ledesm. cap.* 6. *de Sacramentis in genere.* Et intelligitur conclusio 1. de ministro solemnitatis, non de ministro necessitatis, vt de laico, aut etiam Sacerdote baptizante sine solemnitate in necessitate. Etsi enim istis occurrant tunc sua peccata mortalia non confessa, non tenentur dolere de illis, vt ait *Diuus Thomas ad tertium*. Secundò intelligitur de ministris specialiter consecratis pro ministrando Sacramenta. Nam etsi contrahentes matrimonium sint ministri Sacramenti Matrimonij, sed non peccant ministrando illud cum conscientia peccati mortalis, etsi aliàs peccant mortaliter non recipiendo illud dignè.

5 Ex dictis patet, solùm peccare venialiter qui ministrat Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, vt ait *Ledesma, & alij, & est conformius Diuo Thomæ*. Nam sic ministrans non concurrit vt minister ad causandum gratiam Eucharistiæ, iuxta dicta *dub.* 1. Et à fortiori patet sententia *Victoria, Soto, dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. & aliorum asserentium non peccare mortaliter Diaconos exercentes sua ministeria cum conscientia peccati mortalis. Tum quia non conficiunt aliquod Sacramentum. Tum etiam quia etsi ministratio sanguinis ad Diaconum ex officio pertineat, illum fidelibus portigendo, vt dicemus *quæst.* 6. *de Eucharistia, dub.* 1. at hoc non est grauius ministerium, quam eis porrigere

rigere hostias. Nec obstat, quod isti sunt consecrati, & receperunt gratiam ad sua ministeria exercendum. Tum quia ista reputantur leuia ministeria. Tum etiam quia confirmatus in confirmatione recipit gratiam ad profitendum fidem, & tamen non peccat mortaliter profitendo fidem cum conscientia peccati mortalis. Verum est, quod oppositum est etiam probabile, *cum ita teneant Albea.d.23. D.Anton.3.p.tit.4.cap.6.§.14.Caieta.2.2.quaest.60.art.2.Siluest.ver.Clericus.2.*

2. Concl. Grauius est ministrare Sacramenta cum grauioribus, & pluribus peccatis: cum sic ministrans minus conformetur in suo ministerio sanctitati causæ principalis Sacramẽtorum: At regulariter hoc non est in cõfessione explicandum, sed sat est dicere ministrasse Sacramentum in peccato mortali. Nisi minister esset in aliquo grauissimo & extraordinario peccato, aut si minister sceleratus sit multis & grauibus irretitus peccatis. Tunc, ait Ledesm. explicet speciem, & numerum peccatorum.

3. Conclusio. Qui cum conscientia peccati mortal. ministrat excellentius Sacramentum, grauius notabiliter peccat. Et sic confitebitur, ait Ledesma, quale Sacramentum ministrauit.

Dub. 4. *An liceat petere Sacramenta à malo ministro.* 6

1. Conclus. Licet recipere, imo, & petere Sacramentum ab isto alias parato, & ab Ecclesia tolerato, vt ab excommunicato tolerato. Ita *D. Thom. art.6. ad* 2. Tum quia ab Ecclesia toleratur, & vt minister exhibetur. Tum quia sic petens non inducit istum: cum sit paratus ad id.

2. Conclus. Licet in graui necessitate, aut cum magna vtilitate petere Sacramentum ab eo, qui ex officio, aut solum ex charitate tenetur ministrare, etsi non sit paratus, si sit ab Ecclesia toleratus, nec sit alius qui commmodè ministret. Ita *Ledesm. & communiter.* Nam sic petens vtitur iure suo, & alias ille minister potest, & tenetur se disponere pro dignè ministrando Sacramento. At si necessitas, aut vtilitas petentis Sacramentum sit parua, vel sit alius, qui commodè ministret Sacramentum, videtur alijs peccatum mort. contra charitatem petere tunc ab eo Sacramentum. Sed ex D. Thoma loco cit. oppositum colligitur, ex eo quod iste minister exhibetur ab Ecclesia, & potest facilè disponere se ad Sacramenta ministrandum.

7 Dub. 5. *Quomodo se satis disponat minister pro ministrando Sacramenta.*

1. Conclus. Iste etsi non tenetur prius confiteri, tamen non satis disponitur per attritionem cognitam Ita *Ledesm. & communiter cum D. Thom. art.* 6. Nam sicut Deus est sanctus, sic eius ministri debent se cum eo conformare in sanctitate, sed per attritionem solam non sanctificatur minister habens peccatum mort. Ergo. Si arguas, cum attritione cognita dignè recipitur Baptismus, & Pœnitentia: ergo & dignè ista ministrantur: Ad hoc nego conseq. Nam maior perfectio requiritur in conferente, quam in recipiente illa Sacramenta, maximè quia qui illa recepit cum attritione fit per illa contritus; Non sic autem qui illa confert cum attritione.

2. Concl. Attritio reputata contritio, sat est ad ministrandum Sacramenta. Ita *Caietan. opusc. de usu spiri.* Esset enim intolerabile, obligare ministrum ad veram contritionem, & semper rationabiliter dubitabit, an illam habeat: cum hoc certo noscere sit impossibile, alias posset homo sine Dei reuelatione certò scire se esse in gratia. Secundò, ista contritio reputata sat est ad recipiendum Sacramenta viuorum, etiam Eucharistiam, si non sit copia confessoris parocho, qui celebrare tenetur: ergo & sat erit ad Sacramenta ministrandum.

QVÆSTIO PRIMA.

De Baptismo, & eius essentia.

D. Thomas. q. 66.

SVMMARIVM.

Quando Baptismus fuit institutus. n. 1.
Quando cœpit obligare. n. 2.
Quid Baptismus & quæ eius materia. n. 3.
Quæ forma. n. 4.
An trina immersio sit necessaria. n. 5.
An Baptismus possit iterari. n. 6.
Quid sint & quomodo differant Baptismata aquæ, flaminis & sanguinis. n. 7.
Dispositio requisita pro martirio seu Baptismo sanguinis. n. 8.

Nota

NOta 1. Baptiſmum eſſe primum Sacramentorum nouæ legis à Chriſto ante ſuam Paſſionem inſtitutum, Ioan. 1. dum in Iordane baptizaretur, *vt ait D. Th. art.* 2. Nam etſi tunc Baptiſmo Ioannis ſit baptizatus, tamen tunc inſtituit nouum Baptiſma; ſanctificando aquas. Sed ante paſſionem non erat omninò perfectus, cum nec aperiret cœlum, nec haberet completam ſignificationem. Nam licèt ſignificaret Chriſtum, & eius merita præſentia, & præterita actu in eo efficienter operantia, in quo differebat à Sacramentis veteribus, quæ ſignificabant Chriſtum, vt futurum: non vero ſignificabat Chriſti mortem præſentem, & Reſurrectionem: cum iſta nondum eſſent exhibita. Et quia Baptiſmus affecutus eſt iſtam perfectionem poſt Reſurrectionem, ſolet dici à ſanctis, à D. Leone Epiſt. 62. & à Chryſoſt. hom. 28. in Ioan. eſſe inſtitutum poſt Reſurrectionem in illo Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* 1

Not. 2. Quod Baptiſmus, etſi ante Chriſti Paſſionem non ſignificaret eam, vt præſentem, non vero ſignificabat eam vt futuram, ſicut vetera Sacramenta, ita vt hoc eſſet de eius eſſentia, alias differret ſpecie à noſtro Baptiſmo, & ceſſaret mortuo Chriſto: Sed dicebat ordinem ad Paſſionem Chriſti abſtrahendo à præſenti, vel futuro, & ſolum differebat à noſtro Baptiſmo accidentaliter, ſicut puer, & vir. Et habebat virtutem ſanctificandi à Paſsione Chriſti in genere cauſæ efficientis, non à paſsione reali, quæ nondum erat, ſed à Paſsione acceptata. Iam enim erat præſens meritum Paſsionis Chriſti à primo inſtanti incarnationis, cum Chriſtus ingrediens mundum præuidendo mortem dixit illud ad Hebræ 10. *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: tunc dixi, ecce venio.* Ecce quomodò acceptauit mortem. Et ſubdit Paulus, in qua voluntate, ſeu acceptatione ſanctificati ſumus.

Not. 3. Præceptum baptiſmi incœpiſſe ſtatim poſt Chriſti Reſurrectionem, *iuxta D. Th. art.* 2. & non ante. Et patet 1. Nam per Baptiſmum configuramur morti, & Reſurrectioni Chriſti in quantum morimur peccato & incipimus nouam vitam: ergo oportuit Chriſtum priùs pati & reſurgere antequam indiceretur nobis neceſsitas configurandi nos morti, & Reſurrectioni eius. Secundo, Ante Reſurrectionem obligabat circuncisio, & conſequenter lex vetus,

ad

ad quam introducebat; iuxta illud ad Galat. *Testificor omni circumcidenti se, quod debitor est vniuersæ legis faciendæ*: ergo licet tunc Baptismus esset in consilio, cum daret gratiam, non tamen in præcepto, sicut nec lex noua ad quam introducebat. Non enim est credibile, quod duæ leges, vetus, & noua, simul obligarent. Et Christus dicendo in cruce, consummatum est: non loquebatur de lege veteri, quæ adhuc durabat vsque ad resurrectionem, sed de suis laboribus, qui tunc finiebantur. At completa nostra redemptione per Resurrectionem, cuius lex vetus erat figura, statim cessauit lex vetus. Et ne admittatur, quod in aliquo tempore fuit mundus sine lege supernaturali positiua, maximè cum iam erat copiosa redemptio, dic *cum Soto, d.3. q.1. art.2. contra Cano* quod Baptismus cœpit obligare ab instanti Resurrectionis, & etiam lex noua satis per Christum dum viueret promulgata. Et licet vsque ad solemnem promulgationem Euangelij in Pentecoste posset Iudæus ex ignorantia à peccato excusari non seruando legem nouam, sed veterem iam cassam, & per voluntatem legislatoris abrogatam, quod sat est *vt docetur 1. 2. quæst.90. art.4.* non tamen consequeretur remissionem peccati originalis circumcidendò se. Nam Baptismus tunc erat medium necessarium ad salutem, & cessarant alia media legis naturæ, & veteris, sicut cessat vmbra coram sole. Leges enim illæ erant vmbræ legis nouæ.

3 Dub. 1. *Quid sit Baptismus, & eius materia, & forma.*

1. Concl. D. Tho. art. 1. Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum.

2. Concl. Materia proxima Baptismi est ablutio, & remota, est aqua. *Ita ex D. Thom. art 3. & ex Concil. Trid. sess.7. c. 2.* Et patet ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Hæc enim materia est conuenientissima: cum vbique inueniatur pro Sacramento ita necessario. Et nota 1. *ex D. Thom. art.4.* Quod aqua ista debet esse simplex, & elementaris, etsi ex arbore, aut alio corpore, vt glacie resoluta. Imò etsi sit transmutata ex mixtione alicuius non tollentis speciem aquæ, vt lixiuium, & aqua decoctionis carnium. *Ita D. Thom. ad 2. & 4.* Secus, si talis transmutatio tollit speciem aquæ naturalis, vt fit in aqua rosacea. Et tunc saluatur vera aqua quando possumus vti illa ad lotionem, aut alios effectus aquæ, etsi taliter sit turbata quod non congruenter lauet. *Et not. 2. ex D. Thom. artic. 3. ad 5.* quod bene-

benedictio aquæ ante Baptismum non est de necessitate, sed pertinet ad quandam solemnitatem, qua excitatur deuotio fidelium. Nam ex quo Christus tetigit aquas Iordanis sua carne purissima, fecit illas, & alias eiusdem speciei, aptas pro materia Baptismi, & contulit eis vim regenerandi spiritualiter.

4. Conc. D.Tho. art. 5. Forma Baptismi est: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Ita in Concil. Trident. sess. 7. can. 3. & 4.* Et patet ex vsu, & ex illo Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Et nota non omnia verba dictæ formæ esse æquè necessaria. Nam sine ly ego, vt ait D.Tho. ad 1. fit verus Baptismus. *Ita in Concil. Florent. tract. de bapt.* Sed sat est si in verbis explicetur actio baptizandi, & causa præcipuè operans, & subiectum. Et sic, *vt ait Soto, & Nunno,* vere baptizas, sic Baptizet te Christus in nomine Patris, &c. Nam Christus baptizat per ministrum. Et idem ait *Soto, d. 3. quæst. 1. art. 5.* de absolutione. At si in verbis non explicetur actio baptizandi actiuè, aut passiuè, non erit Baptismus, *vt ait D.Thom. ad 2. ex cap. si quis presbyter, de baptism.* Nam ablutio aquæ est indifferens: ergo debet determinari per verba formæ. Item in forma Baptismi est necessariò explicandus baptizatus, dicendo: baptizo te, aut Petrum. Nec sat est dicere, baptizo hominem. Et sic in Concil. Florent. pro forma Græcorum dicitur sic; *Baptizetur seruus Christi Petrus in nomine Patris, &c.* Item debet explicari Trinitas personarum. *Ita in Can. 49. Apostolorum, & cap. si quis Presbyter citat.* Nam Baptismus est Sacramentum fidei, & prima fidei professio. Sed fundamentum fidei est confessio Trinitatis: ergo. Et nota quod Baptismus in nominibus Patris, &c. aut in nomine Patris, & in nomine Filij, &c. ly nomen sumpto personaliter, & determinando ad singula, non valet. Nam in nomine Patris, idem est ac in virtute, in fide, in auctoritate Patris. Sed in diuinis est vna sola virtus, fides, & auctoritas Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ergo illa forma vbi importatur triplex virtus, &c. est falsa, & nulla. Item probabilius est, *contra Caietan.* esse nullum Baptismum in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis. *Ita ex D.Tho. artic. 5. ad 7.* Nam genitor, genitus, & procedens non significant quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ex vi suæ significationis: quia non sunt synonima; cum importent formas diuersorum prædicamentorum: etsi alias sint termini

con-

conuertibiles. Et idem est de Baptismo in nomine Christi vncti à Deo, & in nomine eius à quo est vnctus, & in nomine eius quo est vnctus.

5 Dub. 2. *An trina immersio sit necessaria in Baptismo.*

1. Concl. D. Tho. art. 8. Negatiua diffinita in Conc. Tol. 4. vbi iubetur Baptismus sub vna immersione. Imò ex communi vsu, *vt ait D. Tho. art. 7.* approbatur baptismus sine immersione per solam aspersionem, aut effusionem. Nam Baptismus est ablutio, sed hæc saluatur in aspersione, aut effusione: ergo. *Et nota* quod in Baptismo per aspersionem non sat est contractus minimæ aquæ, sed requiritur contractus aquæ sufficientis ad veram ablutionem, vt sic saluetur veritas formæ. Nec est idem de minimo pane, qui sat est ad Eucharistiam, eo quod panis est proxima materia Eucharistiæ, & sic vbi saluatur substantia panis; saluatur vera consecratio. At proxima materia Baptismi non est aqua nisi in vsu ablutionis, & sic requiritur aqua sufficiens pro ablutione veræ partis corporis, non minimæ, sed alicuius ex præcipuis, v. g. capitis, &c. vt sic verificetur hominem ablui. Ex quo patet contra Cano, non sat esse aspergere vestes. Nam sic non homo, sed vestis abluitur. Nec sat est, contra Soto, aspergere capillos; cum sint partes imperfectissimæ, à quibus, sicut nec à digi[illegible] homo ablutus, non dicitur simpliciter ablutus.

2. Conclusio D. Thom. art. 8. In primitiua Ecclesia erat præceptum baptizandi sub trina immersione, quo significabatur tridum sepulturæ Christi: sed iam hoc præceptum non durat in tota Ecclesia: *vt patet ex Concil. Tol. 4.* Sed quiuis tenetur saltem sub peccato v. & secluso scandalo seruare morem suæ patriæ. *Et nota 1.* quod si baptizando sub trina immersione intendis eam, sicut intendit eam Ecclesia, quæ intentio regulariter præsumatur dum non constat oppositum, etsi omittas tertiam immersionem, veræ baptizas, si alias protulisti verba formæ. Nam ex intentione Ecclesiæ, non requiritur trina immersio, vt necessaria, sed solum vera ablutio, quæ in prima immersione saluatur, & aliæ duæ sunt partes accidentales Sacramenti. At si intendis tertiam immersionem taliter, quod non vis baptizare sine illa, quæ intentio erit sacrilega, si obliuione, aut aliter omittis illam, non baptizas. Nam Sacramenta perficiuntur secundum intentionem ministri. *Nota 2.* quod si intendens alterum occidere, & baptizare proijcis in puteum, vere baptizas. Nam

ibi

ibi est vera materia, forma, & intentio ministri: nec intentio occidendi annullat Sacramentum. Secus si ex tuis manibus decidit. Quia tunc non baptizas eum tu.

3. Concl. Inter materiam, & formam Sacramentorum requiritur simultas, non metaphysica, sed moralis ad arbitrium prudentum, & iuxta cuiusuis Sacramenti naturam. Nam maior simultas requiritur in vno, quam in alio Sacramento. In Pœnitentia enim saluatur simultas moralis, si audita alicuius confessione differatur absolutio per aliquot dies. Sed in Baptismo cum ablutione ante, aut post, statim proferatur forma.

Dub 3. *An Baptismus sit iterabilis*.

1. Conclus. *D Tho art* 9. Negatiua diffinita in Conc. III. Cart. Florent. & Trid. sess. 7. can. 9. Tum quia Baptismus est regeneratio spiritualis, iuxta id Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* sed vnius non est nisi vna generatio temporalis: ergo & vna regeneratio. Tum etiam, nam per Baptismum configuramur morti, & sepulturæ Christi, sed Christus semel mortuus est: ergo. 6

2. Concl. *D. Tho. ad* 4. *ex cap. de quibus, de Baptism.* In dubio probabili de sufficientia materiæ iteretur Baptismus sub conditione cum materia certa, Aliàs sequitur damnum baptizato dimisso cum dubio Sacramento, ita maximè necessario. At si dubium sit facti, v.g. an quis sit baptizatus; examinetur diligentius, & si duret dubium arbitrio prudentum, Baptismus iteretur sub conditione. Imo in cap. placuit 1. d. 4. de consec. dicitur, quod si non adsint certissimi testes pro Baptismo paruulorum, baptizentur absque scrupulo. Sed si sit moraliter certum esse baptizatum, etsi alias sit scrupulus, non baptizetur, vt si fide dignus ait esse baptizatum, aut expositus sit alicubi cum schedula dicente esse baptizatum. Imo & sine schedula expositus, si sit alicuius ætatis, vt vnius mensis, & inter Christianos. Nisi alias Christiani sint mixti Mauritanis, de quorum fide est vehemens suspicio. Tunc si probabiliter timetur puerum illum ex illis esse, baptizetur sub conditione.

Dub. 4. *An sint tria Baptismata, aqua, flaminis, & sanguinis*.

1. Conclusio. *D. Thom. artic.* 11. Affirmatiua. Et sermo est de martyrio, & contritione antecedentibus Baptismum aquæ, in quibus saltem implicite includitur votum baptismi aquæ, in cuius virtute martyrium, & contritio remittunt actuale & originale peccatum. At martyrium, 7

 & con-

& contritio sequentia Baptismum aquæ, non dicuntur Baptismus propriè: cum non remittant originale peccatum; & si imperfectè baptisma dicantur Act. 1. vbi Apostolis iam baptizatis dicitur; *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, &c.*

2. Concl. Solus Baptismus aquæ dicitur simpliciter baptismus, alius analogicè in ordine ad Baptismum aquæ. Et erit proximum errori dicere martyrium esse Sacramentum, cum in Conc. Trid. sess. 7. can. 1. anathematizentur ponentes plura, aut pauciora, quàm septem Sacramenta. Nec valet dicere martyrium reduci ad Baptismum: nam etsi conueniant in effectu, sed non in materia, aut forma, in quo stat essentia Sacramentorum. *Vide D. Thom ad* 2.

3. Conclusio. *D. Thom. art* 12. Baptismus sanguinis præstat in effectu Baptismo aquæ & flaminis, & iste præstat Baptismo aquæ: cum in martyrio detur copiosior gratia, deinde in Baptismo flaminis. Sed in esse Baptismi, & Sacramenti, ait *D. Thomas ad* 1. præstat omnibus Baptismus aquæ, & in ordine ad istum alij dicuntur Baptismi, & remittunt peccatum originale.

8 4. Conclus. Si adultus non baptizatus, aut existens in peccato mortal. rapitur ad martyrium, tenetur prius baptizari, aut confiteri, si est baptizatus & habet confessorem. Et si non habet illum, nec alicuius peccati recordetur, iustificatur per actum dilectionis Dei super omnia, vbi virtualiter includitur votum implicitum pœnitentiæ, vt dicemus infrà de contrit. dub. 1. Et si recordetur peccati mortalis, tenetur habere saltem attritionem, & martyrium superueniens causat gratiam, & remittit totam pœnam, non virtute propria, & ex opere operato: Ita *Soto d. 13. qu. 1. art. 11. & Ludou. Lop. tom. 2. capitul. 62. contra Maior.* cum hoc sit proprium Sacramentorum; sed hæc causantur à Deo ad præsentiam martyrij, sicut olim ad præsentiam circumcisionis, ex priuilegio concesso martyrio, & non alijs actibus virtutum. Nec etiam desiderio intensissimo martyrij, ob realem assimilationem ad mortem Christi repertam in solo opere externo mortis martyris. Et hoc priuilegium colligitur maximè ex illo Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Secundò, in pueris incircumcisis, aut non baptizatis martyrium causat gratiam, etsi sint in peccato: ergo & in adultis non ponentibus obicem. Quem tamen non ponit qui habet displicentiam

tiam peccati, sed qui actu inhæret peccato, de quo intellige illud 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ita intellige *D. Thom. ad* 2. vbi videtur dicere, requiri charitatem. Ita enim verum est, quod qui accedit cum attritione hic per charitatem intellecta: quando accipit vulnus mortale, recipit charitatem & gratiam. Et sic *ait D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1. ad* 2. Si quis dormiens occidatur pro Christo, martyrium hoc purgat ab omni peccato veniali, & mortali, si non inuenit voluntatem actualiter peccato inhærentem.

QVÆSTIO SECVNDA

De ministro Baptismi.

D. Thom. qu. 67.

SVMMARIVM.

Minister Baptismi solemnitatis, est sacerdos; necessitatis, quilibet, num. 1.
Quinam peccent baptizando n. 2.
An plures simul possint baptizare. n. 3.
An in baptismo adhibendus sit patrinus. n. 4.

DVB. 1. *Quis sit minister Baptismi.*

1. Concl. *D. Tho. art.* 2. Solus Sacerdos est minister ex officio Baptismi. Ita *in Conc. Flor.* Nam soli Sacerdotes consecrantur ad conficiendum Eucharistiam, quæ est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, ergo ad solum Sacerdotem attinet conferre Baptismum, quo homo fit particeps Ecclesiasticæ vnitatis, & acquirit ius accedendi ad mensam Domini. Et intelligitur conclusio, & eius ratio stando in iure diuino. Nam stando in iure Ecclesiastico soli parocho conuenit ex officio baptizare, & alijs Sacerdotibus ex commissione vt patet in Clem. 1. de priuileg. Imò & Diacono potest committi à parocho, vt baptizet etiam cum solemnitate: *vt patet cap. Diaconos d. 93.* 1

2. Conclus. *D. Thom. art.* 3. 4. *&* 5. Laicus etiam non baptizatus, & fœmina, potest in necessitate baptizare. Ita in

Conc.

Concil. Flor. Nam cum inter omnia Sacramenta Baptismus sit maximè necessarius, voluit Deus, quod eius materia, forma, & minister essent communes vt de facili inuenirentur.

3. Conclu. Volente parocho baptizare, peccat mort. quiuis alius baptizando. Nam in cap placuit 16. q. 1. dicitur hoc esse ministerium solius parochi: ergo alter, renuente parocho volente baptizare, vsurpat eius officium in re graui. Item peccat mort. non Sacerdos baptizando in præsentia Sacerdotis volentis baptizare. Et non Diaconus in præsentia Diaconi; cum Diaconus ex vi suæ ordinationis possit ex commissione solemniter baptizare. Item peccat mortaliter infidelis, aut excommunicatus baptizando præsente fideli, aut non excommunicato sciente & volente baptizare. Nam illi non possunt baptizare nisi in necessitate: sed quando adest commodior minister, non adest necessitas, ergo. Sed inter alios ministros, vtpote virum, & fœminam solum erit peccatum ven. non seruare ordinem. Et eo peccato, quo peccant ministri in dictis casibus, peccant iuuantes, & baptizandi adulti.

3 3. Concl. Peccat mort. Sacerdos baptizando extra necessitatem sine solemnitate, ob irreuerentiam factam Sacramento; sicut & peccat mort. laicus baptizando cum solemnitate, & fit irregularis, vt dicemus tract. de irregul.

Dub. 2. *An plures simul possint vnum baptizare.*

1. Concl. *D. Tho. art. 6.* Si plures vnum baptizant cum ista forma, nos te baptizamus, nil faciunt. Et non est sermo quando do ly nos sumitur in vi numeri singularis, vt solet accipi ob dignitatem baptizantis, vt si Episcopus dicit, nos te baptizamus, sic enim verus fit Baptismus. Sermo est quando ly nos sumitur pluraliter. Et tunc adhuc dupliciter. 1. Ita vt quiuis baptizans ponendo integram materiam, & formam intendat exercere totaliter suum ministerium, sine dependentia ab altero simul baptizante: & sic pluralis æquiualet singulari plurificato: & idem est ac dicere, ego te baptizo, & iste te baptizat. Et tunc baptizans vere baptizat. *Ita communiter*. At si sic baptizans intendit concurrere partialiter, non fit baptismus. *Et sic loquitur D. Thom. & communiter, contra Durandum, & Caiet.* Nam tunc non saluatur vera intentio ministri quæ debet esse iuxta intentionem Christi: cuius intentio est vt habet communis vsus Ecclesiæ, vt quiuis minister ponendo veram materiam, & formam, concurrat totaliter, & non partialiter, & dependenter ab alio.

2. Conclus.

2. Concluſ. D.Tho art.6. ad 3. Si vnus miniſter abluit, & alter dicit verba formæ, non fit Baptiſmus, *contra Caiet.* quia non verificatur forma: cum verè non baptizet, qui dicit ſola verba.

Dub. 3. *An ad Baptiſmum requiratur patrinus.* 4

1. Concl. D.Th.art.7 Patrinus ſolum eſt de neceſſitate præcepti & habetur ex traditione Apoſtolorum, ait D.c.7. de cœleſt. Hierar. Et ad hoc eſt neceſſarius, vt baptizatum inſtruat in fide: ad quod tenetur, etſi excuſetur quando præſumitur probabiliter, quod alia via ſatis inſtruitur. Ita *D. Tho art.8.*

2. Concl. Patrinus debet eſset ſatis in fide inſtructus. Et non ſit monachus, aut Abbas; & eadem ratione nec monialis. Ita *cap. peruenit,* 18. *q.* 2. Et oppoſitum facere, *ait Soto,* eſt peccatum mort. De cognatione per Baptiſmnm contracta dicemus q.4. de Matrim. dub. 12.

QVÆSTIO TERTIA.

De ſuſcipientibus Baptiſmum.

D. Thom. q. 68.

SVMMARIVM.

DVB. 1. *An poſſit quis ſaluari ſine Baptiſmo.* 1

1. Conc. D. Th.art 1. Negatiua, diffinita in Con. Trid. ſeſs.7. cano.5. Et patet ex illo Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Secundo non poteſt homo ſaluari niſi Christo incor-

poretur,& fiat particeps meritorum illius, vt diffinitur Concil. Trid sess 4 can.5. Sed ista incorporatio fit per Baptismum, iuxta illud ad Gala. 3 *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*: Ergo,&c. & loquitur conclusio de Baptismo in re, vel in voto, *vt ait D.Tho art.2.*

2 Conclusio. Ex *D Tho.art.2.* Baptismus aquæ in re susceptus est necessarius per se loquendo adultis ad gratiam & gloriam, vt patet. Sed per accidens quando non adest copia Baptismi aquæ, sat est votum, seu desiderium illius. Ita diffinitur in Conc. Trid. sess.6. cap.4. vbi dicitur: *translatio peccati ad statum gratiæ fit per Baptismum in re, vel voto*. Secundò; Cornelius ante Baptismum, per votum,& desiderium eius, dicitur iustus, Act.10. Tertiò, Alias adultus, vel esset extra statum salutis quando non est qui illum baptizet, aut obligaretur ad impossibile. Et nota, quod qui habet notitiam Baptismi, & non habet copiam illius, tenetur ex præcepto diuino habere votum, & desiderium eius explicitum, vt iustificetur. Sed si inuincibiliter ignoret Baptismum, iustificabitur cum voto, seu desiderio eius implicito, incluso in proposito explicito vitandi peccata, & implendi præcepta Dei cum detestatione & dolore peccatorum.

3. Conclusio. Ex *D.Tho.art.1.* Adulti tenentur ad Baptismum ex iure diuino, Matth.28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*. Vbi ponitur præceptum ministris baptizandi & consequenter alijs, vt baptizentur. Secundò, omne medium necessarium ad salutem existens in nostra facultate est nobis in præcepto diuino, sed tale est baptismus, vt constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c* ergo. Et sic Innoc. cap. maiores, de Baptism. ait Sicut ex illo Genes. 17. *Anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur de populo suo:* colligitur præceptum circumcisionis: sic ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* colligitur præceptum Baptismi. Ex dictis patet pueros ante vsum rationis cum non possint habere votum baptismi, non posse saluari sine Baptismo aquæ; aut martyrio. Nam ex quo Christus resurrexit, non habent aliud remedium. Nec derogat Dei prouidentiæ, quod aliqui pueri moriantur sine Baptismo. Nam ad eius prouidentiam spectat prouidere de communi remedio, etsi per accidens non applicetur alicui.

2 Dub. 2. *An Baptismus sit differendus*.

1. Conclusio. *D.Thom. art. 3.* Baptismus puerorum cum non

non sint in fide instruendi, non differatur vltra morem patriæ. Et erit peccatum mort. illum diu differre sine causa rationabili: cum toto illo tempore sint ab Ecclesia separati, inimici Dei, & subiecti infestationibus dæmonum.

2. Concl. D.Thom. ibi. Adulto, secluso periculo mortis, differatur Baptismus, quousque instruatur in fide, & moribus Ecclesiæ. 3

Dub 3. *An adulti peccatores sint baptizandi.*

1. Concl. D.Tho. art. 4. Existentes in peccato habitualiter sunt baptizandi. Nam Baptismus est institutus ad abluendum sordes peccatorum, iuxta illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aqua.*

2. Concl.D.Thom. ibi. Existentes actu in peccato non sunt baptizandi. Hæc est de fide contra hæreticos asserentes solam fidem sat esse ad Baptismum. Per Baptismum incorporamur Christo, iuxta illud ad Gal. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* Sed dum homo habet voluntatem affectam peccato, non potest Christo vniri, iuxta illud 2. Corinth. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?* Ergo. Si tamen iste baptizetur, peccat mort. nec ei remittitur peccatum orig. nec alia peccata; etsi recepit verum Sacramentum, & imperfectè incorporatur Christo per characterem, & professionem fidei informis, & implet præceptum Baptismi quantum ad substantiam, nec est iterum baptizandus. Si arguas, Cum actuali affectu ad peccatum non recipitur sacramentum Pœnitentiæ, ergo nec Baptismus; Ad hoc dico, quod non est idem. Nam pœnitentia componitur ex dolore pœnitentis, vt ex materia, & sic isto dolore non stante, non stat Sacramentum Pœnitentiæ. Secus est de Baptismo, & alijs Sacramentis.

Dub. 4. *An peccatores ante Baptismum confiteri teneantur.* 4

1. Concl. D. Thom. art. 6. Confessio interna, qua homo coram Deo recogitat peccata, & dolet de eis, est necessaria ad Baptismum. De ista enim dicitur Actor. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Nam non potest homo inchoare nouam vitam, nisi eum pœniteat veteris vitæ, iuxta August. lib. de pœnit. cap. 2.

2. Conclus. Confessio Sacramentalis non est necessaria ante Baptismum. Ita Diu. Thomas ibi. Nam omnia Sacramenta supponunt Baptismum, vt ianuam ad illa. Si arguas;

quòd Matth.3.Baptizati à Ioanne confitebantur peccata sua; Ad hoc dico, Baptismum Ioannis non remittere peccata, sed erat Baptismus pœnitentiæ. Et sic ad illum venientes conuenienter confitebantur peccata, vt iuxta eorum qualitatem pœnitentia eis taxaretur.

5 Dub.5. *An in adulto baptizando requiratur intentio recipiendi Baptismum.*

1. Conclus. D. Thomæ artic.7. Adultus simpliciter inuitus non recipit Baptismum. Ita *in Conc.Tole.4 cap.55.* Nam nullus inuitus cogendus est ad fidem, & professionem legis Christi.

2. Conclus. *D. Tho. art.7. ad 1. & 2.* Non sat est non repugnantia, vt Caietan. ait, sed requiritur positiua intentio suscipiendi Baptismum. Ita *communiter*. Nam nullus adultus iustificatur nisi volens, iuxta illud August. ser.15. de ver. Apost. *Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.* Sed adultus non est volens sine intentione positiua præsente, aut præcedente. Sat est enim intentio virtualis, vtpotè cum quis habuit intentionem actualem Baptismi, etsi postea quando baptizatur, diuertat se ad alia, aut sit dormiens, aut amens. Ita *cap. maiores de Baptismo.* Et ista intentio positiua, etsi metu extorta, sat est ad Baptismum, vt ibi dicitur, nam est simpliciter voluntaria, etsi inuoluntario mixta, vt dicitur 1.2.q.6.art.8.

6 Dub.6. *An fides requiratur ad Baptismum.*

1. Conclus. D.Thom. art.8. Ad effectum Baptismi qui est gratia, est necessaria recta fides, iuxta illud ad Roman. 2. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi.* Et Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Vbi fides & Baptismus requiruntur ad salutem.

2. Conclusio. D.Thom. ibi. Vt Baptismus valeat, & imprimat characterem, non requiritur recta fides, nec circa Baptismum, nec circa alios articulos fidei; sed sat est intentio recipiendi Baptismum, sicut Christus instituit, & Ecclesia tradit. Et si quæritur à baptizando, si credit in Deum Patrem, &c. & si abrenuntiat satanæ, ideo fit, vt assequatur effectum gratiæ per Baptismum, & tollatur peccatum.

Dub.7. *An pueri sint baptizandi vt saluentur.*

1. Conclu. D.Thom. art.9. Affirmatiua, diffinita in Conc. Trid. sess. 7. can. 13. Nam non habent aliud remedium nisi Baptismum. Et sic ex iure diuino sunt baptizandi, maximè si sint morti proximi.

2. Concl.

2. Conclusio. Pueri baptizati ex voluntate parentum aut tutorum, quorum voluntas tunc reputatur voluntas pueri, aut quia parentes, vtpotè fideles, coguntur illos baptizare quando venerint ad vsum rationis: cum iam per Baptismum pertineant ad Ecclesiam, sunt ab ea compellendi ad fidem. Ita diffinitur contra Eras. in Concil. Trid. sess. 7. cap. 14. Secus si tunc non sunt baptizati, etsi sint filij baptizatorum. Imò nec possunt tunc cogi ad Baptismum. Ita *communiter contra Soto*. Nam fides & religio Christiana debent esse omnino voluntariæ, sed istis non sunt voluntariæ voluntate propria, vt patet, nec voluntate aliena. Quia dum quis est capax voluntatis propriæ, voluntas aliena non facit eum voluntarium, etiam interpretatiuè; cum iam sit sui iuris.

Dub. 8. *An pueri infidelium, vtpote non baptizatorum, sint baptizandi inuitis parentibus. Nam filij hæreticorum possunt extrahi ab istorum cura, & baptizari.* 7

1. Conclusio. D. Thomæ artic. 10. Si isti habent vsum rationis, & volunt Baptismum: cum iam sint sui iuris, baptizentur, etiam parentibus inuitis; nisi alias sint à parentibus educandi. Nam ob periculum apostatandi non baptizentur tunc, nisi sint morti proximi, aut certum sit, quod perseuerabunt.

2. Concl. D. Thom. ibi. Pueri infidelium, etiam subditorum Christianis, non possunt baptizari parentibus, aut tutoribus inuitis. Nam de iure naturæ filij ante vsum rationis sunt sub cura parentum, vel tutorum, nec hoc ius tollitur per subiectionem ad Christianos; cum ista subiectio sit de iure gentium. Si arguas; Pater ex iure naturæ habet potestatem educandi filium in ordine ad bonum filij: ergo si abutatur ista potestate in malum filij, potest impediri: Ad hoc dico, quod pater potest impediri cum abutitur ista potestate in ordine ad finem naturalem, male instituendo filium in ordine ad istum finem. Secus si illa potestate abutatur in ordine ad finem supernaturalem. Nam quæ pertinent ad istum finem, suauiter & sine coactione sunt instituenda.

3. Concluf. Baptizare licet istos pueros semel extractos, etiam iniustè, à parentum cura; si alias non speretur eos redituros ad parentes. Cum iam tunc censeantur carere parentibus, & sic eorum cura deuoluitur ad Remp. vbi morantur, & voluntas Reip. est tunc eorum voluntas.

4. Concluf. Si alter parens fidelis, etiam mater consentit in

Baptiſmum filij, baptizetur altero inuito, niſi alias filius debeat manere ſub parente infideli. Nam ad quemuis parentum ſpectat filij educario: ergo in cauſa æquali ſtandum eſt voluntari vnius eorum, quando illa eſt fauorabilior filio.

9 Dub. 9. *An puer in vtero matris, ſit baptizandus.*

1. Concluſio. Diu. Thomæ artic. 11. Negatiua. Nam antequam puer naſcatur, non poteſt ablui: ablutio enim qua mater abluitur, non peruenit ad filium, cum ſint diſtincta corpora.

2. Concluſio. Diu. Thomæ ad 4. In periculo mortis baptizetur puer, ſi oſtendit caput, imo & manum, pedem, aut aliam partem. Et ſi poſtea perfectè naſcitur, & ſit baptizatus in capite, non baptizetur iterum. Nam cum in capite vigeant omnes ſenſus, baptiſmus in capite abſque dubio valet. At ſi ſit baptizatus in alia parte, baptizetur iterum ſub conditione.

10 Dub. 10. *An amentes ſint baptizandi.*

1. Concluſio. Diu. Thomæ artic. 10. Affirmatiua de eo, qui numquam habuit vſum rationis: cum idem ſit de iſto, ac de puero.

2. Concluſio. Diu. Thomæ ibi. Qui poſt vſum rationis incidit in amentiam, baptizetur ſi antea voluit Baptiſmum, alias non. Nam in adultis eſt neceſſaria voluntas poſitiua, vt dixi dub. 5. ſaltem virtualis, Baptiſmi. Imò vltrahoc in vltimo inſtanti vſus rationis debet habere dolorem de peccatis, iuxta dicta dub. 4. alias erit peccatum mortal. illum baptizare. Et idem eſt, ait Diu. Thomas de habente lucida interualla, qui ſi inſtet mors, & habuit voluntatem Baptiſmi, & dolorem, baptizetur in amentia. At ſi non inſtet mors, ex ſpectetur vſus rationis vt reuerenter ſuſcipiat Baptiſmum.

3. Concluſ. D. Thom. ibi. Maniaci, qui ſcilicet habent ſufficientem vſum rationis ad iudicandum de ſua ſalute, & ſciunt virtutem Baptiſmi, etſi circa alia careant vſu rationis, poſſunt baptizari, ſi volunt Baptiſmum.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De effectibus Baptiſmi.

D. Thomas quæſt. 69.

SVMMARIVM.

An Baptiſmus tollat omnia peccata, num. 1.
An liberet ab omni pœna, & pœnalitate, num. 2.
An fictio impediat effectum Baptiſmi, num. 3.
An attritio ſufficiat ad effectum Baptiſmi, num. 4.
An Baptiſmus fictè ſuſceptus recedente fictione ſortiatur ſuum effectum, num. 5.
Quæ præmittenda ante Baptiſmum ex præſcripto Eccleſiæ, & eorum ſignificatio, num. 6.

DVB. 1. *An per Baptiſmum tollantur omnia peccata.* 1
1. Concluſio. *D. Thom. art.* 1. Affirmatiua, diffinita in Conc. Flor. & Trid. *ſeſſ.* 5. & 7. Nam Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, & renouationis: vt dicitur ad Tit. 3. ſed per regenerationem repellitur forma contraria: ergo.

2. Concluſio. Etſi peccata ſint per contritionem ante Baptiſmum dimiſſa, verè tamen dimittuntur poſteà per Baptiſmum. Nam poſtquam Baptiſmus cœpit obligare, non dimittuntur peccata ante Baptiſmum commiſſa, niſi per illum, aut in ordine ad illum: ſed in contritione antecedente Baptiſmum includitur votum, & virtus Baptiſmi: ergo verè dimittuntur per Baptiſmum; ſicut peccata antiquorum dicuntur dimiſſa per Paſſionem Chriſti, & Paſſio Chriſti poſtea in re habita verè liberauit eos à peccatis, nam in ordine ad eam ſunt dimiſſa. Ita *D. Thom. ad* 2.

3. Concluſio. *D. Thom. art.* 4. Per Baptiſmum dantur gratia, & virtutes. Patet ex dictis. Et etiam prob. nam per Baptiſmum efficimur membra Chriſti: ergo ſicut à capite naturali deriuantur in membra ſenſus, & motus, ſic à capite Chriſto deriuantur in ſua membra ſenſus, & motus ſpirituales, vtpotè gratia, & virtutes, iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

Dub. 2. *An Baptiſmus liberet ab omni pœna, & pœnalitate.* 2

1. Conclusio D. *Thomæ art.* 2. Baptismus liberat ab omni pœna peccati. Ita diffinitur *in Concil. Trid sess. 6. cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 4. vbi datur differentia inter Baptismum, & Pœnitentiam, in hoc quod Baptismus ex se remittit totam pœnam, non sic Pœnitentia. Et desumitur ratio differentiæ ex voluntate Christi, quam semper ita intellexit Ecclesia. Et ratio D. Thomæ est congruentissima, vtpotè, quia Baptismus est quædam regeneratio, cuius tota vis non est referenda in actus nostros, sed in regenerantem Christum. At alia Sacramenta operantur medijs nostris actibus, & sic etsi conferant copiosiorem gratiam, & ex alijs excedant Baptismum: non verò remittunt regulariter totam pœnam; nam homo regulariter non disponitur ad totam remissionem eius.

2. Conclusio. *D. Thomæ art.* 3. Per Baptismum tolluntur huius vitæ pœnalitates, non in hac vita, sed in gloria. Nam per Baptismum efficimur membra Christi, sed Christus, etsi ab instanti suæ conceptionis fuit plenus gratia, habuit tamen corpus passibile, & per mortem est ad vitam gloriæ suscitatus: ergo, vt seruetur proportio inter caput, & membra, licèt baptizatus assequatur gratiam, debet habere corpus passibile, in quo pro Christo patiatur, & suscitetur per mortem ad impassibilem vitam.

3. Conclusio. *D. Thomæ art.* 7. Per Baptismum aperitur nobis cœlum: cùm per eum tollatur impedimentum ingressus cœli, vtpotè culpa, & pœna. Et licet apertio cœli tribuatur Passioni Christi, tribuitur etiam Sacramentis, cùm contineant virtutem Passionis Christi. Et licet per omnia Sacramenta applicetur nobis Passio Christi; at quantum ad tollendum impedimentum ingressus cœli, perfectiùs operatur Passio Christi per Baptismum, cùm remittat totam pœnam.

3 Dub. 3. *An fictio impediat effectum Baptismi.*

1. Conclusio. *D. Thom. art.* 6. Affirmatiua. Nam fictio est non conformatio animi interni cum opere externo, sed sic baptizatus non recepit effectum Baptismi. Nam si baptizetur sine animo recipiendi Baptismum, nec recipit gratiam, nec characterem, vt dixi supra. Et si vult baptizari, sed actu inhæret peccato, aut non habet attritionem, etsi recipiat characterem, & Baptismum, sed non recipit gratiam, nec remissionem culpæ, etiam originalis, contra Gabr. cùm vnum peccatum non remittatur sine alio, & ad vtriusque remissionem requiratur infusio gratiæ, ergo.

2. Con-

2. Concl. Ad recipiendum Baptiſmum, & eius effectus ſat eſt attritio, quæ cum Baptiſmo facit contritum. *Ita communiter*. Nam Baptiſmus ex ſe habet regenerare, iuxta illud ad Tit. 4. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*: ergo ex ſua ratione confert gratiam non habenti eam. Et nota non ſat eſſe ad Baptiſmum attritionem naturalem habitam ex viribus naturæ, & ex motiuo naturali, ſcilicet ex metu pœnæ temporalis, ex turpitudine peccati, ex affectu ad bonum rationis, aut ex amore Dei auctoris naturæ, *contra Soto.d 6.q.1.ar. 7. & Cano.relect.de pœnit. vult.* Nec ſat eſt dicta attritio naturalis iuncta actui fidei, & propoſito & deſiderio recipiendi Baptiſmum, *contra Ledeſ c.10.de Bap.* Sed requiritur attritio ſupernaturalis habita ex ſpeciali auxilio Dei, & motiuo ſupernaturali. *Ita Nunno hic dub. 4. & communiter Theologi, maximè Thomiſta*. Nam nullus actus naturalis eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam; cum forma & diſpoſitiones debeant eſſe eiuſdem ordinis: ſed gratia eſt ordinis ſupernaturalis, ergo. 2. In Conc. Trid. ſeſs. 14. c. 4. inter diſpoſitiones ad iuſtificationem ponitur attritio, quæ eſt donum Spiritus ſancti; & eſt ibi ſermo de iuſtificatione, quæ fit etiam per Sacramenta. 5

Dub. 4. *An Baptiſmus ablato impedimento tollente, non Baptiſmum, ſed gratiam, aſſequatur ſuum effectum.*

1. Concl. D. Th. ar. 10. Baptiſmus præcedens ablato dicto impedimento, remittit omnia peccata, quæ remitteret ſi ſine fictione actu reciperetur, vtpotè omnia peccata antecedentia, & comitantia Baptiſmum. *Ita communiter*, Nam in lege gratiæ nullum peccatum dimittitur niſi in ordine ad aliquod Sacramentum; ſed peccata antecedentia & comitantia Baptiſmum non dimittuntur per ordinem ad Sacramentum Pœnitentiæ: cum nec pertineant ad claues Eccleſiæ, nec ſint poſt Baptiſmum confitenda: ergo dimittuntur per Baptiſmum tunc phyſicè operantem; cum tunc ſit præſens in ſua virtute, vtpotè, in caractere.

2. Concl. Fictio poſt Baptiſmum continuata, vt cum quis baptizatur cum complacentia peccati mort. tollitur non per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam: cum ſit peccatum hominis baptizati peertinens ad claues Eccleſiæ. Et de hac fictione loquitur D. Thom.. ad 2. & iuxta ſolutionem ad 3. Secùs ſit de fictione ſolùm comitante Baptiſmum, vt cum quis baptizatur ſine perfecta attritione. *Ita Palud. in 4. d. quaſt. 5. Silueſter ver. Baptiſmus, 4. Ledeſma cap. 11. de Bap.*

Nam

DVB. 1. *An confirmatio sit Sacramentum.*

1. Concl. D. Th. art. 1. Affirmatiua, diffinita in Conc. Flor. & Trid. sess. 7. cap. 1. Nam sicut in naturalibus, præter generationem qua acquiritur vita, est augmentatio qua homo perducitur in ætatem perfectam, sic in spiritualibus, præter regenerationem Baptismi qua accipit homo vitam spiritualem, ponitur Confirmatio, qua gratia, seu vita spiritualis per Baptismum collata augeatur & roboretur: vt sic fiat homo fortis ad bellum spirituale. 1

2. Conclus. D. Tho. ad 1. Confirmatio est à Christo instituta, vt diffinitur in Conc. cit. Et vt ait Fabianus Papa, ex traditione Apostolorum constat esse in cœna institutam. Et patet ex vsu Ecclesiæ consecrantis tunc eius materiam; & si eius effectus promissus sit datus Apostolis in Pentecoste. in illo Ioan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; & si abiero, mittam eum ad vos.* Tunc enim Apostoli acceperunt spirituale robur ad confitendum fidem. Et hæc confessio est specialis effectus Confirmationis.

Dub. 2. *Quæ sit Materia Confirmationis.*

1. Conclusio D. Tho. ar. 2. Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, est materia Confirmationis. Ita in Concil. Flo. Nam materia Confirmationis debet proportionari eius formæ, vt sic saluetur veritas eius, sed in forma explicatur vsus Chrismatis, cum dicitur. *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, &c.* Ergo. Ex dictis patet, mixtionem balsami esse de necessitate istius Sacramenti Et c. litteris de consec. d. 3. refertur ex Faui. Christum ita confecisse Chrisma. Et Dion. capit. 4 Eccles. Hierat. ait Apostolos docuisse, & confecisse Chrisma sic. At quia opposita sententia Soto, Caieta. Victo. hic. & Nau. in man c. 22. dicentium balsamum solum esse de præcepto Ecclesiastico, est probabilis, ideo si hoc Sacramentum aliquando ministretur cum oleo simplici, non iteretur absolutè, vt dicitur. c. 1. de Sacra. non iter. sed sub conditione cum materia indubitata. 2

2. Concl. D. Th. art. 3. Chrisma necessario debet consecrari: cum ex vsu Christi non sit sanctificatum; sicut materia baptismi, & Eucharistiæ. Patet ex Conc. Floren. & ex vsu Ecclesiæ, quotannis illud sic conficientis, & vetus comburentis ex traditione Apostolorum, *vt refertur in dicto c. ex litteris.* 3

3. Cnocl.

3. Concl. Simplici Sacerdoti poteſt committi conſecratio Chriſmatis. *Ita Caiet. & Paul.* Et de facto Vrban. I. bul. 1. in compen. Man. Rod. id conceſſit Abbati Cœnobij Cauenſis, ſed alijs videtur oppoſitum probabilius. Nam in Conc. Flor. decernitur materiam confirmationis eſſe Chriſma ab Epiſcopo conſecratum, nulla facta mentione ſimplicis Sacerdotis, quam feciſſet, ſi hoc poſset ei committi: ſicut fecit mentionem eius in ordine ad miniſtrandum hoc Sacramentum ex commiſſione Papæ.

Dub. 3. *An confirmatio imprimat caracterem.*

4 1. Concl. D. Thom. art. 5. Affirmatiua, diffinita in Conc. Flo. & Trid. cit Et ſic, *vt dicitur c. debitum de conſe. d.* 5. erit grauiſſimum ſacrilegium illud reiterare. Etſi non incurratur irregularitas: cum nulla talis pœna ponatur in iure. *Ita communiter contra D. Ant.* 3. *p tit.* 28. *c.* 6. §. 3. *& Nau. in ma. c.* 27 *n.* 247.

2. Concluſio. Confirmatio, ſicut & omnia alia Sacramenta, ſine caractere Baptiſmi inualida ſunt. *Ita diffinitur c. omnes fideles, & c. nouiſſimè. de conſe. d.* 3. Nam per Baptiſmum regeneramur in vita ſpirituali, per confirmationem recipimus augmentum vitæ ſpiritualis; ſed augmentum ſupponit vitam: ergo.

5 Dub. 4. *An per confirmationem detur gratia.*

1. Concl. D. Tho. art. 7. Per confirmationem datur graria per modum roboris. Nam in confirmatione datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur internè: ſicut in Pentecoſte collata eſt Apoſtolis, viſibiliter in eos deſcendente Spiritu Sancto, ſed non mittitur Spiritus Sanctus internè, niſi per gratiam, vt dicitur 1. p. q. 43. art. 2. ergo.

2. Concl. Ex D. Th. ad 2. Ad recipiendum gratiam iſtius Sacramenti eſt neceſsaria vera contritio, cum ſit Sacramentum viuorum ex ſua ſpecie ordinatum ad augendam, & roborandam gratiam Baptiſmi, & conſequenter ſupponit vitam gratiæ. Sed vt dignè recipiatur, ſat eſt contritio exiſtimata. Ex dictis patet, quod etſi in omni tempore, & ætate poſſit recipi hoc Sacramentum, vt ait D. Th. ar. 9. ſed quia auget gratiam Baptiſmi, optimè recipitur cum accedis ad vſum rationis antequam ammittas gratiam Baptiſmalem.

6 Dub. 5. *An confirmandus debeat ab alio teneri.*

1. Concl. D. Tho. art. 10. Affirmatiua. Nam gratia confirmationis datur ad robur pugnæ ſpiritualis, ergo ſicut nuper

natus

natus eget alterius pædagogio in pertinentibus ad vitæ conseruationem, sic qui ad pugnam adscribuntur egent instructoribus ad certamen. De cognatione contracta per Confirmationem dicemus *q.4. de Matrimonio, dub.10.*

Dub 6. *Quis sit minister Confirmationis.* 7

1. Conclusio. *D. Thom art.11* Solus Episcopus est minister ordinarius. Ita *in Concil. Flor. & Trid sess.7.*

2. Conclusio. *D. Thomæ ad 1.* Simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ confirmare, vt est communis sententia contra *Scot. & Durand.* Et videtur diffinitum in *Concil. Florent. cit.* vbi dicitur, quod Episcopus est minister ordinarius, etsi aliquando ex rationabili, & vrgente admodum causa sit à Sede Apostolica commissa facultas ministrandi hoc Sacramentum simplici Sacerdoti. Et *in Concil. Tolet. 1. cap. 20.* dicitur, posse presbyterum absente Episcopo Chrismare. Hæc de hoc Sacramento.

DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

D. Thomas quæst.73.

SVMMARIVM.

Quando hoc Sacramentum sit institutum, num.1.
Pro quo supponat, num.2.
Et quomodo sit vnum, num. 3.

NOta 1. Eucharistiam esse potissimum Sacramentorum, 1
à Christo institutum secundùm aliquos inter cœnandum, vt videtur colligi ex illo Matth. 26. *Cœnantibus illis accepit Iesus panem*, aut quod verius est, post cœnam, vt insinuatur in *Clement. de relig. & ven.* & Ecclesia canit, *Post agnum typicum expletis epulis Corpus Dominicum datum discipulis*: & colligitur ex Luc. 22. & 1. Cor. 11. Vbi dicitur Christum accepisse Calicem postquam cœnauit. Sicut enim ad vitam corporalem requiritur generatio, qua homo vitam accipit; & augmentum, quo deuenitur ad vitæ perfectionem, & alimentum, quo vita conseruatur, sic in spiritualibus, Baptismo in vita spirituali regeneramur; Confirma-

firmatione spiritualiter augemur, & Eucharistia alimentamur spiritualiter.

Nota 2. Species consecratas, prout continent corpus Christi, esse Sacramentum Eucharistiæ. Ita *communiter cum D. Thom.* 3. *par. quæst.* 73. *art.* 2. *ad* 2. Et patet. Nam in Concil. Trident. *sess.* 14. dicitur quod Sacramentum Eucharistiæ est visibile, sub quo corpus Christi continetur: sed hoc solùm conuenit speciebus consecratis: ergo. Et parum tute ait Gabriel, Sacramentum Eucharistiæ esse consecrationem, aut sumptionem specierum. Et temerariè dixit *Vuald. lib. de Sacrament.* 21. quod corpus Christi est Sacramentum tantùm; cùm dicatur *cap. cum Martha, de celebrat. Miss.* corpus Christi esse res, & Sacramentum simul.

3 *Nota* 3. *Ex D. Thom. art.* 2. Quod vt ciuitas etsi constet ex multis domibus est vna simpliciter, sic Eucharistia, etsi constet ex multis speciebus panis, & vini, est vnum Sacramentum simpliciter, & formaliter. Et oppositum est plusquam temerarium. Imò erroneum, ait *Nunò hic*, aut proximum errori: cùm sit contra communem Ecclesiæ consensum satis explicatum in *Cathe. Pij V. tract. de Eucharistia*, vbi dicitur: Non plura Sacramenta Eucharistiæ, sed vnum tantùm, Ecclesiæ authoritate confitemur. Sicut enim in naturalibus vnum simpliciter conuiuium resultat ex cibo, & potu: ita hic integratur vnum spirituale conuiuium, & Sacramentum ex speciebus panis, & vini. Et licèt in singula specie saluetur simpliciter ratio Sacramenti, & totus effectus Eucharistiæ causetur in sumptione vnius speciei; tamen neutra species seorsum sumpta, est integrum, & perfectum Sacramentum. Nam Eucharistia significat Christi passionem, in qua Christus non solùm mortuus est, sed eius sanguis effusus, quorum vtrumque significatur explicitè in ambabus speciebus panis simul, & vini. Et licèt ista explicita significatio non pertineat simpliciter ad essentiam Eucharistiæ, benè verò ad eius complementum, & integritatem.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

De materia Euchariſtiæ.

D. Thomas quæſt. 74.

SVMMARIVM.

Panis, & vinum, materia Euchariſtia, num 1.
*Qualis panis ſit neceſſarius, num.*2.
Quale vinum requiratur, num 3.
*An Euchariſtia conficienda ex pane azymo, num.*4.
*Miſcenda eſt aqua vino ex præcepto Eccleſia ſub peccato mortali, num.*5.
*Hac aqua non conuertitur immediatè in ſanguinem, num.*6.
An requiratur ad conſecrationem determinata quantitas panis, & vini, num 7.
*An determinata intentio, num.*8.

DVB. 1. *An panis, & vinum ſint materia Euchariſtia.* 1
1. Concluſio. *D. Thoma art.* 1. Affirmatiua, diffinita in Concilio Forent. & Trident. *ſeſſ.* 13. *&* 21. Nam ſicut aqua aſſumitur in Baptiſmo ad ſpiritualem ablutionem, quia corporalis ablutio communiter fit cum aqua: ita panis, & vinum, quibus communis reficiuntur homines, ſumuntur in hoc Sacramento ad vſum ſpiritualis manducationis. *Et nota ex D. Thoma ad* 2. quod deficiente vna iſtarum ſpecierum non poteſt fieri conſecratio in altera ſine diſpenſatione, aut declaratione Papæ. Nam præceptum integrandi ſacrificium eſt diuinum, & grauiſſimum.

2. Concluſio. *D. Thoma art* 3. Panis Euchariſtiæ debet eſſe triticeus. Ita in Conc. Flor. Nam ſecundùm fidem materia Euchariſtiæ eſt panis, ſed ſolus panis triticeus eſt ſimpliciter panis, vt patet ex communi vſu hominum vtentium iſto pane, & ſi aliquando alio vtuntur, eſt ex defectu iſtius: ergo. Ex quo patet 1. cum D. Thoma ad 2. quod quidquid ſit de vſu aliquorum locorum, ſpelta, & far, ideſt, ſcanda non ſunt materia Euchariſtiæ. Nam iſta ſicut & hordeum, ait Auicenna, & alij medici, ſunt pabula iumentorum Et ſaltem erit temeraria conſecratio in iſtis, in conſulto Papa, ob periculum non 2
confi-

conficiendi Sacramentum. Imò etsi in sententia probabiliori D. *Thom. ibi*, siligo est apta materia Eucharistiæ, eo quod est eiusdem speciei cum tritico, & ex eo generatur, sed quia non est materia indubitata, erit temerarium consecrare in ea: etsi iuxta alios in casu necessitatis sit licitum. 2. Patet *ex D. Thom. ad* 3. panem oleo, vel alio mixtum in magna quantitate, non esse panem. Nam verus panis materia Eucharistiæ fit ex farina triticea cùm aqua naturali, non rosacea, aut alia artificiali, contra *Caiet art. 7. & Sa. ver. Missa*, & virtute ignis cocta, aut assa, & non frixa. Nam panis sic confectus est, qui communiter venit in vsus hominum Et eadem ratione, nec amilium, quidquid alij dicant, sed contra *D. Thom. ad* 3. est materia Eucharistiæ. Nam non venit communiter in vsus hominum, cùm fiat ex tritico corrupto, vt acetum ex vino.

3 3. Conclusio. *D. Thom. art* 5. Vinum Eucharistiæ debet esse vitis. Ita *cap. cum omne, de consec. d.* 1. Nam Christus in vino vitis consecrauit, iuxta illud Matth. 26. Vbi circa institutionem huius Sacramenti, ait Christus: *Non bibam de hoc genimine vitis*. 2. Vinum vitis magis conuenit ad effectum Eucharistiæ, qui est spiritualis lætitia; nam vinum lætificat cor hominis. Psalm. 103. Ex his patet, quod quoties dissoluitur vera species vini, vt in aceto, ait *D. Thom. ad* 2. & vino multum lymphato, desinit esse materia Eucharistiæ, & aliàs non. Et sic, ait *Soto, & Sa. ver. Missa, contra Nunno*, in vino congelato fit consecratio: & in musto, vt ait *D. Thom. ad* 3. Nam mustum est vinum, etsi impurum, & imperfectum, vt patet *ex Concil. Bracar. 3. ca.* 1. vbi dicitur, si sit necesse botrus exprimatur in calice, & misceatur aqua, & sic fiat consecratio. Nec est idem de massa, quæ non est apta consecrationi. Nam per actionem extrinsecam ignis acquirit formam panis: at mustum ex sua intrinseca virtute acquirit illam depurationem, & decoctionem. Nec etiam est idem de musto in vuis, nam sic non est potabile, sed comestibile.

4 Dub. 2. *An Eucharistia sit conficienda ex pane azymo.*

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 4. Etsi Eucharistia conficiatur ex pane azymo, aut fermentato, valida sit consecratio, vt diffinitur in Concil. Flor. sed vsus Latinorum consecrantium in azymo est rationabilior. Nam Christus cœnauit primo die azymorum, vtpotè quarta decima Luna ad vesperum, vt patet Matth. 26. & Marc. 14. Sed in diebus azymorum nihil fermentatum debebat esse in domibus Iudæorum;

vt

vt habetur Exod. 12. ergo ſuppoſito quod Chriſtus tunc inſtituit Euchariſtiam, vt dixi, conſecrauit in azimo; & ſic hæc erit rationabilior materia.

2. Concl. Sacerdos in hoc tenetur ſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ: Peccabit enim Latinus conſecrando in fermentato, & Græcus conſecrando in azymo, contra Scotum, etiam ſecluſo ſcandalo, & cum magna neceſſitate, vt ob communicandum infirmis. *Ita communiter cum D. Thom. art.* 4. Et patet. Nam diſcedere priuata auctoritate à rationabili vſu ſuæ Eccleſiæ in re grauiſſima, vt eſt iſta, eſt peccatum mort. Imò Pius. V. in motu incipiente, Prouidentia Romani Pontif. 13. Kalen. Septem anni. 1566. reuocat licentias Græcorum latino more, & Latinorum Græco ritu Miſsas, ac alia diuina officia celebrandi hactenus conceſsas.

Dub. 3. *An mixtio aquæ cum vino ſit de neceſſitate Euchariſtiæ.* 5

1. Concluſiò Diu. Thomæ articul. 7. Iſta mixtio ſolum eſt de neceſſitate præcepti. Et oppoſitum eſt temerarium contra communem ſententiam. Et omnia Concilia ſolum aſſignant pro materia neceſsaria, panem, & vinum. Nec valet quod Chriſtus vſus eſt tali mixtione. Nam non omnia quibus vſus eſt Chriſtus ſunt de eſsentia Sacramentorum, vt patet in benedictione Panis. Quæ enim ſint neceſsaria, ex iudicio Eccleſiæ ſunt accipienda. Imò in Concilio Trident. ſeſs. 22. cap. 7. dicitur præceptum miſcendi aquam cum vino eſse Eccleſiaſticum, & cenſetur impoſitum Ab Apoſtolis ob Chriſti exemplum, & ex tunc in Eccleſia obſeruatum, vt ſic in hac mixtione, vt dicitur in Concil. Trid. citat, fiat explicita commemoratio Paſsionis Chriſti, in qua fluxit ſanguis, & aqua ex eius latere. Et ſic, etſi aqua miſcenda, ſit in ſe res parua, at in ordine ad Euchariſtiam eſt res grauiſsima. Tum ob ſignificationem prædicti fluxus ſanguinis, & aquæ. Tum etiam, quia, vt dicitur in Conc. Trid. cit. ſignificat effectum Euchariſtiæ, vtpotè vnionem populi fidelis ad Chriſtum. Et ſic omittere dictam mixtionem, erit grauiſsimum peccatum mort. *Ita ex D. Tho. art. 6.*

2. Concluſ. Ex D. Thom. art. 8. Aqua miſceatur vino in quantitate qua poſsit ante conſecrationem conuerti in vinum, aliàs non erit conſecrabilis. Et in Conc. Tribut. cap. 19. dicitur quod duæ partes ſint vini, & tertia aquæ. Ex dictis patet temerarium dictum Altiſ. lib. 4. ſumm. tract. 5. cap. 2.

Quod aqua immediatè conuertitur in sanguinem Christi, contra communem sententiam cum D. Thom. hic. Nam illud solum conuertitur in sanguinem Christi, quod est materia Eucharistiæ sed aqua non est sic: vt patet ex dictis: ergo. 2. In Conc. Trid. sess. 13. c. 2. dicitur quod facta consecratione solum manent species panis, & vini, & non ait, quod manent species aquæ: ergo aqua non conuertitur immediatè in sanguinem Christi, sed vinum. Alias si non sit in vinum conuersa cum fit consecratio sed postea conuertitur, non manebit consecrata pars vini in quam conuertitur post consecrationem, sed manet circumfusa speciebus vini consecratis, sicut antea aqua erat circumfusa substantiæ vini.

7 Dub. 4. *An ad Eucharistiam requiratur determinata quantitas panis, & vini.*

1. Concl. D. Thomæ art. 2. Rectè fit consecratio per se loquendo in materia vbi est substantia panis, & vini, siue sit parua, siue magna. Nam Christus solum determinauit panem, & vinum pro materia Eucharistiæ, nulla facta mentione quantitatis. Sed aliquando per accidens requiritur quantitas determinata. Nam vt valeat consecratio, materia debet esse præsens consecranti, vt verificetur forma; sed potest dari quantitas ita magna, quæ non possit esse præsens, vt si totum mare conuertatur in vinum, ergo. *Et nota* non requiri præsentiam physicam materiæ. Nam sepè Sacerdos consecrat magnanimi copiam hostiarum, quarum multas nullo percipit sensu, vt Sacerdos cæcus, & sine odoratu, & tactu materiæ, consecrat eam. Sat est præsentia physica, vel moralis, qua materia existens etiam à tergo, seu post parietem, ex odore, tactu, aut visu: & etsi fit maximè distans, aut alia via certissima morali cognoscatur vt si fide dignus dicat Sacerdoti cœco illam esse præsentem. Hoc enim sat est vt Sacerdos designet materiam in particulari & vt verificetur forma consecrationis & vere dicat. *Hoc est corpus meum, &, Hic est calix sanguinis mei.*

8 2. Conclusio. Ad valorem consecrationis requiritur determinata intentio ministri circa determinatam materiam. Nam etsi Sacerdos habens intentionem consecrandi totum cumulum hostiarum præsentem, verè consecret illum, etsi ignoret numerum hostiarum; imò etsi censeat esse plures, aut pauciores, quam sint de facto; tamen si intendit consecrare tantum quatuor ex eis, non signando eas in particulari, nullam consecrat.

QVÆSTIO SECVNDA.

De forma Euchariſtiæ.

D. Thomas. q. 78

SVMMARIVM.

Quæ ſit forma neceſsaria conſecrationis panis, num. 1.
Quæ forma conſecrationis vini, num. 2
Virtute harum conſecrationum panis & vinum conuertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti, num. 3.
Hæc conuerſio eſt ſubſtantialis, num. 4.
Facta conſecratione remanent accidentia panis & vini, n. 5.
Sola tamen quantitas ſuſtentatur miraculosè; cætera accidentia non item, num. 6.
Non remanet exiſtentia ſubſtantia panis, num. 7.
An ſpecies Sacramentales poſſint aliquid immutare, num. 8.
An ex eis poſſit alia ſubſtantia generari, num. 9.
An per mixtionem alterius liquoris in vino conſecrata, deſinat eſſe ſanguis Chriſti, num. 10.

DVB. 1. *An ſola iſta quatuor verba.* Hoc eſt corpus meum, *aut alia æquiualentia ſint forma conſecrationis panis.* 1

1. Concl. D. Tho. art. 2. Affirmatiua. Ita communiter contra Sco. in 4. d. 8. quæſt. 2. aſſerentem dicta verba cum alijs præcedentibus, vtpotè, *accipiens panem, &c.* eſſe formam conſecrationis panis. Sed concl. patet 1. ex Conc. Flor. circa finem. Vbi ſola dicta quatuor verba aſſignantur pro forma, & iuxta vſum Eccleſiæ. Secundò, Illa eſt forma, quæ ſignificat conuerſionem panis in corpus Chriſti ſed hoc ſignificant illa ſola verba, aut alia æquiualentia, vt ſi dicas, *iſta eſt caro mea*, cum caro ex vſu Sacræ Scripturæ & Chriſti, vt patet Ioan. 6. pro corpore accipiatur: ergo Ex hoc patet, quod non ſit conſecratio per iſta verba: *Hoc fiat*, aut *ſit corpus meum*, aut *corpus Chriſti*: Nam iſta verba non æquiualent dictis verbis, *Ita D. Thom. ad* 1

2. Concl. Sine ly *enim* ſit conſecratio, cum non ſit de eſſentia, ſed de integritate formæ. *Ita D. Thom. ad* 5. Etſi ſit

peccatum mort. illud omittere.

2 Dub. 2. *An sola ista verba*, Hic est calix sanguinis mei, *aut æquiualentia, vt si dicas*, Hic est sanguis meus, *sint forma consecrationis vini*.

1. Conclusio. D. Thomæ art. 3. affirmatiua. Nam solla illa verba significant conuersionem vini in sanguinem Christi, *ait D. Thom.*

2. Concl. Verba quæ sequuntur, scilicet, *noui, & æterni*, &c. solum sunt de integritate formæ; quod D. Thom. vocat de substantia formæ. Ista enim verba solum important expressiorem significationem eius, quod continetur implicite in verbis essentialibus vtpotè, passionem Christi, per sanguinis effusionem, & virtutem talis effusionis. Quæ ad tria ordinatur: 1. Ad adipiscendum gloriam, iuxta illud ad Heb. 10. *Habemus fiduciam in introitu sanctorum per sanguinem eius*. Et hoc designatur in illo; *noui & æterni testamenti*. Secundo, ordinatur ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem; iuxta illud ad Roman 3. *Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine eius, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi*. Et quoad hoc dicitur, *Mysterium fidei*. Tertiò, ordinatur ad remouendum impedimenta vtriusque prædictorum, vtpotè peccata: iuxta illud ad Heb. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*. scilicet peccatis. Et quoad hoc dicitur, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Et si quæris, cur addùntur illa verba in consecretione calicis, & in consecratione panis non additur illud, *Quod pro vobis tradetur*, vt fiat expressa mentio passionis Christi, & fructus eius, cum vtrumque sit memoriale Passionis Christi: Ad hoc dico ex *D. Thom. ad* 2. *&* 7. quod per effusionem sanguinis expressius declaratur Christi passio, & specialiter dicitur sanguis pretium nostræ redemptionis.

3 Dub. 3. *An virtute prædictorum verborum substantia panis & vini conuertatur in corpus & sanguinem Christi*.

1. Conclus. D. Thom. art. 4. & 5. affirmatiua, diffinita in Conc. Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. Ex quo patet, terminum istius conuersionis non esse materiam nudam contra Gab. nec continentiam seu præsentiam corporis Christi sub speciebus: cum ista sit accidens de prædicamento vbi, sed ipsam substantiam corporis Christi, siue actu habentis animam, siue non, vt si consecratio fieret in triduo mortis Christi.

Christi. Nam ista conuersio est substantialis, & sic debet determinari ad substantiam. Nec requiritur ad hoc, vt corpus Christi ex vi talis conuersionis producatur de nouo. Imò verba consecrationis supponunt corpus Christi præexistens. Qñdo enim dicitur, *Hoc est corpus meum.* ly *meum* dicit ordinem ad Christum proferentem illa verba. Vnde si corpus Christi non esset tunc in rerum natura, deberet prius produci per distinctam actionem, vt postea transubstantiaretur in Eucharistiam. Dicta ergo conuersio dicitur substantialis; quia habet pro termino primario substantiam corporis Christi, cum ordine ad esse substantiale Sacramentale; nam panis vere conuertitur in corpus Christi: ergo conuersio illa attingit substantiam corporis Christi, non producendo eam, sed in eam conuertendo substantiam panis. Et sicut conuersio esset substantialis, si panis ita transiret in corpus Christi vt de nouo ei accresceret aliqua pars substantiæ: ita secundum fidem dicendum est istam conuersionem esse substantialem, quia panis vere conuertitur in corpus Christi, etsi nulla substantia addatur ei de nouo. *Et nota* quod modus essendi Sacramentaliter stat in hoc, quòd ex virtute supernaturali corpus in se extensum & diuisibile continetur sub speciebus indiuisibiliter, & sine ordine ad locum; sicut anima indiuisibiliter est tota in toto corpore, & tota in quauis parte corporis. Quod enim conuenit animæ ex natura sua, communicatur supernaturaliter corpori Christi in Eucharistia. 4

2. Conclusio. Ista conuersio habet pro termino secundario præsentiam, seu continentiam corporis Christi in Sacramento sub speciebus: Et sic illa verba, *Hoc est corpus meum*, ait D.Th. art. 5. verificantur, sic contentum sub speciebus est corpus meum. Ex dictis patet 1. istam conuersionem non esse substantialem, quia sit conseruatiua corporis Christi in Sacramento, vt dicebant alij: Tum quia implicat aliquid ab alio conseruari in vno loco, & non in omni loco, sed conuersio non conseruat corpus Christi in esse quod habet in cœlo: ergo nec in Sacramento: cum sit idem esse, etsi diuerso modo se habens. Tum etiam: nam sic non attingeretur substantia, sed conditio accidentalis eius. Secundo patet, cont. Scoto substantiam panis in Eucharistia non annihilari; cum conuertatur in substantiam corporis Christi, & alias annihilatio tendat ad non esse rei, sine ordine ad aliam rem, excludendo terminum positiuũ. Item annihilatio terminatur ad non esse absolute, sicut creatio ad esse

totius abſolutè. Sed in hac conuerſione non deſinit eſſe totus panis:cum maneant accidentia,quæ ſunt aliquid panis,vt ſtatim dicemus.

8 Dub. 4. *An in Eucharistia maneant accidentia panis, & vini.*

1. Concluſ.Diu.Thom.q.77. artic.1. Affirmatiua. Et quod maneant accidentia,expreſsè diffinitur cap.firmiter,de ſumma Trinitate. Et quod maneant omnia accidentia etiam propria, quæ aliàs differunt realiter à ſubſtantia, eſt ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium,& periculoſum in fide,imo erroneum, ait Soto. Nam Concilia vniuerſaliter docent manere accidentia panis, & vini, nulla facta diſtinctione: ergo cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio, de omnibus intelligitur concluſio.

2. Concluſio. D. Thomæ ibi. Iſta accidentia manent in Euchariſtia ſine ſubiecto. Ita diffinitur in Conc.Conſtant.ſeſſ. 8. Et patet. Nam in Euchariſtia non eſt ſubſtantia panis vbi ſuſtententur, nec ſuſtentantur in corpore Chriſti. Nam ſubſtantia corporis humani non poteſt affici accidentibus panis. Nec corpus impaſſibile & glorioſum poteſt ſuſcipere iſtas qualitates, cum ſit inalterabile. Nec ſubiectantur in aere circunſtante. Nam idem numero accidens, cum accipiat numerum à ſubiecto, non poteſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum: ergo manent ſine ſubiecto cum ſola aptitudinali inhærentia, & ordine ad ſubiectum,quæ eſt de eius eſſentia,& non actualis inhærentia.

6 3. Concl. D.Thomæ ibi art.2.Quantitas eſt in Euchariſtia miraculoſe ſuſtentata, ſed alia accidentia etiam in paſſiones panis,& virtus nutritiua & confortatiua, ſunt in quantitate ſine nouo miraculo. Sicut ſi intellectus ab homine ſeparetur, erunt in eo ſpecies: cum iſtæ inhæreant animæ medio intellectu. Sic accidentia corporalia inhærent ſubſtantiæ media quantitate. Et patet etiam ratione D. Tho. Nam illa accidentia manent in Euchariſtia extenſa: ſed omnia extenduntur media quantitate, cum iſta ex ſua eſſentia habeat extendere partes: ergo. Si dicas accidentia manere quan a & extenſa, ſed non ſubiectata in quantitate,contra eſt;nam quantitas denominatur ab illis;dicitur enim alba:ergo.

An verò in Eucharistia maneat forma panis. In hoc D. Thom. qu. 75. art.6. negat. *Vbi nota*, quod etſi ſit de fide,nil ſubſtantiæ panis manere poſt conſecrationem, vt dixi dub.3.

ſed

sed quia non est de fide, formam qua constituitur panis, esse substantialem: cum dicat Sco. esse artificialem, non est error dicere quod manet, etsi vtrumque sit falsum, & parum tutum, *ait Nunnò*.

4. Conclusio. Etsi sit probabile accidentia non habere aliam existentiam, nisi existentiam substantiæ, *vt dicitur* 1 *p. qu.* 3 non verò est probabile manere in accidentibus Eucharistiæ existentia substantiæ panis. Et oppositum secundum omnes est parum consonum fidei. Nam talis existentia pertinet ad substantiam panis, & aliquid eius: ergo cum tota substantia panis desinat esse, desinet etiam esse illa existentia. Et licet esset eadem existentia panis, & suorum accidentium, destrueretur illa existentia, & communicaretur accidentibus virtute diuina alia existentia accidentali. 7

Dub. 5. *An species Eucharistiæ possint aliquid immutare.* 8

1. Conclusio. *D. Thom q.* 77. *art.* 3. Affirmatiua. Et intelligitur & de immutationibus accidentalibus, vt calefacere, respectu quorum quantitas est agens principale, sicut & est subiectum istarum specierum; & de immutationibus substantialibus, sicut calor vt octo à substantia separatus, si est vltima dispositio introducit formam ignis, & expellit formam contrariam. Et istæ immutationes semper fiunt in virtute substantiæ præcedentis.

2. Conclus. *D. Thom. art.* 5. Quod generatur ex speciebus Sacramentalibus non fit ex materia prima, cum ibi non sit sed ex quantitate gerente in vi prioris miraculi vicem materiæ primæ: non quod quantitas intret substantiam rei genitæ: cum sit accidens, & corrumpatur, sed quia materia producitur à Deo per quandam quasi conuersionem quantitatis in illam. Et ad hoc etiam disponit agens naturale corrumpendo quantitatem, & introducendo dispositiones, ad quas sequitur vnio materiæ & formæ geniti, ex cuius materiæ potentia educitur forma ab agente naturali. Ex dictis patet, quod nec materia prima, nec substantia producta creantur. Nam creatio fit ex nihilo, at materia ista, & substantia producuntur vt ex termino à quo ex quantitate Eucharistiæ gerente vicem materiæ, vt dixi. Nam verè ista productio dicitur generatio, cum succedat corruptioni, & corruptio vnius semper fit generatio alterius. *Si arguas*: Nil vermis producti existebat antea: non materia, cum de nouo producatur: non forma, nec accidentia vt patet: ergo est productio totius entis & creatio; *Ad hoc dico*, quod 9

materia quodammodo præexiſtebat in quantitate gerente vicem eius, in qua etiam diſponebatur ad generationem vermis, & forma quodammodo præexiſtebat etiam in potentia quantitatis, ſecundum quod gerebat vicem materiæ, & ex vi diſpoſitionum agentium naturalium producitur vermis, & producitur à Deo materia prima inclinata ad iſtam formam. Ex dictis patet, quod ſpecies Sacramentales nutriunt. Ita *D. Tho. art 6.* Nam ſi ex eis de facto generatur ſubſtantia, vt vermis, poterunt etiam in virtute ſubſtantiæ, *ait D. Thomas ad 3.* conuerti in ſubſtantiam corporis humani, quod eſt illud nutrire.

3. Concluſio. D. Thomæ artic. 7. Diuiſis ſpeciebus Sacramentalibus non diuiditur Corpus Chriſti, ſed integer durat in quauis particula, vbi conſeruaretur ſubſtantia panis; cum ſit incorruptibile. Ita *diffinitur in Conc. Triden ſeſſ. 13. canon. 3.*

10 4. Concluſ. Diu. Thomæ artic. 7. Si alius liquor miſceatur vino conſecrato in quantitate penetrante totum vinum conſecratum, & fiat vtriuſque integra permixtio, non manet vinum conſecratum. Sed ſi mixtio fit in parua quantitate, nec diffundat ſe per totum vinum conſecratum, in ſola parte, quam attingit mixtio, deſinit eſſe ſanguis Chriſti. Nec eſt idem de aqua addita aquæ benedictæ, ait *D. Thom. ad 3.* vbi vide.

QVÆSTIO TERTIA.

De modo eſſendi Chriſti in Euchariſtia.

D. Thomas quæſt. 76.

SVMMARIVM.

Quid ponatur ex vi verborum conſecrationis panis & vini, num. 1.
Quid ponatur per concomitantiam. n. 2.
An adſint ibi Pater & Spiritus ſanctus. n. 3.
An totus Chriſtus ſit ſub quauis particula ſpecierum. n. 4.
Quam extenſionem habeat ibi corpus Chriſti. n. 5.
An ſit ibi tanquam in Loco. n. 6.
An moueatur ad motum hoſtia n. 7.

An

An possit videri oculo corporeo.n.8.
An possit cognosci ab intellectu creato.n.9.
An Christus in Eucharistia habeat actiones immanentes.n.10.
An si in Eucharistia appareat caro aut puer, sit ibi corpus Christi.n.11.

DVB.1. *An totus Christus contineatur in Eucharistia.* 1

1. Conc. D. Tho art.1. & 2. Totus Christus continetur sub quauis specie Eucharistiæ. Ita diffinitur in Conc. Trident. sess.23 can.1.

2. Concl. Ex vi verborum consecrationis panis, continetur sub specie panis, vt dicitur in Conc. Trid. sess.13. can.3. corpus Christi organizatum, & constitutum formaliter, & intrinsecè per carnes, ossa, & neruos. Ita D. Tho. art.1. ad 2. & communiter. Et sancti Patres, Imò & Christus Ioan.6. contentum in Eucharistia indifferenter appellant corpus & carnem. Et patet. Nam id continetur sub specie panis ex vi verborum, in quod fit conuersio panis significata per verba, sed per verba ista, *Hoc est corpus meum*, significatur conuersio panis in corpus, quod est altera pars condistincta contra animam, dicens intrinsecè, & non solum radicaliter, carnes, neruos, & ossa: ergo. Et ex dictis patet, quod sub specie panis continetur ex vi verborum illa forma, quæ dat corpori esse corporeum: ita vt si corpus Christi sit viuum in se, ex vi verborum continetur anima vt dat esse corporeum solum. Et si corpus Christi sit mortuum, vt in triduo mortis Christi, ex vi verborum continetur forma cadaueris, vt dat esse corporeum. Nam terminus istius conuersionis est corpus: ergo intrinsecè includit formam dantem esse corporeum.

3. Conclusio. D. Thomæ ibi. Sub speciebus vini ex vi verborum consecrationis calicis solum continetur sanguis Christi. Ita *in Concil. Trid. citat.* Nam sic significatur in istis verbis: ergo sic fit.

4. Concl. D. Thom. artic.1. in Eucharistia continentur per concomitantia omnia realiter vnita corpori, & sanguini Christi, v. gr. sub specie panis continetur sanguis, & sub specie vini corpus, & sub quauis specie continetur anima, & diuinitas. Ita *in Concil. Trident sess.13. canon.* 3. cum omnia ista pertineant ad suppositum Christi. Et continentur concomitanter, *ait D. Tho. art.5. ad* 3. omnia accidentia intrinseca: cum intrinsecè actuent suppositum Christi. Et

idem

idem est de alijs tribus humoribus. Ex dictis patet, quod si in triduo mortis Christi, *ait D.Thom.art.2.* consecraretur panis, esset ibi sub speciebus panis corpus sine sanguine; & si consecraretur vinum esset ibi sub speciebus vini solus sanguis. Nam corpus Christi ponitur sub speciebus panis vt est in se, sed totus sanguis Christi erat tunc à corpore separatus, & si aliquis sanguis maneret in cadauere Christi, non esset ei realiter vnitus, sed esset ibi vt in vase: ergo.

3 5. Conclus. Pater & Spiritus sanctus non sunt concomitanter in Eucharistia; cum nec vniantur realiter supposito Christi, sed ab eo realiter differant; nec dicamus comedere Patrem, aut Spiritum sanctum, sicut dicimus comedere Deum, & Filium Dei, & alia quæ sunt concomitanter in Eucharistia. Sed quia Pater & Spiritus sanctus essentialiter vniuntur diuinæ essentiæ, implicat essentiam esse in Eucharistia, quin sint ibi Pater & Spiritus sanctus, etsi non per concomitantiam, vt diuina, sed alio specialiori modo. Qui colligitur ex eo quod Trinitas operatur in Eucharistia alios mirabiles effectus, præter eos quos operatur in alijs rebus. Nam in istis existit sicut causa naturalis operando effectus naturales: At in Eucharistia existit operando quemdam extraordinarium effectum supernaturalem, qui est vnire corpus Christi cum speciebus, & sustentare accidentia sine subiecto: Ita *Ledesm. cap.7. de Eucharistia. Si arguas*, Pater & Spiritus sanctus realiter vniuntur diuinitati, sed diuinitas est in Eucharistia concomitanter: ergo & Pater & Spiritus sanctus: *Ad hoc nego consequent.* Nam vt Pater, & Spiritus sanctus sint concomitanter in Eucharistia, oportet vt vniantur supposito Christi, sicut alia quæ sunt ibi concomitanter. Et licèt Pater & Spiritus sanctus vniantur diuinitati, sed non vt constituit suppositum Christi, sed vt formæ communi Trinitatis.

4 6. Conclusio. *D.Tho.art* 3. Totus Christus continetur sub quauis particula specierum, vnita, aut ab alijs diuisa. Sicut homo cum tota quantitate relucet in speculo, & fracto speculo totus relucet in quauis parte. Ita *diffinitur in Concil. Trident. sess.* 13. *can.* 3. Et colligitur ex facto Christi Matth. 26. vbi Christus consecrato integro pane, vt insinuatur dum dicitur, *benedixit*, postea *fregit* illud, ac discipulis diuisit. Et de calice ait, *accipite & diuidite inter vos*, 2. Corpus Christi ex vi Sacramenti continetur sub speciebus per modum

dum substantiæ: ita vt etsi in se sit diuisibile, & quantum, & cum organizatione, & distinctione partium, non tamen est in Eucharistia secundum modum quantitatis per commensurationem partium continentis, & contenti, sed indiuisibiliter ad modum substantiæ. Sed substantia ex se seclusa quantitate est indiuisibilis tota in toto, & tota in quauis parte, vt anima: Ergo corpus Christi est totum in tota hostia, & totum in quauis parte eius, vnita, aut separata quantumuis minima, vbi antea erat substantia panis. Et idem est de quantitate corporis Christi, cùm sit in Eucharistia per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Ita *D. Thom. art.* 4. *Et nota*, 5
quod effectus formalis quantitatis est, extendere substanriam, & facere distinctionem partium, & cùm iste effectus sit ab ea inseparabilis, corpus Christi in Eucharistia habet partes ita extensas, & distinctas, sicut est in se. Manus enim distinguitur à capite, &c. Et ex isto effectu manat alter, qui est extendere, & commensurare partes locati cum partibus loci; ita vt locatum non excedat locum, & iste effectus est separabilis à quantitate. Et sic in minima parte hostiæ continetur totus Christus cum tota sua quantitate, quæ maior est quantitate hostiæ. Nec mirum si quando quantitas est in alio non per se, sed concomitanter ratione alterius, cui vnitur intrinsecè, vtpotè ratione corporis Christi, non sit, *ait D. Thom. ad primum*, iuxta suum modum, sed iuxta modum eius, quem comitatur, vtpotè iuxta modum substantiæ, tota in tota, & tota in quauis parte hostiæ, quod est esse indiuisibiliter, non in ordine ad se, quæ sic vbique est diuisibilis, sed in ordine ad locum. Ex quo patet, corpus Christi non habere situm in Eucharistia, aut aliquam differentiam positionis. Nam ista proueniunt ex varia dispositione partium in ordine ad locum hic non reperta.

Dub. 2. *An corpus Christi sit localiter in Eucharistia.* 6

1. Conclusio. *D. Thoma art.* 5. Negatiua. Nam locatum est in loco per hoc, quod commensuratur loco iuxta suam quantitatem, sed Christus est in Eucharistia secundum modum substantiæ, & non secundùm modum quantitatis: ergo. Secundò patet *ex D. Thom. ad* 1. Corpus Christi non est in Eucharistia circumscriptiuè, ita vt commensuretur speciebus, cum quantitas specierum sit multo minor. Nec est ibi diffinitiuè, alias taliter determinaretur ad istas species, vt ex modo essendi in illis repugnaret esse eodem modo in

alijs

alijs hoſtijs: ergo. Et quidem D. Thom. non ſolùm negat Chriſtum contineri localiter in ſpeciebus, cùm nec ſubſtantia panis cui ſuccedit, contineretur in illis localiter: ſed etiam negat Chriſtum contineri in loco, vbi panis ante conſecrationem continebatur cum ſpeciebus. Nam corpus Chriſti non comparatur ad locum panis, & ſpecierum media propria quantitate, ſicut comparabatur panis, ſed è contra quantitas corporis Chriſti comparatur ad illum locum mediante ſubſtantia corporis Chriſti, & ſecundùm eius modum.

2. Concluſio. Corpus Chriſti continetur in Euchariſtia modo ineffabili conſiſtente in hoc, quod ſubſtantia corporis Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis, ſub ſpeciebus, intima vnione, ſicut ſubſtantia panis vniebatur illis, ratione cuius verè manducatur Chriſtus manducatis ſpeciebus. Et ob iſtam intimam vnionem corporis Chriſti cum ſpeciebus dicitur contineri per accidens in loco ſpecierum, & moueri ad motum earum, & eſſe in multis locis. Etſi enim vnum corpus non poſſit eſſe, etiam de potentia abſoluta, in multis locis per ſe circumſcriptiuè, & diffinitiuè: poteſt tamen eſſe in illis per accidens. Nam in loco per accidens non commenſuratur, nec coarctatur loco, vt patet in Angelo.

7 Dub. 3. *An corpus Chriſti moueatur ad motum hoſtiæ.*

1. Concluſio. *D. Thom. art.* 6. Chriſtus mouetur per accidens ad motum hoſtiæ. Et iſte eſt communis ſenſus Eccleſiæ. Et ſic oppoſita ſententia Durandi cenſetur erronea. Nam Eccleſia communiter fatetur corpus Chriſti circumferri: eleuari, &c. ob realem vnionem cum ſpeciebus. At non conueniunt ei aliæ mutationes. Non enim caleſit, nec frangitur, calefactis, & fractis ſpeciebus. Nam vnio Chriſti cum ſpeciebus non eſt hypoſtatica, & ſic non verificantur de Chriſto, quæ dicuntur de ſpeciebus, niſi impropriè, & figuratiuè. Sicut Chryſoſt. in Ioan. homil. 4. ait Chriſtum videri à nobis in Euchariſtia, & quod dentes noſtri infiguntur carni eius, eò quod ſpecies videntur, & dentes infiguntur ſpeciebus, in quibus Chriſtus continetur.

2. Concluſio. *D. Thomæ ibi*. Eſt impoſſibile Chriſtum moueri per ſe localiter in Euchariſtia. Nam motus localis eſt corporalis, & diuiſibilis, requirens neceſſario extenſionem, & modum ſe habendi quantitatiuè in ſubiecto, ſed corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, non replet aliquod ſpatium diuiſibiliter, ſed eſt totum in tota hoſtia, & totum in quauis parte

eius:

eius: ergo non poteſt ſe mouere per ſe per tale ſpatium motu diuiſibili. Et ſic quando ſpecies corrumpuntur non deſinit eſſe in illis corpus Chriſti per motum localem, & ſucceſſiuè, ſed in inſtanti, quo eſt verum dicere, non ſunt ſpecies. Nec deſinit eſſe in ſpeciebus corruptis per motum ſubſtantialem in ſuo eſſe, cum corpus Chriſti non pendeat in ſuo eſſe à ſpeciebus, etiam poſt conſecrationem, ſicut nec antea: ſed deſinit eſſe ſub ſpeciebus per deperditionem modi Sacramentalis, vtpotè indiuiſibiliter exiſtendi, pertinentis reductiuè ad prædicamentum ſubſtantiæ. Nam iſtum modum acquiſiuit per conuerſionem Sacramentalem.

Dub. 4. *An corpus Chriſti poſſit videri in Euchariſtia.* 8

1. Concluſio. *D. Thoma art. 7.* Corpus Chriſti in Euchariſtia non poteſt videri oculo corporali, etiam glorificato, nec percipi aliquo ſenſu, etiam interno. Nam corpus Chriſti eſt in Euchariſtia per modum ſubſtantiæ, ſed ſubſtantia vt ſic non eſt viſibilis, nec ſubiacet alicui ſenſui, etiam interno, ſed ſolo intellectui: ergo. *Si arguas,* Chriſtus videt ſe in Euchariſtia: ergo & videri poteſt ab oculo ſaltem glorioſo. *Ad hoc ex D. Thom. ad 2. negatur conſequentia.* Nam Chriſtus reſpectu ſui eſt quantum, & coloratum, nec habet reſpectu ſui modum indiuiſibilem, & ſic eſt ſibi obiectum proportionatum. Item corpus Chriſti glorioſum eſt diaphanum, & ſic ſine alio medio extrinſeco per ſuum corpus poſſunt ſpecies viſibiles deferri vſque ad eius oculos.

2. Concluſio. *D Thom. ibi.* Intellectus creatus, etiam Angelicus, non poteſt naturali virtute cognoſcere modum Chriſti exiſtendi Sacramentaliter in Euchariſtia. Nam modus iſte ex parte principij eſt omninò ſupernaturalis, & quoad entitatem eſt altioris ordinis lumine naturali. Nec etiam poteſt intellectus creatus cognoſcere ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, prout eſt in Euchariſtia. Nam corpus Chriſti, vt ſic, nec pertinet ad ordinem vniuerſi, nec habet aliquam colligationem, aut proportionem cum cauſis naturalibus, ſed comparatur ad Deum operantem ſupernaturaliter: ergo non pertinet ad cognitionem naturalem Angeli. Nec valet, Chriſtus cognoſcit ſe in Euchariſtia: ergo & Angelus eum cognoſcit. Nam Chriſtus etiam in Euchariſtia non habet reſpectu ſui modum Sacramentalem, ſed eſt ſibi realiter præſens, & obiectum proportionatum ſuæ cognitioni naturali, non ſic autem reſpectu Angeli: cùm non pertineat ad ordinem 9

dinem

dinem vniuersi. Et est exemplum in cogitationibus liberis Angeli, quæ naturaliter innotescunt habenti eas, sed non alteri Angelo.

3. Conclusio. *D. Thomæ ibi*. Beati clarè vident in Verbo corpus Christi, etiam est in Eucharistia, & modum existendi Sacramentaliter, cùm cognoscant alia excellentiora, vtpotè essentiam Dei, ob eleuationem luminis gloriæ, quo participant supernaturalitatem, & proportionem cum obiecto supernaturali.

10 4. Conclusio. Christus in Eucharistia habet actiones immanentes, sed non potest immutare aliquod corpus per actionem transeuntem. Nam corpus Christi in Eucharistia comparatur ad alia extrinseca modo omninò indiuisibili, qui non potest esse connaturalis, nec proportionatus causæ corporali ad operandum. Imò nec possunt esse in Christo, prout est in Eucharistia, actiones immanentes in ordine ad extrinseca, vt visio, auditio. Nam istæ actiones formaliter suum dicunt ordinem ad extrinseca, & requirunt debitam approximationem ad obiectum, quæ non possunt conuenire corpori Christi in Eucharistia. Sed erunt istæ actiones secundùm entitatem in Christo in Eucharistia concomitanter: Nam sunt accidentia intrinsecè inhærentia in potentijs Christi, quando operatur extra Sacramentum.

11 Dub. 5. ***An si in Eucharistia appareat caro, aut puer, sit ibi corpus Christi.***

1. Conclusio. *D. Thom. art*.8. Dum manent dimensiones panis, quæ erant ante consecrationem, & sunt fundamentum aliorum accidentium, manet ibi corpus Christi, non solùm quando talis apparitio fit extrinsecè per immutationem medij, vel visus, vt patet, cùm nulla fiat tunc immutatio ex parte Sacramenti: sed etiam quando fit per immutationem specierum Sacramentalium circa colorem, aut figuram. Nam tandiu durat Christus in Eucharistia, quandiu durant accidentia, quæ conseruarent substantiam panis, sed licet color, & figura panis sint eius accidentia: at non sunt necessaria pro conseruando substantiam panis; ergo &c. Istæ enim apparitiones taliter fiunt, quod manet eadem quantitas, & aliqua accidentia sub quibus conseruaretur substantia panis, etsi varientur aliqua accidentia, vt color, & figura.

2. Conclusio. *D. Thom. ibi*. Si quantitas taliter varietur, vt caro, aut puer non appareat sub dimensionibus, sub quibus

erat antea substantia panis, sed sub multo maioribus non continebitur corpus Christi in tota illa quantitate de nouo apparente: sicut nec substantia panis sub ea contineretur.

3. Conclusio. *D. Thom. ad* 2. In istis apparitionibus non videtur propria species Christi, sed alia species miraculosè formata in oculis videntium, aut in ipsis Sacramentalibus dimensionibus. Iam enim dixi *dub.* 4. quod corpus Christi in Eucharistia non potest videri oculo corporeo.

QVÆSTIO QVARTA.

De effectibus Eucharistiæ.

D. Thomas quæst. 79.

SVMMARIVM.

Quis sit effectus huius Sacramenti, num. 1.
Quando causetur iste effectus, num. 2.
An Eucharistia minuat fomitem, num. 3.
An adeptio gloriæ sit effectus Eucharistiæ, num. 4.
An Eucharistia remittat peccata, & pœnas, num. 5.
An preseruet à peccatis futuris, num. 6.
An peccata venialia impediant eius effectum, num. 7.

DVB. 1. *An per Eucharistiam detur gratia.* 1

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 1. Affirmatiua, diffinita in Conc. Flor. & in Conc. Ephes. epist. ad Nestor. dicitur carnem Christi esse viuificatricem, & quòd eius virtute sanctificantur homines. Et patet ex illo Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, scilicet, spiritali.

2. Conclusio. *D. Thomæ ad* 2. Proprius effectus Eucharistiæ est perficere primam gratiam, reficiendo animam spiritualiter secundùm spiritalem dulcedinem, & delectationem. Et sic quæ dicuntur de manna, & eius effectibus, Sancti accommodant spiritualiter Eucharistiæ. Et sicut corpus in vita naturali cibo 2 reficitur, & delectatur, sic anima in vita gratiæ per Eucharistiam spiritualiter reficitur, & delectatur. Et nota, quòd iste effectus Eucharistiæ non causatur cum primùm ore percipitur: cùm adhuc non manducetur, cui manducationi promittitur Ioan. 6. in illo. *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis*

vitam

vitam in vobis. Nec causatur toto tempore manducationis, cùm non causetur successiuè, sed in instanti, quo finitur manducatio. Ita *communiter cum Soto*. Sicut & alia Sacramenta causant suos effectus in vltimo instanti vsus illorum. Ex quo patet, *ex D. Thom. art. 7. ad* 3. quod qui sumit Eucharistiam diuisam in partes, aut sub multis speciebus, vnam solam gratiam recipit, etsi manducatio terminetur in multis instantibus. Nec est idem de bis celebrante in vno die, qui in secunda celebratione nouam accipit gratiam; nam iste moraliter, & physicè bis comedit: at ille semel comedit, & bibit, cùm vnum solùm sit conuiuium. Et sic ei datur gratia in instanti terminatiuo sumptionis primæ partis, cùm tunc verè manducet Eucharistiam. At altera pars in termino sumptionis causat eandem gratiam, si non creuit dispositio; nam si creuit, crescet gratia. Imò, si in sumptione primæ partis non erat homo dispositus, non recepit gratiam, sed in sumptione secundæ partis, si tunc disponitur. Et ex dictis patet, *contra Caiet. & Cano*. Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, aliàs esses melioris conditionis communicando sub multis hostijs, quod falsum est, & puniuntur vt suspecti per Inquisitores, qui sunt multum solliciti de communicando sub multis hostijs, vt diutius duret corpus Christi in stomacho. Nec est idem de cibo corporeo, cùm iste operetur per conuersionem sui in substantiam aliti, & sic successiuè.

3 3. Conclusio. *D. Thomas ad* 3. Effectus iste Eucharistiæ immediatè causatur in anima, & in corpore per redundantiam, minuendo fomitem peccati, iuxta D. Hieron in illud Zachar. 9. *Quod est pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Et licet alia Sacramenta id etiam per redundantiam efficiant, sed specialius gratia Sacramentalis Eucharistiæ, & ad hoc ordinatur vt in carne nostra assimilemur Christo. Nam in hoc Sacramento datur Christus vt cibus animæ, commune autem est omni cibo communicare suam virtutem sumenti illum, etiam quando cibus conuertitur in substantiam aliti, & multo magis cum effectus cibi consistit in assimilatione sumentis ad cibum, vt sic hic iuxta illud dictum à Christo, Augustino, *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*, lib. 7. Confess. 10. Et dictis patet falsum esse, quod per Eucharistiam caro eam sumentis realiter vniatur carni Christi; & non

non solum mysticè; non enim intelligitur qualis sit ista realis vnio.

Dub. 2. *An adeptio gloriæ sit effectus Eucharistiæ.*

1. Concl. D. Thom. art. 2. affirmatiua. Nam in Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. & ab Ecclesia hoc Sacramentum dicitur pignus gloriæ. Et patet ex illo Ioann. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, id est vita gloriæ. Et licèt iste sit etiam effectus aliorum Sacramentorum; cum etiam causent gratiam, quæ est semen gloriæ; sed specialiter tribuitur iste effectus Eucharistiæ: quia gratia Eucharistiæ tribuit virtutem perseuerandi in eadem gratia, & confortat in vita spirituali. Et ob hoc Eucharistia vocatur viaticum: figuratum in cibo, quo Elias confortatus ascendit in montem Oreb. Et sic Eucharistia, etsi non introducat statim in gloriam, sicut nec ipsa passio Christi; tamen tribuit instrumentaliter virtutem perueniendi ad montem gloriæ, vt insinuat *D. Tho. ad* 3. 4

Dub. 3. *An per Eucharistiam remittantur peccata, & pœnæ.* 5

1. Conclus. D. Thomæ artic. 3. Eucharistiæ ex se potest remittere omnia peccata mort. cum in ea contineatur Christus, & rememoretur eius passio, quæ est fons, & causa remissionis peccatorum: sed ex parte suscipientis solum remittit peccatum, cuius homo non habet conscientiam, iuxta dicta qu. 2. de Sacram. in gen. dub. 2. vbi dixi, omnia Sacramenta viuorum aliquando causare primam gratiam.

2. Concl. D. Thom. art. 4. Eucharistia remittit peccata venialia. Ita *in Conc. Trid. sess. 3 canon. 2. & communiter*. Et oppositum est temerarium: imo & erroneum, ait Nunno. Nam etsi remittere peccata ven. quibus homo non est affectus, conueniat ex opere operato omnibus Sacramentis: cum omnia causent primam gratiam, aut illam augeant, ad quod sequitur remissio peccatorum ven. sed hoc tribuitur Eucharistiæ specialiter; quia ex sua ratione vt nutrimentum, & cibus animæ, reparat vigorem charitatis, & expellit contraria illius, qualia sunt peccata ven. sicut cibo corporeo reparatur quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis, reparantur vires, & ignauia expellitur.

3. Conclusio. D. Thom. artic. 5. Eucharistia in ratione Sacramenti, id est, in quantum sumitur ex opere operato, indirectè remittit pœnam, non totam, sed iuxta deuotionem sumentis. Nam ex eo quod directè causat gratiam, &

charitatem, remittit pœnas peccatorum. At Eucharistia in ratione sacrificij, id est, in quantum offertur, habet vim satisfactiuam, & sic directè remittit pœnam, non totam, sed iuxta deuotionem offerentis, aut eius pro quo offertur.

4. Conclusio. Diu. Thomæ artic. 7. Eucharistia in ratione Sacramenti soli prodest eam sumenti, sed in ratione sacrificij, & prodest sumenti, & omnibus pro quibus offertur.

6 Dub. 4. *An per Eucharistiam præseruentur à peccatis futuris.*

1. Conclusio. Diu. Thom. art. 6. Per Eucharistiam specialius, quam per alia Sacramenta fit homo potens ad vitandum peccata futura. *Ita in Concil. Trident. sess. 13. cap. 2.* Nam vt à morte futura præseruamur intus roborando naturam contra interna corrumpentia, cibo, & medicinis; aut armis nos muniendo contra externas impugnationes: sic Eucharistia præseruat à morte peccati, & roborando spiritualem vitam hominis, vt spiritualis cibus, & medicina, & in quantum est quoddam signum passionis Christi, quà victi sunt dœmones, repellendo omnem impugnationem dœmonum. Vnde Chrysostomus homil. 45. in Ioann. *Vt Leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.*

7 Dub 5. *An peccata ven. impediant effectum Eucharistiæ.*

1. Conclusio. Diu. Thomæ artic. 8. negatiua de peccatis venial. præteritis. Nam qui multa commisit peccata ven. potest deuotè sumere Eucharistiam; & sic plenè assequi fructus eius.

2. Conclusio. Diu. Thomæ ibi. Peccata ven. actu exercita, vt actualis inconsideratio, qua tollitur actualis deuotio, etsi impediant aliquem effectum Eucharistiæ, v. gr. actualem delectationem, & refectionem spiritualis dulcedinis, non tamen impediunt effectum gratiæ habitualis, Alias sic accedens ad Eucharistiam peccaret mort. cum poneret obicem gratiæ Sacramenti, quod est falsum.

QVÆ-

QVÆSTIO QVINTA.

De sumptione Eucharistiæ.

D. Thom. q. 80.

SVMMARIVM.

Duo modi sumendi Eucharistiam.n.1.
Conscius peccati mortalis tenetur sub mortali confiteri ante communionem. n.2.
Aliquando tamen excusatur ab hoc precepto.n.3.
An Eucharistia sit neganda peccatoribus.n.4.
An pollutio nocturna impedit sumptionem Eucharistiæ.n.5.
An sumptio cibi vel potus.n.6.
Quando liceat sumere Eucharistiam post sumptum cibum aut potum. n.7.
An hoc liceat ad communicandum infirmum in articulo mortis. n.8.
An carentibus vsu rationis Eucharistia sit danda.n.9.
An liceat quotidie communicare.n.10.
Quomodo Eucharistia sit necessaria ad salutem.n.11.
Quando obliget eius preceptum.n.12.
An qui non impleuit hoc praceptum in paschate, teneatur adhuc illud statim implere.n.13.
An sit communicandum sub vtraque specie.n.14.
An Christus in cœna sumpserit corpus suum & sanguinem & quomodo dedit discipulis. n.15.

NOta ex D.Tho.art.1. esse duos modos manducandi Eucharistiam: Alius est Sacramentalis solum, cum percipitur Eucharistia sine fructu, alius spiritualis, cum sumitur Eucharistia in re, vel in voto, & fructus eius. Alia vero manducatio materialis, cum comeditur Eucharistia vt res quædam est, & sicut posset comedi à mure, nil ad rem attinet: & sic D. Tho. de ea non meminit. *Not.2.* Ex *D.Thom. art.2.* quod etsi beati & Angeli dicatur comedere Christum in patria, in quantum vniuntur ei per fruitionem charitatis, & per visionem claram videndo eum, etiam vt continetur in Eucharistia, cum sit eorum caput, at non dicuntur comedere Eucharistiam 1

etiam spiritualiter. Nam cum non sint viatores, non possunt percipere ab Eucharistia aliquem fructum, *iuxta D.Thom. ad* 2.*&* 5. Et illud, *panem Angelorum manducauit homo*, intelligitur, id est, panem, quo Angeli in patria fruuntur in propria specie, manducat homo sub Sacramento. Sed quia illa est principalis manducatio, ad quam etiam ordinatur nostra mãducatio, ideo dicitur panis Angelorum: quia principaliter est Angelorum, illa in propria specie fruentium; secundariò tamen est hominum sumentium Christum in Sacramento.

Dub. 1. *An sit peccatum mort. sumere Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis.*

1. Concl. D.Th.art.4 affirmatiua. Patet 1. Corinth. 11. *Qui manducat. & bibit indignè, iudicium sibi maaducat, &c.* Et iterum. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Vbi sermo est de præparatione Charitatis vt explicatur in Conc. Trid. sess. 13 cap. 7. & de probatione iuridica confessionis, vt consuetudo declarat Ecclesiæ. Et canon. 11. dicitur: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam, anathema sit.* Et ibi declaratur, & definitur esse necessario præmittendam confessionem Sacramentalem, habita copia confessoris, in habente conscientiam peccati mortalis, quantumuis contrito, ante sumptionem Eucharistiæ. Et præceptum de hoc censetur diuinum à Paulo explicatum loco cit. dum ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Secundò ministri Ecclesiæ habent potestatem repellendi indignos ab Eucharistia, vt dicitur cap. multiplex, de pœn. d. 1. Sed hæc indignitas solum constat per confessionem: ergo, &c. Et sic opposita sententia. Caiet. Adriani, & Ricar. ponentium solam contritionem sat esse, est proxima errori, & contra D.Tho. in addi. q. 5. art. 1. ad 3.

3 2. Concl. Aliquoties excusamur à tali præcepto confessionis, vt dicitur in Conc. Trid. cit. Primò in periculo mortis, si non adsit confessor, potes contritus sumere Eucharistiam. Et idem de parocho, qui tenetur contritus in festo celebrare, si non adsit confessor. 2. Si adsit periculum magnæ infamiæ, aut scandali omittendo Missæ celebrationem, aut sperando confessorem. 3. *ex D.Thom. q. 83. art. 6. ad* 4. Si Sacerdos existens in altari, aut laicus ibi existens ad communionem, recordetur alicuius peccati mortalis, quod sine infamia, aut scandalo non potest confiteri, in his & similibus excusamur à confessione ante Eucharistiam præmitenda. Nam Christi præcepta sua-

uia

uia ſunt, nec obligant cum tanto rigore. Tenentur tamen iſti ſic accedentes confiteri cum primum poſſint, vt dicitur in Conc. Trid. ſeſſ.13. c.7. Et interim, etſi non teneantur habere veram contritionem, cum hæc difficilè habeatur, nec certò cognoſcatur, tenentur tamen habere contritionem exiſtimatam. Nec ſat eſt attritio cognita; nam diſpoſitio per ſe requiſita eſt confeſſio: ergo iſta deficiente eſt ponendus dolor, qui prudenter cenſeatur ſupplere eam. Ita *communiter, ait Ledeſm. cap. 11. de Euchariſtia*. Vbi refert alios aſſerentes, poſſe fideles in Paſchate ſumere Euchariſtiam ſine confeſſione, ſi non adſit confeſſor, vt ſatisfaciant præcepto communionis obliganti tunc. Sed hoc non videtur verum, niſi alias non poſſit omitti communio ſine ſcandalo, aut infamia. Nam præceptum præmittendi confeſſionem ante communionem fortius eſt præcepto communicandi in Paſchate. Et ex hoc patet à fortiori *contra Palu. Ricar. Silueſt. & Armi. relatos a Ledeſm.* non licere ſumere Euchariſtiam omiſſo idoneo confeſſore, ſi ſperatur idonior, cui deuotius, & ſecurius confiteantur. An vero ſi inſtat neceſſitas Euchariſtiæ, & pœnitens ob vitandum ſcandalum, aut damnum ſuum, aut alienum, non poteſt integrè confiteri, liceat ei dimittere confeſſionem, & ſumere Euchariſtiam. In hoc Pal. *in 4. d. 17. q. 6.* & alij moderni tenent quod non. Nam dicunt, fortius eſt præceptum integrandi confeſſionem præcepto confitendi ante communionem. Sed oppoſitum, *ait Ledeſm. c. 20. de pœnitent.* eſt communius. Nam iſte tunc moraliter integrè confitetur, & hoc ſat eſt, iuxta dicenda à nobis infra quæſt. 3. de confeſſion. dub. 5.

Dub. 2. *An ſit neganda Euchariſtia peccatori*. 4

1. Concluſio Diu. Thom. artic. 6. Publico peccatori, qui nondum egit publicam pœnitentiam, negetur Euchariſtia; cum non habeat ius ad eam, quouſque publicè pœniteat. Et dicitur quis publicus peccator, vt ait Diu. Thomas ob euidentiam facti, cuius maior pars viciniæ eſt teſtis; aut ſit damnatus à iudice. Nec per hoc quod iſti negetur Euchariſtia, ſatisfacit præcepto communionis. Nam præcepto quo obligamur ad communionem, obligamur ad eius diſpoſitionem. Nec eſt idem de eo, cui de conſilio confeſſoris differtur communio: Iſte enim non violat hoc præceptum, vt conſtat in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & rem.

2. Concluſio. Peccatori ſecreto Euchariſtiam ſecretè pe-

tenti negetur, *ait D. Tho. in 4. d. 9. qu. 1. art. 5.* non ſi petat publicè. Aliàs infamabitur. Et ideo Chriſtus in cœna dedit Iudæ corpus ſuum. Imò ſi infamatus in vno loco petit publicè Euchariſtiam vbi non eſt infamatus, eſt ei danda, dum moraliter non timeatur, quod eius infamia illuc vſque deueniet. Nec vllo modo detur hoſtia non conſecrata peccatori ſecreto, vt à ſumente & alijs tollatur occaſio idololatrandi. Et ſaltem Sacerdos quantum eſt in ſe facit eos idololatrare, *vt ait D Tho. art. 1.*

Dub. 3. *An pollutiò nocturna impediat ſumptionem Euchariſtiæ pro eodem die.*

5 1. Concluſio. Ex *D. Tho. art. 7.* Pollutio nocturna, & idem eſt de coitu, procedens ex cauſa, quæ ſolùm fuit peccatum ven. aut nullum peccatum, non impedit neceſſario communionem, ſed ex congruitate, ſi alias non ſit neceſſitas ſumendi Euchariſtiam, aut ſpecialis deuotio pro tali die, &c.

2. Concluſio. Pollutio procedens ex peccato mort. cuius non præceſſit confeſſio, impedit communionem. Secus ſi præceſſit, cum nullum peccatum mort. per confeſſionem dimiſſum communionem impediat ſub mort. Erit tamen peccatum ven. illam ſumere ratione cuiuſdam corporalis immunditiæ. Niſi alias inſtet præceptum, aut neceſſitas defendendi honorem, aut ſpecialis deuotio communicandi tunc, aut alia cauſa rationabilis.

6 Dub. 4. *An ſumptiò cibi aut potus impediat ſumptionem Euchariſtiæ.*

1. Concluſ. D. Thom. art. 8. affirmatiua. Ita *cap. Sacramenta, de conſe. d. 1. & cap. nihil, 7. quaſt. 1.* Et vſus iſte laudatur in Concil. Conſtan. ſeſſ. 13. & cap. liquido, de conſec. d 2. dicitur: *Placuit Spiritui ſancto, ne ſumatur cibus ante corpus Dominicum.* Et hoc expedit ob honorem Euchariſtiæ, ne in os hominis intret cibo aut potu infectum. Et etiam expedit ob vitandum periculum vomitus, aut ebrietatis, quæ accidere poſſunt.

2. Concluſ. D. Thom. ad 4. Ante ſumptionem Euchariſtiæ requiritur ieiunium naturæ, ita vt nihil cibi, potus, aut medicinæ, etiam minimum & etiam inaduertenter, aut caſualiter ſumatur. Nec etiam ſumatur aliquid, quod non ſit cibus, potus, aut medicina, per modum cibi, potus, aut medicinæ. Et ſic mulieres terram, aut aliud ſimile comedentes, ſiue illa comedant ob delectationem, quod eſt comedere per modum

cibi

cibi, siue comedant, vt calorem minuant, quod est comedere per modum medicinæ, non possunt post istorum sumptionem sumere Eucharistiam. At qui inaduertenter comedit modicum papyri, aut aliud simile non habens rationem cibi, aut medicinæ, potest iuxta sententiam probabilem, de qua Ledes. sumere Eucharistiam. Item quæ manent in ore ex externa cœna, si causaliter, *ait D. Thom. ad* 4. imò licet aduertenter secundum aliquos, deglutiantur, non impediunt sumptionem Eucharistiæ, cum non sumantur per modum cibi, sed saliuæ, *ait D. Th* Et idem est de aqua, aut vino relictis ex ablutione oris, dum non traijciantur in magna quantitate, sed permixta saliuæ, quod vitari nequit ait D. Thom. Et idem de gustantibus cibum, aut potum, & aliquid imperceptibile cum saliua deglutientibus.

3. Conclusio Aliquoties licet sumere Eucharistiam post cibum, aut potum. Ita in Conc. Constantien. Et primò si infirmus sit in probabili periculo mortis, & non potest ieiunus commodè sumere Eucharistiam. Ita D. Thom. Et ita est vsus. 7
Sed non potest in eadem infirmitate sumere bis Eucharistiam post cibum: cum vna communione fiat satis præcepto sumendi Eucharistiam in mortis periculo; nisi quando infirmitate durante renouatur periculum mortis. Nam tunc potuit contingere infirmum peccasse mort. & sic tenebitur confiteri & habere propositum sumendi Eucharistiam: *Ita Ledesma. cap.* 13. Secundò, ob perficiendum sacrificium. *Ita D. Th. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 4. vt si Sacerdos, sumpta Eucharistia reperit aquam in calice, & sumpsit eam, tenetur post hoc consecrare vinum, & sumere. Aut si Sacerdos incepta consecratione recordetur se non esse ieiunium, tenetur vltra procedere, *ait D. Thom. ad* 2. vbi ablato graui scandalo tutius reputat esse omittendam Missam, si ante incœptam consecrationem recordetur se non esse ieiunium. Item si Sacerdos post consecrationem non potest sumere Eucharistiam, debet alius Sacerdos, etiam non ieiunus, si non sit alius, sumere Eucharistiam & perficere sacrificium. Et dictorum vna est ratio, vtpotè nam præceptum integrandi sacrificium fortius est, cum sit diuinum, præcepto Ecclesiastico de sumendo Eucharistiam in ieiunio. Tertiò, ob reuerentiam Eucharistiæ, vt si Sacerdos sumpto lauatorio inuenit partem hostiæ, potest eam sumere: *ait Led.* Nam Sacerdos incœpit ieiunius, & eius officium nōdum est terminatum. Alias non liceret deglutire partem hostiæ inhæren-

tem palato, aut calici, sumpto vino. Imò licet reliquias hostiæ mittere in aquam calicis, vt dentur sic communicantibus, etiam sumpta aqua. Nam istæ sumptiones pertinent ad idem conuiuium, etsi decentius sumantur à Sacerdote.

8 *An liceat celebrare post sumptum cibum ob communicandum infirmum in articulo mortis*. In hoc Maior in 4. d. 9. q. 2. tenet quod sic, etiam si sit necesse celebrare in fermentato, & sine vestibus sacris: Sed ista sententia, ait Ledesma cum Soto, est contraria decretis, & vsui Ecclesiæ, maximè quia præceptum communicandi non obligat tunc, sed cum commodè, & reuerenter fieri potest.

Dub. 5. *An carentibus vsu rationis sit danda Eucharistia:*

9 1. Concl. D. Th. art. 9. Eucharistia detur habentibus debilem vsum rationis. Nam isti aliquam deuotionem Eucharistiæ concipere possunt. Sed istis raro detur, vt in Paschate, aut iubileo. Et prius instruantur, vt deuotè accedant. Ita *Ledes. cap.* 13. *de Eucharistia*.

2. Conclusio. Eucharistia non detur eis qui numquam habuere vsum rationis. *Ita communiter cum D Thoma hic contra alios*. Et patet ex vsu Ecclesiæ, cui contrariari erit peccatum mort. 2. Patet ex Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. & can. 4. ita determinante: cum in his non præcedat deuotio Eucharistiæ.

3. Conclusio D. Th. Eucharistia in articulo mortis detur eis, qui aliquando habuere vsum rationis, dum tamen præcesserit in eis deuotio Eucharistiæ, nec alias timeatur periculum vomitus, aut spumationis: in quo adhibeatur magna cautela. Ita cap. is qui. 26. q. 6. vbi dicitur, quod isti sic phrenetico infundatur Eucharistia ori eius. At extra articulum mortis probabilius est cum D. Thom. non licere dare istis Eucharistiam. Et ita habetur in iure. *Et nota*, quod si de facto detur Eucharistia eis, qui non habuerunt vsum rationis, vt olim moris erat, & refertur in Conc. cit. iuxta Caiet. non causabit in eis effectum Eucharistiæ ex defectu deuotionis requisitæ, vt est dispositio ad illam: sed oppositum est probabilius: *ait Ledesma, & Nunno*. Nam Sacramenta causant gratiam in non ponentibus obicem: quem non ponunt isti, cum adhuc retineant innocentiam baptismalem. Nec dicta deuotio est dispositio necessaria pro effectu substantiali Eucharistiæ. *Vide supra q. 4. dub. 5.*

10 Dub. 6. *An liceat sumere Eucharistiam quotidie.*

1. Concl.

1. Concl. D. Thomæ art. 10. Laudabile est homini quotidie parato, & deuoto sumere quotidie Eucharistiam: cum hæc sit medicina fructuosa, & salutifera.

2. Concl. D. Thom. ibi. Cum sepè in pluribus hominum impedimenta istius deuotionis occurrant, ob corporis, vel animæ indispositionem, non est vtile omnibus quotidie Eucharistiam sumere, sed cum ad eam sit homo paratus, ob reuerentiam debitam tanto Sacramento. Et c. quotidie, de conse. dist. 2. ex August. dicitur. *Quotidie sumere Eucharistiam, nec laudo, nec vitupero, sed ad omnibus Dominicis diebus communicandum hortor. Et nota*, quod etsi non peccet qui sumit Eucharistiam quoties sentit se non habere peccatum mort. vt communiter tenent Doctores; cum tunc digne ad illam accedat; tamen non conuenit illam sumere quoties potest sumi sine peccato, contra alios probabiliter oppositum sentientes, ob illud D. Ambro. 4. de Sacramentis, ca. vlt. *qui semper peccat, cælestis Sacramenti medicinam semper accipiat.* Oportet ergo, vltra prædicta, vt sis deuotione paratus. Et ita supponitur à D. *Ambros.* & etiam insinuatur à *D. Thoma hic, & in 4. d. 12. q. 3. art. 1. q. 2.* vbi ait, quod qui ex communione quotidiana experitur feruorem charitatis, & reuerentiam huic Sacramento debitam augeri, debet quotidie Eucharistiam sumere. At si experitur id non augeri, sed potius minui, debet abstinere, quantum opus sit, vt crescat feruor, & reuerentia. Et sic optimum consilium erit, *ait Ledesma. c. 24. de Euch.* pro vitantibus regulariter peccata mortalia, sumere Eucharistiam semel in septimana, & aliquando bis, si occurrat magnum festum.

Dub. 7. *An liceat cessare omnino à communione.* 11

1. Concl. D. Thomæ art. 11. Sine Eucharistiæ sumptione in re, aut in voto, nulli patet salus. Patet Ioan. 6. *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis.* Quod etiam intelligitur de pueris, ait Aug. lib contra Pelagianos, circa medium, tom. 7. & de Eucharistia in re, vel in voto saltem implicito incluso in contritione, aut gratia Baptismi. Nam cũ Eucharistia sit finis primæ iustificationis baptismalis, & Baptismi, & per illam perficiantur, semper media includunt votum finis, & cum operatur medium, dicitur finem operari.

2. Concl. Omnis fidelis rationis compos, ait D. Thomas ibi, tenetur ex iure diuino sumere Eucharistiam. Patet ex dictis, & ex illo Christi mandato Lucæ 22. *Hoc facite in*

meam

meam commemorationem. 2. Sicut Baptiſmus eſt neceſſarius pro acquirendo vitam gratiæ, ſic Euchariſtia pro gratiæ conſeruatione: ergo ſicut ex iure diuino tenemur ad Baptiſmum, ſic & ad Euchariſtiam.

12 3. Concluſio. Ex iure diuino non determinatur tempus præcepti Euchariſtiæ, tamen obligat maximè in articulo mortis: cum tunc maximè occurrat eius neceſſitas: & ſic ſanctiſſimè à Pio V. damnatus eſt abuſus non dandi Euchariſtiam damnatis ad mortem: cum eſſet hoc contra ius diuinum, & contra ius canonicum, *in cap. ſuper eo, de hære. in 6. & cap. quæſitum* 15. *q.* 2. Sed an qui Paulo ante infirmitatem recepit Euchariſtiam, teneatur eam iterum recipere in infirmitate? In hoc Soto d. 18. q. 5. art. 4. & alij negant: ſed Led. c. 13. de Euchariſtia & Doctores communiter affirmant. Nam prior ſumptio Euchariſtiæ nō fuit; vt fieret ſatis præcepto de Euchariſtia in ratione viatici. *Et nota contra Enri. tom.* 2. *lib.* 8. *de Euch. cap.* 55 *in fi* Euchariſtiam non eſſe deferendam ad infirmos, qui non poſſunt eam ſumere, vt eam ſolum adorent. Et ita eſt præceptum à Pio V. vt declarauit congregatio Cardin. & refertur à Farinatip ſuper Concil. Trident. ſeſs. 13. cap. 7.

4. Concl. D. Thom. art. 10. ad 5. In primitiua Eccleſia quando magna fidei vigebat deuotio, quotidie fideles tenebantur Euchariſtiam ſumere, poſtea diminuto fidei feruore, ſtatututum eſt vt ad id tenerentur ſolum in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte. Et hoc ommittentes, nec Catholici credebantur, nec inter Catholicos habebantur. *Ita c. ſæcularis, de conſec. d.* 2. Sed iam in cap. omnis vtriuſque ſexus, ſolum in Paſchate obligamur ad Euchariſtiam. Et ſumitur Paſcha pro toto tempore à Dominica in Ramis vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, *Ita declarauit Eug.* 4. *relatus inter viua orac. à Man Rod. in compen. & à Nau. in man. c.* 21. *n.* 45. Sed hoc præceptum, *vt dicitur in Conc. Trid. ſeſs.* 21. *c.* 4. obligat ſolos rationis compotes ſcientes ſecernere Euchariſtiam ab alijs cibis, & ſcientes, quis in Euchariſtia contineatur, & ad quid ſumatur. Nec poteſt in hoc dari certa regula: ſicut alij taxant duodecim annos pro fœminis, & quatuordecim pro viris, ex eo quod prædicti tunc regulariter attingunt vſum rationis. Nam hoc ſæpè deficit, cum alij citius, alij tardius illuc deueniant, & ſic arbitrio prudentis confeſsoris relinquatur.

13 *An vero tranſgreſſo iſto præcepto, ex vi illius adhuc ſtatim*

tim

ti m tenearis sumere Eucharistiam. In hoc *D. Anton. 2. par. tit. 9. c. 9. & 3. par tit. 12. c. 19. Silu. ver. Eucharistia 3, Sot. d. 18. q. 1. art. 4.* & alij negant. Nec est idem (ait *Soto, Victo. & Medin. in sum. cap. 14. §. 42.*) de confessione. Nam etsi præceptum confessionis sit affirmatiuum includit istam negationem, non diu permaneas in Dei inimicitia, & sic obligat semper, & pro semper, sicut præcepta negatiua. Et durare in hoc vltra annum est diu permanere in inimicitia Dei. Sicut de præcepto restituendi aliàs affirmatiuo dicitur obligare semper, & pro semper, quia includit istam negationem, non retineas alienum. At præceptum hoc affirmatiuum de communicando in Paschate nullam includit negationem. Oppositum etiam est satis probabile. Ita *Nauar. Ledesm. cap. 8. de pœnit. dub. 7. & alij.* Nam sicut ex præcepto diuino tenemur confiteri, & ad hoc per Ecclesiam taxatur tempus vnius anni, intra quod confiteri tenemur; sic ex præcepto diuino in illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: vt ait D. Thom. hic, tenemur sumere Eucharistiam, & ad hoc taxatur ab Ecclesia tempus Paschæ: ergo sicut transacto anno adhuc tenemur confiteri statim, sic transacto tempore Paschæ, tenemur statim sumere Eucharistiam. Cuius signum est, quod isti coguntur statim per excommunicationem ad sumendum Eucharistiam.

Dub. 8. *An liceat sumere corpus sine sanguine.* 14

1. Conclusio. *D. Thom. art. 12.* Negatiua de Sacerdote dum consecrat, & celebrat. Ita *cap. relatum, & cap. comperimus, de consecrat. d. 2.* Nam ad Sacerdotem attinet hoc Sacramentum consecrare, & perficere, sed eius perfectio consistit in sumptione ambarum specierum: ergo.

2. Concl. *D. Thomæ ibi.* Conuenienter denegatur alijs Eucharistia sub vtraque specie. Nam facilè effunderetur sanguis si omnibus porrigeretur. Et licèt in primordio Ecclesiæ omnibus daretur, sed non erat necessarium ad salutem, vt diffinitur in Concil Constan. *sess. 13.* & in Concil. Trid. *sess. 21. can. 1. & c. 2.* vbi vetatur etiam cum excommunicatione in dicto Concil. Constan. dare laicis communionem sub vtraque specie. Et *can. 1.* damnatur asserens Ecclesiam non iustis de caussis vetasse laicis sumptionem sanguinis. Sat est enim ad salutem, vt diffinitur in eodem Concil. Trid. *sess. 21. c. 3. & can. 3.* sumptio vnius speciei, cùm in quauis specie sit totus Christus, & tota essentia, & totus fructus. Et sic Ioan. 6. dicitur: *Si quis*

mandu-

manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et si arguis ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ad hoc dico 1. quod sumendo Eucharistiam sub specie panis, sumitur etiam sanguis, ibi concomitanter existens. Dico 2. quod ly, *&*, ponitur sæpè in Sacra Scriptura pro vel. Sicut in illo Actor. 3. *Argentum, & aurum non est mihi*; id est, non habeo argentum, vel aurum. Nam ad leuandam miseriam pauperis petentis ibi eleemosynam à D. Petro, non erat necesse argentum, & aurum, sed sat erat alterum eorum. Sic modo *nisi manducaueritis, & biberitis*, id est, nisi manducaueritis, vel biberitis. Et sensus iste patet ex sequentibus dum dicitur, *qui manducat hunc panem*, nihil addendo de potu, *viuet in æternum*.

Dub. 9. *An Christus in cœna sumpserit corpus suum, & sanguinem*.

1. Conclusio. *D. Thom. q.* 81. *art.* 1. Affirmatiua. Et patet ex illo Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*. Vbi non loquitur Christus de cœna legali, nam sæpè cum eis cœnarat cenam istam; sed de Sacramentali, ait *D. Tho. ad* 3. Et sic eius sumptio fuit etiam Sacramentalis, & spiritualis manducatio. Nam etsi eius gratia ex sumptione Eucharistiæ non sit aucta, recepit tamen Christus ex ea quandam actualem delectationem spiritualis dulcedinis. Ita *D. Thom.*

2. Conclusio. *D. Thoma art* 2. *&* 3. Christus sumpsit, & dedit Discipulis (etiam Iudæ, *ait Dio cap.* 3. *Eccles. hierar. par.* 3. *August. tract.* 62. *in Ioan. & Chrysost. hom.* 46. *in Ioan. contra Diu. Hilar. cap.* 30. *in Matth.*) corpus suum passibile in Eucharistia impassibiliter existens. Nam Christus tunc erat passibilis: ergo sic est datus discipulis, sub modo tamen impassibili. Sicut dicitur, quod Christus, qui in re est visibilis, datur in Eucharistia inuisibiliter. Ita *D. Thom.*

3. Conclusio. *D. Thoma art.* 4. Si Eucharistia seruaretur in tempore mortis Christi, in ea Christus moreretur. Nam Christus est in Eucharistia, vt est in se, cum suis accidentibus intrinsecis, etsi non cum extrinsecis, vt cum vestibus, &c. eo quod ibi non continetur localiter, & secundùm dimensiones quantitatis, sed indiuisibiliter ad modum substantiæ, sed mori conuenit Christo intrinsecè: ergo.

QVÆ

QVÆSTIO SEXTA.

De Ministro Eucharistiæ.

D. Thomas quæst. 82.

SVMMARIVM.

Solus Sacerdos per se loquendo dispensat Eucharistiam, num. 1.
Aliquando tamen id licet Diacono, num. 2.
Quando, & quoties teneatur celebrare Sacerdos, num. 3.

DVB. I. *An ad solum Sacerdotem pertineat Eucharistiam dispensare.* 1

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 3. Ad solum Sacerdotem illud per se spectat. Nam ipse solus eam consecrat in persona Christi: sed Christus sicut consecrauit suum corpus in cœna, ita alijs sumendum dedit: ergo. 2. Sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum, ergo sicut pertinet ad eum dona populi Deo offerre, sic & tradere plebi sanctificata dona Dei.

2. Conclusio. *D. Thomæ ad* 1. Diaconus quasi propinquus Sacerdotio, participat de officio Sacerdotis dispensare sanguinem: cùm ad hoc non tangatur sicut tangitur corpus: & sic non potest ab eo ministrari corpus, nisi vt Diuus Thomas ait, in necessitate iubente Episcopo, aut Presbytero, vt patet *ex Concil. Carthag.* 4. *cap.* 38. Imò in articulo mortis absente Parocho, aut nolente ministrare, potest quiuis Sacerdos etiam Regularis, imò & Diaconus, si nullus sit Sacerdos, ministrare Eucharistiam. Ita *capit. Diaconus, distinct.* 92. *ex Concil. Niceph. Suarez cum Soto* 3. *par. dist.* 72. *sect.* 1. *& Manual. Rodrig. in quæstionibus regular. quæst.* 56. *articul.* 8. *contra Nauarr. capit.* 21. *numer.* 52. *vbi citat Cardinal. & Siluest.* Nec contra hoc *Clement.* 2. *de priuileg.* vbi excommunicantur Religiosi Eucharistiam ministrando sine Parochi licentia saltem generali, vt declarat Eugenius Quartus, & habetur in supplement. Concess. 4 2

Nam

Nam hoc procedit, tum extra necessitatem, tum etiam secluso priuilegio, & stando in iure communi. Alias enim religiosi in hoc habent multa priuilegia. de quibus vide *in nostro Epitome de statu Relig. lib. 2. cap. 5.* Imò qui in Paschate inuenit se in aliena dioecesi, potest ibi confiteri, & Eucharistiam sumere, vt declarauit Eugenius Quartus inter viua orac. relata à Manuel Rodriguez in compendio: licet hoc priuilegium per Bullam Cruciatæ suspendatur, iuxta aliquos.

3 Dubium 2. *An liceat Sacerdoti omninò cessare à celebrando.*

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 10. Hoc non licet etiam Sacerdoti non habenti curam animarum, saltem in festis præcipuis, & maximè cum alij fideles communicare solent, vt in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste. Ita *Soto, & Ledesma, cap.* 9. *de Eucharistia.* Imò *in cap. dolentes, de celebrat. Miss.* grauiter reprehenduntur Sacerdotes vix quater in anno celebrantes. Et in Concilio Tridentino *sess.* 23. *can.* 14. dicitur, quod curent Episcopi, vt simplices Sacerdotes celebrent in Dominicis, & festis solemnibus, & curati vltra hoc, cùm sit necesse, vt suo officio satisfaciant.

2. Conclusio. Iuxta *Caietan.* non peccat mortaliter Sacerdos nunquam celebrans: at iuxta *Soto, Siluestrum verb. Missa, & Ledesm.* oppositum dicetur. Et dicunt sentire *D. Thom. loco citato.* Et patet 1. Nam iniuriam irrogat iste dignitati Sacerdotali ea non vtendo. 2. Isti nunquam celebrantes pessimè audiunt apud alios, grauiter plebem scandalizant, & in suspicionem veniunt aliquo teneri impedimento, quod sit obex gratiæ, quando non constat de alio impedimento naturali.

DE

DE SACRIFICIO MISSÆ.

D. Thomas 3. par. quæst. 83.

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia Sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

Missa verum Sacrificium à Christo institutum, cuius minister est Sacerdos, num. 1.
In quo Christus immolatur, vnde prodest etsi Sacerdos sit in malo statu, num. 2.
Est idem cum Sacrificio crucis, etsi modus sit diuersus, num. 3.
Eius essentia saluatur in oblatione vnius speciei, sed non integritas, num. 4.
In quo præcisè consistat essentia Sacrificij Missæ, num. 5.
Quæ fuerint Sacrificia vetera, & quomodo illorum effectus causet Sacrificium Missæ, num. 6.
Non confert primam gratiam ex opere operato, num. 7.
Remittit tamen pœnas viuorum, & mortuorum, num. 8.
Pro quibus possit offerri hoc sacrificium, num. 9.
Quanti sit valoris, num. 10.
Vnde valor iste limitetur in particulari, num. 11.
Quod sit iustum stipendium Missæ, & vnde taxandum, nu. 12.
An pauper Sacerdos possit recipere plura stipendia pro vna Missa, num. 13.
Quando Sacerdos teneatur ex iustitia celebrare Missas, nu. 14.
Quando sit obligatio in Capellano infirmo ad celebrandum, num 15.
An possit anticipatè dicere Missas suæ Capellaniæ, num. 16.
An pastor teneatur celebrare Missas pro suis ouibus, num. 17.

DVB. 1. *An Missa sit verum sacrificium à Christo institutum.* 1

1. Conclusio. Missa est verum, & proprium Sacrificium. Ita *diffinitur in Conc. Trid. sess.* 22. *can.* 1. Et patet. Nam ratio Sacrificij stat, ait *D. Thom.* 2.2. *q.* 86. *art.* 3. *ad* 3. in hoc, quod Deo aliquid solemniter, & cum debitis offeratur ceremonijs,

nijs, faciendo aliquid circa rem oblatam ad honorem, & cultum Dei, sed in Missa offeruntur Deo solemniter, & cum debitis ceremonijs, species panis, & vini consecratæ, & fit aliquid circa illas ad honorem, & cultum Dei, cùm benedicantur, frangantur, & consumantur: ergo.

2. Conclusio. Hoc Sacrificium est à Christo institutum. Patet ex traditione Ecclesiæ, & definitione Concilij Tridentini *sess.22. can.2.* & ex illo *Luc.22.* vbi Christus consecrata hostia, ait Discipulis, & in eis, omnibus Sacerdotibus: *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, sicut ego consecro Eucharistiam, & offero Patri, sic & vos facite. Ex quo patet, solùm Sacerdotem Eucharistiam sacrificare exercendo circa eam requisita ad Sacrificium, sicut solus ille potest eam consecrare. Ita *in Concil. Trid. sess. 22. c. 2.* Nam solis Sacerdotibus in sua ordinatione datur potestas, seu character ad offerendum hoc Sacrificium in Ecclesia Dei pro viuis, & mortuis. Cum quo etiam stat alios fideles offerre, sicut in lege veteri, hoc Sacrificium ministerio Sacerdotum. Et sic ait Sacerdos in canone Missæ, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium*. Et sic fideles ministerio Sacerdotum implent præceptum naturale, quo tenentur Deo offerre sacrificia.

2 Dub.2. *An in Missa Christus immoletur.*

1. Conclusio. *D. Thomæ art.1.* Affirmatiua. Ita *in Concilio Trid. sess.22. cap.1. & 2.* Et patet ex Matth.26. & Luc.22. vbi Christus præcepit Apostolis, & Sacerdotibus succedentibus, facere quod ipse fecit in cœna, sed Christus in cœna obtulit se Patri, vt dicitur *in Concilio Trid. sess. 22. c.1.* ergo. Et ex hoc patet, quod etsi Sacerdos peccet mortaliter offerendo hoc sacrificium in malo statu, prodest tamen eis pro quibus offertur. Tum ratione oblati, Deo infinitè grati: tum ratione principalis offerentis Christi, qui simul est Sacerdos, & hostia. Et sic ex his non valet minus Missa mali, ac boni Sacerdotis, sicut & orationes oblatæ à malo Sacerdote vt est minister Ecclesiæ, & in persona illius, tam in Missa, quàm in alijs officijs Ecclesiæ. Secus de orationibus oblatis etiam in Missa ab isto, vt est persona priuata, & in quantum habent efficaciam ex eius deuotione. Ita *D. Thom. q.82. art.6.*

3 3. Conclusio. *D. Thomæ ad 1.* Nostrum Sacrificium est idem cum Sacrificio Crucis. Ita *in Concilio Tridentino sess. 22. can. 1.* Nam oblatum, vtpotè Christus, est idem; etsi di-

uersum quoad modum. 1. Quia Christus in Cruce obtulit suum corpus in propria specie, patiendo verè & realiter in suo corpore vsque ad mortem: at in Missa offertur & sacrificatur sub speciebus Sacramentalibus in memoriam suæ mortis & sacrificij. 2. In Cruce sacrificauit se Christus passibiliter, & cruentè: at in Eucharistia sacrificatur incruentè, nec separatur sanguis à corpore, sed solum significatur talis separatio 3. In Missa offert se Christus medio ministro: at in Cruce sine ministro. Sed non variatur actio, siue res producta, per instrumenta quibus producitur: ergo. Et ex dictis patet, esse solum vnum numero sacrificio in Ecclesia. Ita *cap. in Christo, d 2. de conse.* Nam etsi species Sacramentales, quæ quasi secundario offeruntur, sint diuersæ, ratione cuius sunt plures Missæ, at principaliter oblatum sicut & principaliter offerens est vnus Christus. In lege enim veteri erant plura sacrificia, & Sacerdotes, cum nullus eorum esset ita Deo gratus, vt posset reconciliare homines Deo: At modò vnus Sacerdos Christus, & sacrificium summè Deo gratum, sat est ad omnium redemptionem: & isto dato alia superfluunt. Et sic ad Hebræ. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex*, &c qui non haberet necessitatem quotidie, sicut alij Sacerdotes, pro suis delictis primum hostias offerre, deinde pro populi: hoc autem fecit semel se offerrendo. Non enim oportet vt sacrificium Christi cruentum iterum repetatur, oportet tamen; vt eius virtus infinita de facto in particulari applicetur ad peculiares effectus per alia media, vtpotè, per Sacramenta, & per nostra sacrificia incruenta eiusdem Christi. Nec hoc derogat infinito valori sanguinis Christi effusi in Cruce: sicut nec vsus multorum Sacramentorum. Vide infra dub. 6.

3. Conclusio. Essentia sacrificij Missæ saluatur in oblatione vnius solum speciei, etsi non integritas sicut & essentia Eucharistiæ, etsi non integritas, saluatur in vna sola specie. Extat autem præceptum diuinum de offerendo ambas species, vt integretur sacrificium, *ait D. Thom. quæst.* 80. *art.* 12. *ex cap. comperimus, de conse. d.* 2. Et præceptum hoc colligitur à *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 1. ex illo Luc 22. *Hoc facite*, ait Christus, *in meam commemorationem*, id est, sicut ego offero vtramque sdeciem, ita & vos. Nam hoc sacrificium est repræsentatio passionis Christi, sed non potest repræsentari explicitè passio Christi nisi vtraque species offeratur. Nam per hoc quod vna species offertur separata ab alia, explicitè 4

repræsentatur mors Christi per separationem sanguinis à corpore. Vnde ex speciali Christi ordinatione habita ex traditione Apostolorum, offertur sola species panis in Parasceue. Et sic, licèt illud sit verum, & essentiale sacrificium, sed non perfectum, & integrum, in quo implicitè repræsentantur passio Christi.

5 Dub. 3. *In quo stet essentia sacrificij Missæ. Et nota ex D. Th. 2.2. qu. 85.* esse de essentia sacrificij, vt sit oblatio alicuius rei Deo facta in recognitionem supremi dominij, circa quam aliqua actio sacra & visibilis exerceatur, sed in sacrificio Missæ est à Christo in particulari determinata actio exterior illius constitutiua; & hanc intendimus inuestigare.

1. Conclus. Ad hoc sacrificium prærequiritur consecratio, qua præparetur victima offerenda. Et sic non stat essentia sacrificij Missæ in consecratione, cum etiam sine illa in Parasceue saluetur hoc sacrificium, licet imperfectum. Et si D. Tho. 3. p. q. 82. art. 4. ad 1. ait, consecrationem esse sacrificium, ideo est, quia cum illa fit hostia pro isto sacrificio. Sicut & q. 79. art. 9. vocat Eucharistiam sacrificium, quia est hostia istius sacrificij.

2. Concl. In sacrificio Missæ sunt multæ actiones externæ, vt benedictiones hostiæ, fractiones, & oblationes, sed in nulla istarum, contra Nunno, nec in omnibus simul, contra alios, stat essentia istius sacrificij. Tum quia sacrificium Christi cruentum nullam istarum actionum habuit, nec verbalem oblationē, sed in exercitio se obtulit. Tum maximè; quia omnes istæ actiones sunt ex statuto Ecclesiæ, & possunt ab ea tolli: At actio constitutiua sacrificij Missæ, sicut & ipsum sacrificium, est à Christo instituta: cum hoc pertineat ad potestatem excellentiæ Christo propriam, sicut & determinare materias, & formas Sacramentorum: Ergo.

3. Conclusio. Sacrificium Missæ stat formaliter in consumptione Sacerdotis sumentis Eucharistiam, non vt Sacramentum, sicut alij eam sumunt; sed nomine totius populi, sicut mediator inter Deum, & populum, gerendo personam Christi, & repræsentando in illa sumptionem mortem Christi, non vi repræsentatur per sumptionem in Eucharistiæ in ratione Sacramenti, sed secundum quod illa mors fuit à Christo oblata in sacrificium expiatiuum peccatorum. Ita Mondragon referendo ex August. sic, *Manducatio corporis, & sanguinis Christi est sacrificium Ecclesiæ*. Et colligitur ex *D. Thom.* qu. 80. art.

80.*art*.12.*ad* 1.*&* *ex Soto*,*d*.13.*q*.2.*art*.1.*&* *ex dicendis infra q*.2.*dub*.2.Item:Hoc sacrificium est idem cum sacrificio cruento Crucis, ergo consistit in actione repræsentante mortem Christi, vt fuit oblatus in sacrificium: sed in ista consumptione repræsentatur Christi immolatio, quæ est de ratione istius sacrificij, iuxta *Conc.Trid.ses*.22.*cap*.2.ergo, &c.Cuius signum est, quod si ante consumptionem moriatur Sacerdos, ex iure diuino substituitur alius Sacerdos pro consummando sacrificio. *Vide Lud.Lop*.2.*p.c*.76.*in pri*.

Dub.4.*De effectibus sacrificij Missæ. Et nota ex D.Tho*.1.2.*qu*.102. inter sacrificia vetera, alia esse holocausta ordinata ad protestandum supremam excellentiam Dei in omni genere; & tota hostia istius sacrificij cremabatur in honorem Dei; & hoc dicit holocaustum, id est, totum incensum: Alia erant sacrificia propitiatoria, seu expiatiua, aut hostia pro peccato, ordinata ad placandum Deum iratum. Et horum hostiæ quædam pars cremabatur, & alia à Sacerdote sumebatur. Et ista sacrificia erant diuersa iuxta diuersitatem peccatorum & peccantium. Alia sacrificia dicebantur hostia pacifica, oblata in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & aliquando pro impetrando à Deo beneficia. 6

1. Conclus. Sacrificium Missæ continet omnem perfectionem, & causat omnes effectus sacrificiorum legis naturæ, & scriptæ. Ita *in Conc.Trid. sess*.22.*c*.2. vbi hoc colligitur ex eo quod illa sacrificia erant figura sacrificij Missæ. Et Ecclesia offert hoc sacrificium ad omnes effectus illorum, vt patet ex canone Missæ.

2. Conclusio. Sacrificium Missæ est expiatiuum peccatorum etiam mort. Patet ex Conc. cit. vbi dicitur: quod virtute huius sacrificij placatus Deus, concedit gratiam, & pœnitentiam, & dimittit crimina etiam ingentia; at nõn intelligit per crimina pœnas criminibus debitas. Nam expresse distinguit Concilium inter peccata & pœnas, dum ait ibi, hoc Sacrificium offerri pro peccatis & pœnis.2. Vetera sacrificia expiabant à peccatis mort. sed sacrificium Missæ est illius perfectius, & in eo perfectius applicatur virtus sacrificij cruenti Christi: Ergo.

3. Conc. Sacrificium Missæ, vt patet ex Concil. cit. remittit pœnas Purgatorij, conseruat, & auget gratiam, & impetrat boua spiritualia & temporalia. Sed an ista causet ex opere operato, & infallibiliter: Ad hoc sit.

7 4 Concl. Sacrificium Missæ nec confert ex opere operato, & infallibiliter primam gratiam, nec sic remittit peccata mort. faciendo ex attrito contritum: & oppositum, à sapientissimis error iudicatur. Nec in Conc. Trid. sess. 6. numeratur sacrficium hoc inter alias causas iustificationis, sed solum Sacramenta. 2. De fide est, non remitti peccata mort. baptizatorum, nisi in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, & claues Ecclesiæ, sed hoc secrificium non dicit ordinem ad claues Ecclesiæ, nec ex hoc ordine habet suos effectus: Aliàs si ille pro quo offertur esset attritus, fieret contritus, quod est erroneum iuxta consensum fidelium. Et ex hoc patet *contra Soto dist. 13. qu. 2. art. 1.* quod hoc sacrificium, nec causat infallibiliter, & ex opere operato augmentum gratiæ: nam in Conc. Trident. solis Sacramentis tribuitur conferre gratiam ex opere operato. Et idem est de auxilio supernaturali necessario ad peccatoris conuersionem.

5. Concl. Sacrificium Missæ specialiter delet culpas mort. & causat gratiam per modum impetrationis, & sic non causat ista semper. *Ita D. Tho. in* 4. *d.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 4. Et patet, nam remittit peccatum mort. vt dixi; sed non ex opere operato: ergo. 2. Oratio isto modo impetrat remissionem peccatorum: ergo à fortiori hoc sacrificium, in quo offertur Christus infiniti valoris. Et quod dicitur de gratia, intelligitur etiam de alij bonis spiritualibus, & temporalibus.

6. Concl. Probabile est hoc sacrificium remittere peccata ven. ex opere operato, & infallibiliter. *Ita Nunno. Et ita docuit frater Garsias de Mondragon in nostro insigni, & toto orbe celeberrimo collegio S. Gregorij Vallesoletani.* Sed oppositum est probabilius. Nam idem videtur esse de peccatis ven. ac de mortalibus: *Ita Ledesm. c. 17. de Eucharist.* Nam etsi sacrificium Crucis habeat dictos effectus ex opere operato: tamen ex voluntate diuina variè per varia media applicatur: per Sacramenta enim applicatur ex opere operato, & infallibiliter, non sic verò per sacrificia.

8 7. Concl. Sacrificium Missæ ex opere operato, & infallibiliter remittit pœnas viuorum. *Ita fere communiter*; cum id haberent vetera sacrificia, & etiam pœnas defunctorum, vt videtur colligi ex Concil. Tridenti. sess. 22. cap. 2. vbi dicitur, hoc sacrificium offerri ad satisfaciendum pro pœnis viuorum, & defunctorum, nullam in hoc ponendo differentiam; etsi aliqui, vt Soto, dicant, defunctorum pœnas

nas remitti per modum impetrationis 2. In hoc sacrificio applicatur passio Christi per modum redemptionis, sed ista habet effectum ex opere operato: ergo. Nec obstat, hoc sacrificium prodesse defunctis per modum suffragij, id est, per modum cuiusdam auxilij collati defunctis à viuis, & ab Ecclesia, vt satisfaciant pro pœnis. Nam cum ratione suffragij saluatur lex iustitiæ, vt applicetur defuncto satisfactio Christi.

Dub. 5. *Pro quibus possit offerri hoc sacrificium.*

1. Conclus. Hoc sacrificium non prodest damnatis, quibus nulla est redemptio. Imò erit peccat. mort pro eis celebrare: cum sint incapaces fructus istius sacrificij.

2. Conclusio. Hoc sacrificium ex sua ratione potest offerri & prodesse infidelibus, & excommunicatis, impetrando eis suam conuersionem, & alia bona spiritualia, & temporalia. Et patet ex vsu Ecclesiæ olim celebrantis Missas, pro omnibus, *vt ait Chryſ. hom. de Adam. & Eua.* Et modo Ecclesia in Parasceue pro omnibus etiam infidelibus, & excommunicatis offert hoc sacrificium. Sed iam non licet Sacerdoti (etiam vt personæ particulari) *contra Gab. in can. Ang. Silu. ver. Missa 1. Cou. in cap. alma mater. 1. p. §. 6. & Nau. in c. quando*) offerre illud pro infidelibus: cum non sint partes Ecclesiæ; nec pro excommunicatis; cum per excommunicationem sint priuari suffragijs Ecclesiæ. 9

3. Conclus. Sacrificium Missæ potest offerri pro beatis, nam prodest eis ad gloriam accidentalem. Ita *Silu. ver. Missa, Ledeſ. c. 17. de Euchariſt. & communiter.* Et sic optimè offertur pro baptizatis decedentibus ante vsum rationis: *de quo D. Th. in 4. d. 1. 2 q. 2. art. 1. q 2. ad 2.*

4. Conclusio. Hoc sacrificium est offerendum pro omnibus fidelibus, etiam peccatoribus, vt diffinitur *in Conc. Trid. ſeſ. 22. can. 3.* Etsi aliter profit iustis, aliter peccatoribus: isti enim cum non sint amici Dei, non participant virtutem huius sacrificij in ratione satisfactorij, vt iusti: tamen participant eius virtutem in quantum est expiatiuum à culpa. Imò nec potest applicari hoc sacrificium peccatori, vt illo satisfaciat, quando erit in gratia, *contra Nauarr. in c. quando num. 73.* Nam peccator est incapax talis satisfactionis: cum applicatur ei de facto hoc sacrificium. Ita *Ledeſma, & communiter.*

5. Conclusio. Hoc sacrificium, etiam vt satisfactorium, potest offerri pro Catechumenis etiam mortuis. Ita *cap. Apoſtolica, de cleri. non bapti.* vbi pro quodam defuncto non ba-

ptizato decedente in fide Christi iubentur offerri sacrificia. Et ita fecit D. Amb. pro anima Valentini. Quia etsi isti non sint baptizati censentur membra viua Christi per fidem & charitatem: ergo sunt capaces talis satisfactionis. Etsi in Concil. Bracha c. 35. iubetur, ne pro Catechumenis decedentibus offeratur sacrificium; sermo est de Catechumenis ob suam culpam sine Baptismo decedentibus.

6. Conclusio. Sacrificium hoc prodest ad satisfactionem existentibus in purgatorio. Ita diffinitur contra Lutherum *in Concil. Trident. sess. 22. canon. 3.* & Sacerdotibus in sua ordinatione datur posse offerre hoc sacrificium pro viuis, & mortuis.

10 Dub. 6. *de valore Missæ*. Et non est sermo de valore accidentali orto ex dignitate Ecclesiæ offerentis, ex orationibus specialiter institutis ad peculiares effectus, ex speciali inuocatione Sanctorum, ex Missæ solemnitate, ex deuotione Sacerdotis, & astantium Missæ, ex consumptione cereorum, & similium; nam valor iste est finitus. Sermo est de valore substantiali inseparabili ab hoc sacrificio, orto ex institutione istius sacrificij, ex re oblata, & principali offerente Christo.

1. Conclus. Hoc sacrificium est infiniti valoris, etsi semper habeat effectum finitum. Ita *Caietan. & communiter cum D. Thom. q. 69. art. 5.* Nam oblatum & offerens Christus, in ordine ad quem sumitur substantialis valor sacrificij, iuxta illud Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, sunt infinita. Nec obstat si minister Sacerdos sit finitus. Nam effectus attenditur ex principali agente, & eius virtuti commensuratur, nec limitatur ab instrumento, vt patet in naturalibus, vbi effectus substantiæ proportionatur suæ virtuti, & non potentijs quibus operatur immediatè. Et in moralibus, si medio ministro des eleemosynam, non limitatur valor ex malitia ministri: & idem est in Sacramentis. *Et si quaris, à quo limitatur in particulari*; Ad hoc sit.

11 2. Conclusio. Quoad numerum personarum limitatur à Sacerdote, vt solis prosit, pro quibus à Sacerdote offertur. At semel oblato hoc sacrificio, v. gr. pro Petro, eius effectus, sicut & effectus Sacramentorum, non limitatur ex intentione Sacerdotis: cum iste solum se habeat vt instrumentum applicans hoc sacrificium, sed, *vt ait D. Thom. loco cit.* ex deuotione eius pro quo offertur; cæteris partibus; sicut in natura-

turalibus forma commensuratur suis dispositionibus. Dixi cæteris paribus: Nam si Sacerdos offert sacrificium specialius pro vno, quam pro alio, aut pro vno in particulari, & pro alio in generali; illi pro hac parte magis proderit, cui specialius applicatur.

3. Concl. Ad percipiendum specialiter fructus sacrificij Missæ, requiritur deuotio saltem virtualis, sed ad percipiendum aliquem fructum, sat est deuotio habitualis reperta in habitu charitatis. Impetratur enim salus pueris nullam habentibus deuotionem, & adultis nil cogitantibus de aliquo sacrificio in particulari. Et cum sint membra Christi viua per charitatem, remittitur eis aliqua pœna peccatorum, saltem minima, per hoc sacrificium. Ex dictis patet, quod cum valor accidentalis Missæ sit finitus, quanto in plures diuiditur, tanto minus singulis prouenit. Secus de valore essentiali, cum sit infinitus, aliàs non posset Sacerdos dicere Missam, nisi pro solo dante stipendium. Nec ex hoc sequitur licere applicare vnum sacrificium petenti plura. Nam cum de facto respondeat finitus fructus sacrificij petenti illud iuxta eius deuotionem, maiorem ex multis quam ex vna Missa percipiet fructum.

Dub. 7. *De stipendio Missæ.*

1. Conclusio. Missæ stipendium taxatur à superiore, v. g. à Papa pro toto orbe, aut ab Episcopo pro sua diœcesi, aut taxatur ex communi vsu inter doctos, & timoratos recepto *Ita communiter, de quo Ledes. cap. 18. de Euchar.* Sic enim taxantur aliæ merces, nec in hoc vlla est simonia, *ait Caiet. 2. 2. q. 100. art. 2. Soto, 9. de iust. q. 6. art. 1. & Nau. in man. c. 23. n. 102.* Nam etsi adsit pactum inter Sacerdotem, & dantem stipendium, tamen stipendium non datur in pretium pro Missa. 12

2. Concl. Probabiliter ait Soto, iustum stipendium esse taxandum in ordine ad congruam Sacerdotis sustentationem pro vno die, siue ab vno, siue à pluribus pro vna Missa accipiatur. *Ita Ledes.* Nam Sacerdos habet ius viuendi ex suo ministerio: sed non habet aliud ministerium in vno die, nisi vnam Missam. Quia etsi possit facere alia opera sacra, vt ministrare Sacramenta, recitare horas; at pro his fideles communiter non dant stipendia.

3. Concl. Oppositum etiam est probabile. *Ita Nauar. & Cordo. lib. 1. quæst. 4.* Nam Ecclesia taxando stipendia Missarum, non ita taxat ea, vt vnum stipendium sufficiat pro

integro victu diei: ob quod in Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. statuitur vt nullus ordinetur sine beneficio, aut salutem patrimonio, quò congruè viuat, ne fideles grauentur in soluendo tam ampla stipendia.

4. Concl. Sacerdos reportans vltra iustum stipendium, peccat contra iustitiam commutatiuam, vt patet. Nec Caiet. ait Ledes. dixit oppositum, vt aliqui malè colligunt ex eo quod dixit cum D. Thom. sacrrificium Missæ esse infiniti valoris.

13 An verò liceat Sacerdoti pauperi reportare duo, seu tria iusta stipendia pro vna Missa, cum habet opus his ad victum parcè & moderatè iuxta suum statum. In hoc Ledesm. Cord. Nauar. & Can. 12. *de locis c ap.* 13. *ad* 10. affirmant. Dedecet enim Sacerdotem mendicare, aliàs vilipendetur. Et idem sentit Ledesm. de communicantibus, maximè si exercendo sua ministeria; & petendo consuetas eleemosynas, adhuc non habent victum sufficientem pro religiosis. Imò ait Ledes. non est improbabile posse religiosos particulares dicta stipendia reportare pro Missis sibi à Prælatis relictis ad supplendas suas necessitates parcè & moderatè: At probabilius reputo oppositum *cum Nau. in man. c.* 25. *n.* 92. Nam paupertas vendentis non auget pretium suæ mercis. Non enim potest pauper pluris vendere, v g. gallinam, quam diues, cum pretium sit idem respectu omnium: ergo nec paupertas Sacerdotis auget stipendium Missæ, aliàs ex iustititia taxatum absolutè, nullo habito respectu ad paupertatem, aut diuitias ministri. Et ex dictis patet posse Sacerdotem etiam ditissimum reportare pro sua Missa iustum stipendium, cum sit ex iustitia debitum. *Ita D. Thom. quodl.* 6. *ar.* 10. *Soto Nauar.* Et Ledesm. idem ait de Sacerdote habente bona Ecclesiastica sufficientissima ad victum, qui pro Missis liberis potest, sicut alij, iustum reportare stipendium. Nam ratione istius operis nunc ab eo impensi debetur sibi stipendium. Cum enim sit operarius, dignus est cibo suo, vt dicitur Matth. 10. Et aliàs, *quis militat suis stipendijs vnquam?* 1. *Cor.* 9.

Dub. 8. *Quando Sacerdos teneatur ex iustitia Missas celebrare.*

14 1. Concl. Sacerdos tenetur ax iustitia celebrare per se, vel per alium. Primo, ex vi promissionis, vt si promittis obligato dicere Missas etiam ex solo voto, te eas dicturum. Nam promissio acceptata obligat ex iustitia. 2. Ratione sti-

stipendij accepti. Et peccant mort. colligentes magnam Missarum copiam, quas nisi per longum tempus dicere nequeunt; & postea non prosunt eis pro quibus offeruntur, cum iam sint à purgatorio liberati. *Ita Ledesm. ca. 17. de Euchar. & communiter*. Salutare consilium erit in hac parte, si Sacerdos semper celebret pro omnibus pro quibus vsque tunc accepit stipendia. Sic enim danti, v. g. vnum stipendium plura applicat sacrificia Et si in vno die non sit iste dispositus pro recipiendo fructum istius sacrificij, in alijs erit dispositus. 3. Ratione Capellaniæ.

Et nota, quod si Capellanus infirmatus per duos, aut tres
dies, non tenetur dicere etiam per alterum Missas illorum 15
dierum, iuxta cap. 1. de clerico ægroto, nisi aliàs in fundatione Capellaniæ oppositum explicetur, & istud onus ex maiori stipendio Capellaniæ recompensetur. *Ita Man. Rod. in sum. c. 247. & Sa. ver. Missa, & alij, contra Ledes.* Secùs si morbus sit prolixior; nam tunc dicet Missas per alterum, & satisfaciet dando isti consuetum stipendium. Nec est idem de recipiente pro vna Missa vltra consuetum stipendium, qui si alteri commendet eam, tenetur ei totum reddere stipendium, nisi ab isto spontè excessus consueti stipendij condonetur. Nam aliàs nullo alio titulo potest illum excessum sibi retinere. Quia non ex eo quod sit factus dominus stipendij, *vt tenet Sa ver. Missa, & Suar. 3. p. to 2. d. 87. sect. 3.* nam factus est dominus stipendi cum obligatione dicendi Missam danti stipendium, sicut qui anticipatè accipit pretium pro aliqua re. Et sic si liberatur ab obligatione dicendi Missam, dando eam alteri, perdit ius ad stipendium. Secundo, intentio dantis stipendium est, vt detur dicenti Missam, vt sic fructus maior sacrificij sibi accrescat ratione maioris, & totius stipendij; Capellanus autem satisfacit dando consuetum stipendium. Nam amplius sibi proueniens ex fructibus Capellaniæ, datur sibi non pro Missa, sed pro obligatione perpetuò celebrandi, aut commendandi Missas.

Et nota, licere Capellano non habenti stipendia pro Mis- 16
sis liberis dicere anticipatè Missas Capellaniæ, cum soluat debitum anticipatè. *Ita Man. Rod. & alij contra Ledes.* Et patet etiam ex vsu communitatum religiosarum. Non tamen licet Sacerdoti non habenti stipendium, Missam celebrare pro illis, qui postea illi commendabunt Missas, siue reseruando Missæ applicationem in tempus, quo sibi Missæ com-

commendabuntur; siue applicando eas modò pro eo, quem Deus scit eas commendaturum. *Ita Led. Cord. lib. 4. qu. 4. dub. 3. & communiter contra Manu. Rodiri. loco cit. & alios, sed Manuel in impressione anni* 1615. *correxit*, iuxta declarationem Pauli. V. & congregationis Card. præcipientium Ordinarijs, vt illud sub excommunicatione prohibeant. Nam fructus istius sacrificij non potest manere suspensus, & velut in aere.

An vero parochus teneatur pro sua parochia celebrare: Ad hoc sit.

17 2. Concl. Probabilis est sententia *Soto* 3. *de iust. q.* 3. *art.* 1. *& d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. quòd parochus teneutr quotidie per se, aut per alterum pro suis ouibus celebrare, maximè si habet beneficium pingue: sed probabilius est oppositum. *Ita Palud. in* 4. *d.* 45. *q.* 3. *dub.* 9. *Nau. in man. cap.* 25. *num.* 140. *Cordoua, & Ledes.* Nam nullum extat præceptum, aut consuetudo de hoc. Nec aliàs talis obligatio colligitur ex natura beneficiorum: cum ista sint principaliter instituta ad pascendum oues doctrina, & Sacramentis.

3. Concl. Probabilius videtur, teneri pro parochos pro suis ouibus celebrare in festis, & Dominicis diebus. *Ita Doctores quos refert & sequitur* Led. sed in hoc stetur consuetudini.

Sed an in istis diebus possint à suis ouibus stipendia Missarum recipere: Soto tenet quod sic. Nam fideles vltro illa offerunt, scientes aliàs, quod tunc etiam pro populo celebrant ex obligatione. At probabilius videtur, ait Ledesm. quod sit in illis diebus ex iustitia celebrare teneutur pro populo, non possint pro illis Missis recipere alia stipendia. Nec credendum est, fideles ita liberaliter ea offerre, sed ad hoc vt pro eis altero die celebretur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De tempore celebrationis.

D. Thomas. q. 38. art. 2.

SVMMARIVM.

Conuenienter determinatur tempus celebrationis, & quod sit illud. num. 1.

Quando

Quando liceat illud prauenire, num.2.
An liceat celebrare post meridiem, num.3.
An in die Parasceues, vel Sabbato Sancto, num.4.
An extra hos dies sit Missa dicenda quotidie, num.5.
An, & quando liceat dicere plures Missas in die, num.6.
An habens duas parochias, possit in die cœna consecrare in ambabus Eucharistiam sumendam in Parasceue, num.7.

DVB. 1. *An conuenienter determinetur tempus celebrationis.* 1

1. Conclusio *D. Thomæ* Affirmatiua. Nam in celebratione istius mysterij attenditur & repræsentatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius: Ergo iuxta vtramque conuenienter determinatur tempus celebrationis. Ex eo enim quòd quotidie egemus fructu Dominicæ passionis ob defectus quotidianos, quotidie hoc Sacrificium celebratur: & quia passio Christi celebrata est ab hora tertia vsque ad nonam; ideò in illa parte diei Missa solemnis celebratur. Et de hac Missa solemni loquitur Telesphorus Papa *in epist. decret. c.2. & iuxta cap. necesse, d.1. de consec.* cùm ait, quod ante horam tertiam non debet Missa celebrari. Nam tunc Christus linguis Iudæorum, vt ait *D. Thom. ad* 3, & iuxta D. Marc. 14. est crucifixus, & Spiritus sanctus descendit in discipulos tunc.

2. Conclusio. *D. Thom. ad* 4. Non potest incipi Missa regulariter ante initium auroræ. Ita communiter Doctores, quos refert, & sequitur *Ledes. cap.* 19 *de Eucharistia.* Nam ante illud tempus non sunt homines regulariter ita dispositi ad tam diuinum opus. *Vbi nota,* initium auroræ esse initium crepusculi diei, seu primam lucis irradiationem. Et adhuc hoc moraliter taxetur: Nam etsi crepusculum non sit omni tempore æquale: at omni tempore licet incipere Missam hora, & dimidia ante Solis ortum. Ita *Ledesm. & Suarez* 3. *par. d.*8. *sect.* 4. Et iuxta *Palud. in* 4. *d.*13. *q.*2. *& Victor. in sum. de Eucharist. num.* 97. licet celebrare media hora ante initium auroræ; ita vt Missa finiatur quando incipit aurora, paulò plus, minusve.

3. Conclusio. *D. Thomæ ad* 3. Aliquando licet dicere Missam ante dictum tempus. Primò, ob necessitatem. Ita *capit. necesse, de consecr. d.* 1. v. g. causa itinerandi, aut vt audiatur à laboraturis, aut ob communicandum infirmum morti proximum. Ita *Ledesm. cum alijs ab eo relatis.* Nec ad hoc est necessaria Episcopi licentia, maximè si sit absens: nam hoc 2

conce-

conceditur in iure citato, non reuocato in Concililio Tridenti. Secundò, in nocte natalis Domini potest dici prima Missa illicò post mediam noctem. Ita *cap. nocte sancta, de consecrat. dist.* 1. Et patet ex vsu. Imò & aliæ duæ Missæ possunt dici tunc, *ait Ledesm.* etsi oppositum sit communius, & probabilius. Ita *Siluest. Angel. Tabien. Armil. verb. Missa, & Nauar. in manu. cap.* 25. *num.* 87. Et colligitur ex Canone, vbi pro prima Missa dicitur, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*: & pro alijs Missis dicitur, *Communicantes, & diem sacratissimum*, &c. Tertiò, de licentia Episcopi potest dici Missa ante illud tempus. Ita *Ledesm.* 4. Religiosi iuxta sua priuilegia *relata in nostra Epitome lib.*2. *cap.* 5. *dub* 6. possunt illico post Matutinum, aut post duas horas mediæ noctis.

3 4. Conclusio Missa incœpta ante meridiem potest post meridiem terminari, sed illam incipere post meridiem, erit regulariter peccatum mortale. Ita Doctores, quos refert, & sequitur *Ledesm. c.*19. *de Eucharistia.* Et licet *Nauar. c.*25. *num.*22. *Durand. Angel. Scot. Sa. verb. Missa*, teneant licere celebrare hora tertia post meridiem: & tempore D. Thom. iste erat vsus, vt patet *art.*2. sed iam vetatur à Pio V. in motu incipienti, *Sanctissimus in Christo Pater*, anno 1566. Dixi regulariter: nam ex causa rationabili potest incipi Missa post meridiem. Primò, si in festo solemni durat Missa solemnis, & concio, v. g. post duas horas meridiei, potest Missa priuata incipi finito officio solemni, maximè, ne aliqui Missam omittant. 2. Ratione itineris potest Missa celebrari in festo post meridiem, dum tamen vnius horæ tempus non excedatur. Ita *Sot.* 10. *de iustitia, q.*5. *art.*4. Et ita est vsus. 3. Etsi Episcopus non possit alicui concedere licentiam celebrandi generaliter post meridiem, sed hoc pertinet ad Papam: benè tamen in aliquo casu, & ex rationabili causa. Nam eadem est ratio de celebratione ante horam, & post horam ab Ecclesia statutam. Ita *Ledesm.* 4. Religiosi iuxta sua priuilegia, de quibus *in nostra Epitome loco citato*, possunt celebrare vsque ad Nonam inclusiuè, id est, vsque ad tres horas post meridiem.

4 Dub. 2. *An sit quotidie Missa celebranda.*

1. Conclusio. Non licet Missam celebrare in Parasceue consecrando Eucharistiam. Ita *cap. Sabbato, de consecrat. d.*3. Et patet ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Nam *vt ait D. Thom. art.* 2. *ad* 2. in illo die recolitur passio Christi, prout realiter gesta

est:

est: & ideò non celebratur consecratio Eucharistiæ. Solùm ergo consumitur tunc Eucharistia pridie consecrata, ne Ecclesia, *ait D. Thom.* etiam ista die sit sine fructu passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito. Licebit tamen tunc in probabiliori sententia, *ait Ledesm.* ministrare Eucharistiam fidelibus: cùm hoc in iure non vetetur.

An liceat dicere Missam in Sabbato Sancto, cùm in dicto cap. Sabbato id aquè, ac de Parasceue vetetur. Ad hoc dico licere iam dicere tunc Missam solemnem, & dicta lex per contrarium vsum totius Ecclesiæ est reuocata quoad hoc. Imò *vt ait Ledesm. Sot. d. 13. q. 2. art. 5a. verb. Missa, & alij moderni contra Nauar. cap. 25. num.* 88. non erit peccatum mortale dicere tunc Missas priuatas, cùm sit idem ac de Missa solemni: ergo si cessauit prohibitio pro Missa solemni, etiam cessauit pro priuata: sed in hoc stetur consuetudini, & non violetur sine rationabili causa, & nisi ablato scandalo, vt si tunc occurrat festum de præcepto, & non possint omnes fideles audire tunc Missam solemnem Sicut anno 1617. occurrente festo Annunciationis in Sabbato isto plures Missæ celebratæ sunt in singulis Ecclesiæ Toletanæ diœcesis. Et adhuc tunc, *ait Ledesma*. Missa priuata non celebretur, antequam incipiat solemnitas in *Gloria in excelsis* Missæ solemnis. Nam vsque tunc durat prohibitio Ecclesiæ, & ratio eius; nisi alias dicas Missam de Cruce. 5

2. Conclusio. Extra Parasceuem non est vetita Missæ celebratio, nec præcepta quotidie Sacerdotibus particularibus. Imò multi timorati aliquot diebus omittunt celebrare, vt postea deuotius celebrent, & alij etiam viri Religiosi quotidie celebrant: ergo.

3. Conclusio. In Ecclesijs Cathedralibus, Collegialibus, Conuentualibus, imò & in Parochialibus, vbi est sufficiens numerus Sacerdotum, tenentur Rectores istarum Ecclesiarum quotidie prouidere sub mortali de Missa. Ita *Ledesma*; *Soto, art. 1. & communiter*. Et patet, tum *ex cap. cum creatura, de celebrat. Missarum, cum glossa*, vbi talis obligatio insinuatur: tum etiam ex consuetudine habente vim legis: cuius signum est, quod si aliquando deficit Missa fideles scandalizantur.

Dub. 3. *An possit Sacerdos dicere in vno die plures Missas:* 6

1. Conclusio. *D Thom. ad* 5. Peccat mortaliter pluries in die sine causa celebrando. Nam *cap. sufficit, de consec. d. 1.* dicitur, quod

quod qui in vno die præsumunt dicere plures Missas, non euadent damnationem. Et idem est de communione: de quo *Ledesm.cap.*19. *de Eucharistia*.

2. Conclusio. Ex causa rationabili licet pluries celebrare. Primò in Natali Domini celebrantur tres Missæ. Ita *cap.nocte sancta,de consec. d.*1. Et huius congruentiam assignat *D. Tho. ad* 2. Nam illæ tres Missæ significant triplicem Verbi natiuitatem, vtpotè, diuinam,humanam,& spiritualem in iustis per gratiam.Secundò,licet *iuxta cap.consuluisti,de celebrat.Missa.* ex causa necessaria,& honesta. Et huius sunt multi casus. Primus, si vnus Sacerdos præest duabus Ecclesijs indigentibus Missa, & sit solus, potest tot dicere Missas, quot habet Ecclesias. Ita *Ledesma, cap.*19. *de Eucharistia,* & patet ex vsu. Et hoc, *ait Suarez sect.*3. licet, non solùm in festis,sed & in alijs diebus, si aliàs in quauis Ecclesia sit sufficiens numerus fidelium audientium Missam, cùm non debeat priuari populus tanto sacrificio, etiam in istis diebus. Sed in hoc, *ait Ledesm.* stetur consuetudini.

7 *Sed an qui habet duas parochias, possit in die cœna consecrare in ambabus Eucharistiam sumendam in Parasceue cum vino non consecrato*. In hoc,*ait Ledesm.* aliqui probabiliter affirmant, vt fideles non priuentur officio diuino illius deuotissimi diei: sed ipse tutius reputat consecrare hostiam in præcipua Ecclesia,& ibi perficere solemnitatem,& quod fideles alterius Ecclesiæ illuc accedant.Et si ambæ Ecclesię sint ęquales,in vno anno celebretur officium in vna Ecclesia, & alibi in altero anno. Et si ex ignorantia Sacerdos in vtraque Ecclesia consecrauit,sumat solam Eucharistiam in vna Ecclesia,& in altera Eucharistiam cum vino. Et si in priori Ecclesia sumpsit Eucharistiam cum vino, in altera non sumat, sed seruet illam.

Secundus casus:si in festo solemni Ecclesia non capit omnes fideles, ab eodem Sacerdote, si non sit alius,plures Missæ celebrentur,si opus sit. Ita *Duran lib.*2. *de ritibus,cap.*7. & videtur esse idem,ac de primo casu.Tertius,si post primam Missam occurrit defunctus ex more cum Missa sepeliendus.Ita *cap. sufficit,de consec.d.*1. Quartus,si superuenit notabilis persona,vt Episcopus,quem vt dicitur *cap. quoniam,de priuil. in* 6. decet audire Missam quotidie:imò & ob peregrinos in festo. Quintus, si infirmus sit communicandus, & non sit consecrata Eucharistia. 6. Si in eodem die sunt duæ Missæ, vna festi,& altera vigiliæ, Rogationum, aut Defunctorum: & sit vnus solus

Sacer-

Sacerdos. Ita *D. Thom. ad* 2.7. Si sint nuptiæ benedicendæ. Dicti casus assignantur à *Palud. in* 4.*d*.12.*q*.1.*art*.4. *D. Anton.* 3.*par. tit*.13.*c*.6.§.4 *&* 5. *Soto d*.13.*q*.2.*art*.2.*Nauar.cap*.25. *num* 87.*Victor.num*.96.*Siluest.verb. Missa*, 1. *& Angel. verb. Missa*. Et addunt alium casum, vtpotè si in aliqua Ecclesia ex more dicuntur duæ Missæ per duos Sacerdotes, & alter istorum infirmatur. Et in dictis casibus supponitur, quod celebrans sit ieiunus, ita vt in prima Missa non sumpserit lauatorium, sed solùm sanguinem cum hostia. Ita *cap. ex parte, de celebrat. Missarum*. Item supponitur, vt non sit alius Sacerdos, qui velit celebrare. *Et nota*, quod in omnibus dictis casibus, excepto primo, & secundo, non apparet vrgens necessitas pluries celebrandi. Nam nil inconuenit, vt Episcopus omittat audire Missam, aut quod defunctus sine Missa sepeliatur, &c. Sed in his stetur consuetudini.

QVÆSTIO TERTIA.

De locis, vasibus, vestibus, pro Missa.

D. Thomas quæst.83. art.3.

SVMMARIVM.

*Missa per se celebranda est in loco sacro, num.*1.
*Aliquando tamen extra hæc loca licet celebrare, num.*2.
*Quot modis Ecclesia violetur, num.*3.
*An, & quando liceat celebrare in Ecclesia violata, num.*4.
*Quod si Ecclesia violetur dum Sacerdos celebrat, num.*5.
*Missa celebranda est cum ara, calice, & patena consecratis; & quomodo illa amittant consecrationem, num.*6.
*Sub mortali etiam celebranda est Missa cum corporali, & vestibus sacris benedictis, num.*7.
*Item cum candela cerea accensa, & ministro, num.*8.

DVB. 1. *An Missa sit celebranda in loco sacro*. 1

1. Conclusio. *D.Thom. ad* 1.*&* 2. Affirmatiua per se loquendo. Ita in multis *cap. de consec. d*.1.*& in Concil. Trid. sess*.22.*c.de obser. in Missa, & communiter, de quo Ledesm.c*.20. *de Eucharist.* Et patet. Nam ita conuenit ad debitam reuerentiam tanti Sacramenti, & deuotionem fidelium. Et sic cum hac

præce-

præceptum sit de re grauissima, obligat sub peccato mortali, vt ait *Ledesm. contra Soto, d. 13. q. 2. art. 3. & Sa. verb. Missa*, etsi violator istius præcepti nullam incurrat censuram, vt ait *Ledesm. contra Siluest. Et nota*, quod stando in iure veteri non licet celebrare extra locum ab Episcopo consecratum: sed ob difficultatem consecrationis, vsus obtinuit, vt sufficiat locum esse benedictum.

2 2. Conclusio. *D. Thomæ ad 2.* Ob necessitatem licet celebrare extra dicta loca. 1. Si in processionibus, & Missis nouis Ecclesia non capit omnes fideles. Ita *Nauar. in manu. cap. 21. num. 10. & c. 25. num. 68. & 82. Ledesm. & Soto, d. 13.* Et locus iste sit decens. Nam in mari, aut fluuio ob periculum effusionis sanguinis non potest Missa celebrari. Item itinerantibus si desit Ecclesia; licet sub dio, seu sub aere, aut sub tentorijs Missas celebrare in altari portatili. Ita *D. Thom. ad 1. ex cap. concedimus, de consecrat. d. 1. Si arguas*, quòd solis Episcopis conceditur *cap. vltim. de priuileg. in 6.* dicere Missam etiam per alterum extra Ecclesiam in altari portatili, quod decretum non est reuocatum à Concilio Trident. *sess. 22. loco cit.* vt declarauit Congregatio Card. Episc. Elburen. die 9. Septembris anni 1591. & refertur à *Farin. decis. 38.* ergo alijs id non licet. *Ad hoc dito*, id licere Episcopis sine necessitate; cum absolutè eis ibi concedatur, sed alijs licet solùm in necessitate.

Secundò, *in cap. Missarum, de consecrat. & cap. hic ergo, & cap. in his, de priuileg.* conceditur celebrare in locis permissis ab Episcopo. Et iuxta ista decreta poterat Episcopus id concedere sine vlla necessitate. Ita *Soto*, *Siluest. verb. Missa, 1. & Nauarr. in manu. capit. 25. numero 82.* Nam dando istam licentiam non dispensat in iure, & sic non eget causa, sed vtitur potestate sibi data in dictis decretis. Sed iam in Concilio Tridentino citato tollitur ab eis ista facultas, dum eis præcipitur, ne patiantur priuatis in domibus, ac omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus Sacerdotibus, aut regularibus

3 peragi. Et Concilium non loquitur in casu necessitatis, sed solùm condit legem ordinariè seruandam. In qua, sicut in alijs multis, potest Episcopus existente necessitate dispensare, vt patet, tum ex vsu præscripto, etiam post Concil. Trident. tum etiam, quia in casibus dictis in principio conclusionis licet celebrare extra dicta loca sine Episcopi licentia;

vt ait

vt ait Nauarr. & Ledesma. cap. 20. de Eucharist. ergo à fortiori, licet Episcopo dispensare in necessitate etiam non ita euidenti, v. gr. si sit in aliqua domo vbi non est oratorium; infirmus, potest dare licentiam celebrandi in aliqua camera in altari portatili, in sua diœcesi solum, *vt ait Angel. ver. Missa & Ledesm. contra Siluest.* etsi ablato altari illa camera deseruiat prioribus vsibus. Ita Guttierrez *in qq. canon. cap. 30. num. 28.* Vbi etiam refert congregationem Cardin. declarasse non licere celebrare in domibus priuatis, nisi in casu necessitatis.

Dub. 2. *An liceat celebrare in Ecclesia violata.* 3

1. Conclus. Sex modis violatur Ecclesia. 1. Ob homicidium publicum. Ita *cap. proposuisti, de consecr. Eccles. & cap. semotum, de consecrat. dist. 1.* Et sic non violatur per occisionem hominis purè casualem, aut factam in propriam defensionem, aut ab amente, aut ebrio, quando istis non imputatur ad culpā. Item, si extra Ecclesiā percutis alterum lethaliter, & moritur in Ecclesia, non violatur. Sicut nec è contra, si absque sanguinis effusione, v.g. veneno percutias alterum lethaliter in Ecclesia, & moritur extra Ecclesiam. Nam violatio ob homicidium non incurritur vsque ad homicidium intrà Ecclesiam per mortem consummatum. Si tamen iudex suspendat reum in Ecclesia, violatur. Nam illa occisio est voluntaria, & iniuriosa loco sacro. Et si suspenditur extra Ecclesiam in parietibus, aut supra tectum, violatur solum cemiterium. Ita *Sil. ver. consecratio. 2. & Nau. cap. 25. nu. 85. & cap. 27. n. 250.* Item si te ipsum occidisti in Ecclesia, violatur, cum ista occisio sit iniuriosa Deo, Ecclesiæ & Reip. Imo ex martyrio facto in Ecclesia violatur: cum ista occisio ex parte tyrannorum sit valdè iniuriosa loco sacro. Ita *Led. cap. 10. de Euchar.*

2. Violatur Ecclesia per effusionem sanguinis publicam, & illicitam mortaliter, & in magna quantitate. Ita *cap. si Ecclesia, de consec. Ecclesia, & c. Ecclesijs, de consec. d. 1. cum glossa, & Ledesm. Silu verb. interdictum, & communiter.* Et sic non violatur per effusionem sanguinis in propriam defensionem, aut purè casualem, aut naturalem, vt cum è naribus effluit, aut medicinalem, vt cum quis in Ecclesia minuitur. Et idem est de effusione proprij sanguinis. Nam si culpabiliter mortaliter effundis tuum sanguinem in Ecclesia, violatur. Secus, si te flagellando pro peccatis, aut casualiter, aut aliter licitè. Et vt Ecclesia violetur non est necesse,

vt sanguis cadat in solum Ec. lesiæ. Nam etsi recipiatur in vase, aut accepto vulnere statim exis ab Ecclesia, violatur. Nec est necesse, quod percussor sit in Ecclesia: nam si extra Ecclesiam existens percutis existentem in Ecclesia, violatur. Secus si existens in Ecclesia percutis extra Ecclesiam existentem. Ita *Ledesm.*

3. Violatur Ecclesia pollutione voluntaria & publica. Et idem de coitu. Ita *cap. Ecclesijs, de consecratio. d.* 1. Et non sat est parua distillatio, etiamsi sit peccatum mort. Nec requiritur quod semen, sicut nec sanguis, cadat in solum Ecclesiæ; cum non violetur Ecclesia ob contactum seminis, aut sanguinis sed ob iniuriam factam loco sacro. Ex dictis patet non violari Ecclesiam per pollutionem naturalem, aut in somnijs sine culpa mort. nec per pollutionem, aut coitum occultum, sicut nec per homicidium, aut effusionem sanguinis occultam, etsi à duobus, aut tribus sciatur, dum non publicatur. Ita *Paludan. in 4. d.* 18. *q.* 8. *art.* 4. *Soto,* 17. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *Siluest. verb. consecrat.* 2. *Nau. in manu. cap.* 25 *num.* 251. Et patet ex cap. significasti, de adulterio: Vbi dicitur Ecclesiam esse violatam per quoddam adulterium, ex eo quod adultera publicè confessa est delictum: ergo requiritur publicitas. Et ex hoc etiam patet, non requiri sententiam declaratoriam iudicis, vt est communis sententia, contra Pennam citatum à Ledesm. Et patet ex vsu.

An vero violetur Ecclesia per copulam coniugalem publicam. In hoc Soto *d.* 23. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. negat, sed Caiet. *verbo, matrim.* Victor. *in sum. num.* 99. *& Nau. in manu. c.* 27. *n.* 253. affirmant. Sed ad hoc dico, quod si coniuges diu cogantur habitare in Ecclesia: nec extra eam ad coitum exire possint, sicut non peccant tunc coeundo, sic nec violatur Ecclesia, etsi talis coitus publicetur. Ita *Silu. verb. consecratio.* 2. *Coua. in* 4. *decre.* 2. *p. c.* 7. § 2. *Victo. nu.* 276. At si coniuges sine causa ibi coeunt, vtpotè, si possunt exire ad coitum extra Ecclesiam, aut si per breue tempus coguntur esse in Ecclesia, & facilè possunt abstinere à coitu ibi, peccant mort. petendo & reddendo debitum contra reuerentiam loci, & violatur Ecclesia si coitus publicetur. Ita *Ledesm.*

4. Violatur Ecclesia sepeliendo in ea excommunicatum. Ita *c. consuluisti de consecr. Eccl.* Et intelligitur post Conc. Const. de solo excommunicato non tolerato; nam iste solus est à nobis vitandus. Ita *communiter.* An verò Ecclesia consecrata,

ta, aut benedicta ab excommunicato non tolerato sit violata: Probabilius est quod sic. Ita *Ledesma cap.* 20. *de Eucharist. Palud. & Siluest. loco citat. Panormit. & Hosti. in cap. consuluisti*.

5. Violatur Ecclesia sepeliendo in ea infidelem. Ita *cap. Ecclesiam* 1. & 2. *de consecrat. d.* 1. Et intelligitur etiam per infidelem puer non baptizatus, si separatim à matre sepelitur: Secus si in vtero matris cum ea sepelitur. Ita *Silu. Ledesma, & alij*.

6. Violatur Ecclesia si eius parietes taliter ruant, vt sit necesse, quod iterum reædificetur, saltem quoad maiorem partem. Secus si paulatim ruat, & successiuè, & reparetur. Nam tunc non amittitur conseeratio. Nec sat est quod tectum ruat. Ita *in c. ligneis, de consec. Ecclesia, & Silu. verb. consecr.* 2. Nam vnctiones, & cruces consecrationis Ecclesiæ non in eius tecto, sed in parietibus fiunt. Et si Ecclesia non sit consecrata, sed benedicta, & parietes ruant, non amittit benedictionem, cum solum tantum benedicatur. Et sic durante solo durat benedictio. Ita *Silu*.

2. Conclusio. Violata Ecclesia violatur cœmiterium contiguum: cum iuxta regul. 42. iuris in 6. accessorium, quale est cemiterium, sequatur naturam principalis At non violatur Ecclesia violato cemiterio. Ita *cap. de consecrat. i n* 6. Et dicitur Ecclesia, quod manet versus parietem internam clauso ostio Ecclesiæ, aliud vero quod manet extra, etiam limen ostij. & sacristia non reputantur Ecclesia. Et ista violatio non habet locum in oratoriis: sed in Ecclesijs consecratis, aut benedictis.

3. Conclusio. Peccat mort. per se loquendo, qui celebrat in 4
Ecclesia violata: sed non incurrit aliquam censuram: cum nil tale in iure habeatur. Nec etiam incurritur irregularitas. Ita *c. is qui, de sen. excom. in* 6. *& Palud. in* 4. *d.* 8. *qu.* 8. *Silu. ver. consecrat.* 2. *Soto. d.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *Nauar. in manu. c.* 25. *num.* 83. *& Ledesm. c.* 20. *de Euchar*.

4. Concluf. Aliquando licet celebrare in Ecclesia violata: Primò, Ex priuilegio, vt religiosi, *de quo in nostra Epitom. lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 7. Secundò de licentia Episcopi. Ita cap. Missarum, *c. his ergo, de consec. d.* 1. Vbi dicitur, posse Missam celebrari vbi Episcopus permiserit, aut praeceperit. Nec hoc vetatur in Concil. Tridentin. sess. 21. decr. de obseru. in Missa, sed celebratio in domibus priuatis extra Ecclesiam, iuxta

dicta dub. 1. Tertiò, quoties ob necessitatem, iuxta dicta dub. 2. licet celebrare extra locum sacrum, licebit à fortiori celebrare tunc in Ecclesia violata: cum hoc sit illo decentius. Ita *D.Thom. 2. p. qu. 83. art. 3. ad* 2. etsi requirat Episcopi consensum. Sed intelligitur, si necessitas non sit ita euidens, aut vrgens.

5 5. Concl. Si Ecclesia inter celebrandum violetur, & Sacerdos incœperat canonem, perficiat suum ministerium, aliàs omittat Missam quousque Ecclesia reconcilietur. Et si Ecclesia erat benedicta, ipse Sacerdos potest eam statim reconciliare. Ita *c. si Ecclesia, de consecrat.* At si sit consecrata, à proprio Episcopo, aut ab alio de eius licentia, debet reconciliari. Et sic Sacerdos tunc omittet Missam: cum simplex Sacerdos, nisi ex commissione Papæ, non possit Ecclesiam consecratam reconciliare. Ita *cap. aqua, de consec. Ecclesia.*

Dubium 3. *An Sacerdos teneatur celebrare cum ara, & calice.*

6 1. Conclusio. Tenemur celebrare sub peccato mort. cum ara. Ita *D. Thom. art. 3. ad* 8. Et ara debet esse lapidea. Ita *cap. altaria, de consecr. d.* 1. Et significat Christi crucem, *vt ait D. Thom. art. 1. ad* 2. Et debet esse ita sufficiens, vt capiat calicem cum hostia, saltem quoad maiorem partem. Et est consecranda ab Episcopo. Nam simplex Sacerdos, nisi ex Papæ commissione, non potest eam consecrare. Et durat consecratio; quousque taliter frangatur, vt in neutra parte eius commodè ponatur calix, & hostia modo dicto. Ita *Siluest. verb. altare, Paludan. & Nauarr. loco citato iuxta cap. 1. & 3. de consecr.*

2. Conclus. Tenemur sub mort. celebrare cum calice, & patena ab Episcopo, aut à simplici Sacerdote ex commissione Papæ consecratis. Ita *D Thom ad* 6. Nam in cap. vlt. de celeb. Missar. ponitur pœna depositionis celebranti sine calice consecrato. Et durat calicis consecratio, quousque taliter diuidatur quod amittat formam, & quantitatem conuenientem suo vsui. Et si superficies calicis, & patenæ, vbi recipiuntur species Eucharistiæ iterum deaurentur, amittitur consecratio. Nam ista vasa consecrantur, ex eo quod immediatè tangunt Eucharistiam, sed in isto casu, quod immediatè tangit Eucharistiam iam non est consecratum, eo quod est de nouo deauratum; ergo. At si calicis copa intùs deaurata paulatim amittat deaurationem, non eget noua consecratione,

tione, vt ait Ledef.cum communi sententia vsu recepta. Item, etsi amittatur consecratio cùm copa calicis diuiditur à pede per fractionem, *vt ait Palud. in 4. d. 13. q. 2. art. 5. & Silu. ver. calix*. tamen si pes calicis sit tornatilis, id est, *de tornillo*, non amittitur consecratio ex hoc solo, quod à copa separetur, *ait Caiet. & Ledesm. contra Siluest. & Armill. verb. calix. Et nota*, quod calix debet esse aureus, argenteus, aut stanneus. Ita *cap. vt calix, de consecratio. d. 1.* Et erit peccatum mort. celebrare cum calice ferreo, plumbeo, aut vitreo, &c. Nam istæ & similes materiæ habent multa inconuenientia, aut quia sanguis potest effundi, aut nimis vasi adhærere, &c. Ita *D. Th. loco cit.*

An vasa vbi recipitur Eucharistia in sacrario, aut pro communicandis fidelibus seruanda, debeãt esse sicut calix aurea, argentea, aut stannea. Nil habetur in iure, & videtur esse idem, ac de calice, & patena.

An vero ista vasa debeant consecrari. In hoc probabile est quod non: cum ita teneant Sot. *d. 13. quæst. 1. art. 3.* Palu. *quæst. 1. art. 6.* & Sil. *ver. Eucharistia. 3.* & nil tale in iure præcipiatur, & à viris piis talis consecratio omittatur. Sed oppositum Durand. lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, cap. 10. videtur certius. Nam vt ait D. Thom. art. 3. nil debet tangere Eucharistiam ob eius reuerentiam, quod non sit consecratum, aut benedictum.

Dub. 4. *An Sacerdos teneatur celebrare cum corporalibus, & vestibus sacris.* 7

1. Conclusio. Tenemur sub mort. celebrare cum corporalibus. Ita D. Thom. ad 8. Et corporalia sint linea ab Episcopo, aut simplici Sacerdote ex commissione, benedicta, Ita *cap. consulto, de consecratio. d. 5.* Et cum corporalia sint sordida, sunt prius sub peccato saltem veniali à Sacerdote, aut Diacono lauanda, & lotio mittetur in piscinam. Ita *cap. nemo 2. de consecr. d. 2.* Et post primam lotionem licitè traduntur corporalia, & purificatoria mulieribus maximè Religiosis iterum lauanda. Ita *Siluest. verbo, mulierum peccata, & Ledesm. loc. cit.*

2. Conclus. Tenemur sub mortali celebrare cum amictu, alba cingulo, manipulo, stola, & casula. Ita *Palud. Soto, d. 3. Siluest. & Summista. ver. Missa, Nauarr. in man. cap. 25. num. 84.* Et patet, tum ex vsu Ecclesiæ: tum, quia sic præcipitur cap. vestimenta, de consecrat. d. 1. Etsi possumus vti stola pro cingulo, & manipulo pro stola, ait Sa. ver. Missa,

stola pro cingulo, & manipulo pro stola, ait Sa ver. Missa. Et vestes istæ debent sub peccato mort. esse benedictæ. Ita *Doctores citati*. Et patet ex vsu. Falso enim *ait Sa. & Sco. in 4.d. 13.q.2. & Ricard.art.3.q.4.* licere vti cingulo non benedicto, cum oppositum constet ex vsu Ecclesiæ. Potest tamen, ait Sa. ver. Missa, cingulum fractum necti, si altera pars non sufficit.

An vero deficiente aliqua ex dictis vestibus liceat in graui necessitate celebrare sine illa: Ad hoc dico ex Ledesm. non esse peccatum mort. tunc celebrare sine aliqua veste ex minoribus; vt sine manipulo, aut cingulo, ...

3. Conclusio. Licet secularibus tangere vestes Sacerdotales, & alia quæ non tangunt immediatè Eucharistiam, aut non sunt chrismatæ vnctæ. Peccabunt tamen venialiter, si absque necessitate tangant aram, calicem, patenam, aut corporalia. Ita *Ledes. Nau. Et cap sacratas*, &c. non oportet, d.21. præcipitur sæcularibus ne ista tangant, cuius etiam signum est, quod Pontifices concessere religiosis laicis ista tangere: ergo ex se erat illicitum. Imò quando in istis vasibus continetur Eucharistia, peccabunt mort. non Sacerdotes, aut non Diaconi ista tangendo sine necessitate. Ita *Palud.d 13.q.1. art.4. Ledes. & alij.*

8 Dub.5. *An teneamur celebrare cum candela accensa, & adiutore.*

1. Conclusio. Tenemur sub mort. celebrare cum candela accensa. Ita *c.literas, de celeb. Mis. Palud. Sot. d.13. Silu. Nau. & communiter.* Et patet ex vsu. Et candela ista debet esse cerea. Etsi in necessitate non videtur peccatum mort. celebrare cum lucerna olei. Ita *Lede. cap.20. de Euchar.*

2. Conclusio. D.Tho. art.5. ad 2. Non possumus regulariter siue adiutore celebrare. Ita *glossa in c. hoc quoque, de consec. d. 1. Soto d.13. quæst.2. art.5. ad 12.* Et addit quod etiam in festo, nisi alias solemnissimo, melius est non celebrare, quàm celebrare sine adiutore. *Et ita etiam Ledesm. c.27. de Euch.* Sed cum hoc stat licere celebrare sine adiutore, non solum in festo, sed etiam à fortiori pro recipiendo, aut porrigendo viatico, aut alia simili necessitate, sed non sine illa, *contra Sa. ver. Missa.* At nunquam licet mulieri etiam deficiente viro, accedere ad altare, aut presbitero ministrare. Ita *cap. 1. de cohabi. cler. cum muli. Et nota* quod etsi in cap. hoc quoque cit. præcipiatur, vt sine duobus Sacerdoti respondere scientibus non celebretur, quia nisi adsint saltem duo adiuto-

tores, non verificatur *Dominus vobiscum*, nec *Orate fratres*, &c. tamen hoc, ait D. Thomas, intelligitur de Missis solemnibus.

QVÆSTIO QVARTA.

De cæremonijs Missæ.

D. Thomas qu. 83. art. 4. & 5.

SVMMARIVM.

An sit peccatum mortale omittere cæremoniam vel partem aliquam Missæ, num. 1.
An teneamur dicere Missam diei; & num. cum ista satisfiat petenti alteram, num. 2.
An liceat ommittere Missam incœptam, num. 3.
Vel semel inceptam recipere, num. 4.

DVB. 1. *An Sacerdotes teneantur seruare ritum Missæ, vt in Missali habetur.*

1. Conclus. affirmatiua. Nam sic strictè iubetur in Conc. Trident. sess. 22. decre. de obser. in Missa. 1

2. Concl. Peccas mort. omittendo aliquam grauem cæremoniam, vt si consecres sine vlla cæremonia, vel, seclusa negligentia aut inaduertentia inculpabili, omittas partem notabilem Missæ, vt Epistolam, Euangelium aut integram orationem canonis. *Ita communiter*; cum iam transgrediatur dictum præceptum in re graui.

3. Conclusio Peccas ven. omittendo cæremoniam, aut partem paruam, etiam canonis Missæ. Nam violatio istius præcepti, sicut & aliorum, ex paruitate materiæ fit veniale peccatum.

4. Concl. Si omisisti partem Missæ, quæ non est de substantia sacrificij, vt *Gloria*, aut *Credo*, non repetas eam postea. Nam regulariter id non fit sine nota, *Ita Siluest. ver. Missa* 1. *& Ledesm. c.* 24. *de Euchar.* Et celebrando cum ministris sat est ab eis audire Epistolam, & Euangelium, *Ita communiter contra Nau. in ora. miscela.* 78.

Dub. 2. *An teneamur dicere Missam diei.* 2

1. Concl. Si Missa diei sit de feria, potes tunc dicere aliam votiuam. Patet ex vsu timoratorum. Imò, si festum non sit duplex potes ex causa rationabili dicere Missas votiuas, vel si petitur Missa de defunctis: Et hæc procedunt de Sacerdote in particulari. Nam in Ecclesijs Cathedralibus, Collegialibus, & Conuentualibus dicenda est in communitate Missa diei. Nam sic præcipitur c. quidam, &c. cum creatura, de celeb. Mis. *An vero Sacerdos particularis possit pro vna Missa petita dicere aliam, ad hoc sit*

2. Concl. Optimè satisfacis dicendo Missam diei. Tum quia sic conformaris regulæ Missalis. Tum etiam, quia æquè prodest vna Missa, ac alia. *Ita Ledes. cap. 14 de Euchar. Siluest. verb. Missa, Soto, dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *Nauar. c.* 21. *nu.* 7. Et saluberrimum consilium est ita facere. Imò, *vt ait Ang. verbo Missa*, non excusatur à peccato, qui in festis solemnibus omittit Missam diei.

3 Dub. 3. *An liceat omittere Missam incœptam.*

1. Concl. Peccas mort. id faciendo sine causa vrgentissima. Nam cap. nullus. 3. de conse. d. 1. ponitur pœna suspensionis isti peccato. Et enim maxima irreuerentia, ait Ledesma, et si non incurratur excommunicatio, *ait Nauar. in ora. Misce.* 42. *Salce. cap.* 45.

2. Concl. Ex causa legitima, illud licet. 1. Si incœpta Missa, superuenit tibi infirmitas, ita vt commodè, & reuerenter eam perficere nequeas. 2. Si incœpta Missa, recordaris te non esse ieiunum, aut esse excommunicatum, suspensum, interdictum, aut irregularem, omittes Missam: si alias non sequitur scandalum, vel non incœpisti consecrare. *Ita Nau. in Man. c.* 25. *n.* 75. 3. Si excommunicatus non toleratus nolit exire à Missa. & alias non incœpisti canonem, *vt ait Nau. in c.* 27. *n.* 34. omittes Missam. Et idem si non incœpto canone ponitur cessatio à diuinis, aut violatur Ecclesia consecrata, & alias non habes priuilegium celebrandi tunc. At si inter celebrandum ponatur interdictum, perficies Missam ianuis clausis.

An liceat iterum incipere Missam incœptam? Ad hoc sit

3. Concl. Peccas mort. repetendo missam, incepto canone, ob quamuis causam. Nam vt ait Ledesma, est notabilis irreuerentia. At si ablato scandalo ob insignem personam, aut ob alios qui tenentur audire Missam, repetas Epistolam, aut Euangelium, non peccas mort. *Ita Nau. cum alijs in orat. miscela, q.* 42. *n.* 633. *contra Salce. in pract. crim. n.* 42.

n. 42. *& Man. Rod. in sum. c.* 244. Imò id facere sine causa, non videtur Petro de Ledesma peccatum mortale. Sed hoc non est consulendum. Nam saltem erit peccatum ven. prædicta repetere, etiam cum causa. Vide D. Th. ar. 4. non sine diuino numine explicantem cæremonias Missæ.

QVÆSTIO QVINTA.

De defectibus in Missa occurrentibus.

D. Thomas. q. 83. art. 3.

SVMMARIVM.

Quomodo occurrendum defectibus Missa, num. 1.
Quid agendum si sumendo calicem reperis esse aquam, num. 2.
Quid si sit defectus circa substantiam panis, num. 3.
Quid si sit defectus in forma, num. 4.
Quomodo occurrendum defectibus accidentalibus, num. 5.
Quid si sacerdos post consecrationem infirmetur, num. 6.
Quid si species consecrata sint venenata, num. 7.
Quid si sanguis efundatur, num. 8.

DVBi 1. *Quomodo occurratur defectibus Missa.*

1. Concl. D. Thom. Defectus substantialis in materia, aut forma, est necessario supplendus. Erit enim mortale peccatum efficere sacrificium imperfectum, v. g. si consecrata hostia non habes vinum in calice, pones illud antequam vltra procedas. Etsi non reperitur, omissis cæremonijs circa vinum, procedas vltrà. Sic habetur in Missali Romano. Et si sumpto calice reperis esse aquam, deglutіes eam, *ait* Ledesm. *contra Silu. & Angel.* Nam excusaris, tunc, *ait D. Thom. ad* 4. à præcepto sumendi Eucharistiam ieiunus. Et consecra vinum & sumes statim: & sic perfice sacrificium cum speciebus panis iam sumptis. *Ita Scot. in* 4. *distinct.* 8. *quæst.* 3. Et hoc cum in publico celebratur, *iuxta Soto, distinct.* 13. *quæst.* 2. *art.* 6. *& Nauar. in manua. cap.* 25. *num.* 91. ob vitandum scandalum. Nam hoc ablato, vtpotè in secretò celebrando, sententia Diui Thomæ ad 4. quod alia hostia est consecranda cum vino, & resumendus canon. vt probabilior, est tenenda. Sed si defectus noscitur ante sumptio-

ptionem hostiæ, posito vino cum aqua resumes ab illis verbis, *simili modo*, &c. cum ambæ spec es tunc sint simul. *Ita D. Th.*
3 Et si defectus sit in hostia, vt si sit hordeacea, hoc noto ante consecrationem, pones aliam, & ea simul cum vino oblata, repete canonem. *Ita Ledes & communiter*. Et si non inuenitur hostia triticea, non procedas vltra, cum nulla etiam in vino sit facta consecratio. At si defectus iste noscitur consecrato vino, & non sumpto, *iuxta Palud. & Angelum* sat erit consecrare tunc hostiam, & idem quando defectus noscitur sumpto vino, cum ordo consecrandi prius hostiam non sit ita simpliciter necessarius. At iuxta D. Thomam ponantur nouæ species panis, & vini, eas offerendo, & resumendo canonem, vt sic debitus ordo in consecratione seruetur. Hæc de defectu substantiali materiæ.

4 Si tamen defectus in forma, vt si omittis aliquid substantiale formæ, aut si non habuisti intentionem consecrandi, &c. & contingat in ambabus speciebus, sumpta vna earum saltem, cum iam nec sis ieiunius, nec sacrificium inceptum, nihil suppleatur. Sed nulla specie sumpta teneris ambas species consecrare resumendo ab illo, *qui pridie*, &c. non vt perficiatur sacrificium, cum non sit inceptum: sed vt tollatur fictio, & ne detur fidelibus occasio adorandi quod non est adoratione dignum. At si sola hostia consecrata, & non sumpta, consecrabis vinum resumendo ab illo, *simili modo*, &c. Et si solus sanguis sit consecratus, siue sit sumptus, siue non: pone aliud vinum, & hostiam, si prior sit etiam sumpta, & istis oblatis, resumes totum canonem, vt sic debitus ordo in consecrando, seruetur & perficiatur sacrificium. Et patet hoc ex dictis circa defectum materiæ. Sed si Sacerdos probabiliter dubitet de sua intentione, repetat verba formæ, sub conditione saltem tacita sine canone, *vt ait Ledesma contra Scot. Palud. & Angelum.* At si dictum dubium ex scrupulo oriatur, deponatur, & nihil suppleatur.

5 2. Concl. Defectus accidentalis grauis, vt si panis sit fermentatus, aut si in vino non sit gutta aquæ immissa, suppleatur ante consecrationem, non tamen postea. *Ita D. Th. ad* 4. At si defectus non sit ita grauis, vt si hostia sit cum macula, aut fracta, aut vinum parum acidum, sed est verum vinum: si hoc noscitur à principio, ponatur alia materia ante oblationem, imò & postea, secluso scandalo, sed non post consecra-

secrationem. Et si non sit alia materia, cum illa celebrabis, nisi alias adsit scandalum.

Dub. 2. *Quid fiet, si post consecrationem euenit impedimentum sumptionis Eucharistiæ; aut quia Sacerdos infirmatur, aut Eucharistia est venenata, aut sanguis effunditur? &c.*

1. Conclusio. Si Sacerdos vna saltem specie consecrata ob infirmitatem vltra procedere non valet, substituatur alius pro perficiendo sacrificium. Ita *D. Thom. ad* 1. Et iste incipiet ab eo puncto, vbi alter cessauit. Ita *D. Thom. in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *art.* 4. *& Soto dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. Et substitutus sit ieiunus, si fieri possit, sin minus, per non ieiunum perficiatur sacrificium. Sed an iste teneatur supplere illud: Soto tenet quod non, secluso scandalo; Nauar. tenet quod sic. Et vtrumque, ait Ledesma, est probabile. At si non sit Sacerdos, qui perficiat sacrificium, species consecratæ, etiam vini, possunt sumi à laico, non vt perficiat sacrificium, cùm hoc sit solius Sacerdotis habentis characterem ad consecrandum, & sacrificandum, sed ob reuerentiam Sacramenti. Ita *Ledesma*. 6

2. Conclusio. Si species consecratæ sint venenatæ, seruentur quousque corrumpantur, & posteà in piscinam mittantur, aut vinum corruptum in panno, aut stupa receptum comburatur, & cineres in piscinam mittantur. Ita in Missali Romano. Et posita alia specie pro venenata, resumat ab illo. *Qui pridie, &c.* si est hostia, aut ab illo. *Simili modo, &c.* si est vinum. Ita *D. Thom. ad* 3. Et idem si in hostia appareat caro, aut puer, illa specie reseruata, alia pro illa consecretur. Ita *D. Thom.* 3. *par quæst.* 82. *art.* 4. *ad* 3. Et si aránea, aut musca cadit in sanguinem ex quo manet venenatus, fiat de illo, vt nunc dixi. At si non manet venenatus, sumatur à Sacerdote cum illo animali si fieri possit sine periculo vomitus, aut alio graui damno. Sin minus, extracto animali, & priùs loto, comburatur, & mittatur in piscinam, & sanguis sumatur. Ita *D. Thom. ad* 3. 7

3. Conclusio. Si hostia dispareat, aut totus sanguis effundatur, alia hostia, aut vino posito, & oblato resumes à consecratione modo dicto. Sed si aliqua pars hostiæ, aut sanguinis manet, cum eis perficiatur sacrificium. Et si sanguis cadat in terram, radatur, & rasuræ comburantur, & mittantur in piscinam. Si cadat in tabulam, tapetem, aut lapidem lambantur à Sacerdote: deinde radantur, & rasuræ combustæ mittantur in piscinam. 8

ſcinam. Si cadat in ſindonem altaris, in corporalia, aut veſte Sacerdotale, lauentur iſta ter ſuper Calicem, & aqua lotionis mittatur in piſcinam. Ita *D. Thom. ad 7. ex c. ſi per negligentiam, de conſecrat. d. 2.* Et de ſindone dicitur in Miſſali Romano, quod combuſta parte tacta à ſanguine poſt lotionem, mittatur in piſcinam cum lotione.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

D. Thomas 3.par. quæſt. 84.

SVMMARIVM.

Pœnitentia Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & materia eius proxima ſunt actus pœnitentis, num. 1.

Materia verò remota, & circa quam, ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, num. 2.

Forma autem, hæc verba, abſoluo te, *& eorum ſignificatio, num.* 3.

Non ſola abſolutio, ſed etiam actus pœnitentis cauſant gratiam, num. 4.

Probabilius etiam abſolutio poſtea exercita, num. 5.

Quomodo hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem, nu. 6.

An ſit iterabile circa peccata confeſſa, num. 7.

An confeſſio peccatorum ſemel dimiſſorum, ſit facienda cum nouo dolore, num. 8.

NOta ex *D. Thom. art.* 1. Pœnitentiam eſſe vnum ex ſeptem Sacramentis, à Chriſto inſtitutum in illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis, &c.* Ita diffinitur *in Concil. Trid ſeſſ. 6. cap* 14. *& ſeſſ. 14. cap. 1. & can.* 1.

1 Dub. 1. *An peccata ſint materia pœnitentiæ.*

1. Concluſio. *D. Thom. art.* 2. Materia proxima Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, vtpotè, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ita diffinitur *in Concil. Florent. & Trident. ſeſſ. 14. can* 4. Et patet: Nam iſta immediatè determinantur, & informantur per formam abſolutionis ad componendum hoc Sacramentum, & efficiendum vnum ſignum practicum gratiæ remittentis peccata. Ex quo patet contra Durand. quod non

ſola

sola absolutio, & confessio, sed & contritio, & satisfactio componunt hoc Sacramentum. Alias, sicut datur Baptismus sine vllo dolore, sic daretur Sacramentum pœnitentiæ sine dolore, & proposito satisfaciendi, quod est absurdum. Verum est istas partes non componere æquè hoc Sacramentum. Tum quia hoc Sacramentum non saluatur sine confessione, & contritione, seu attritione, benè tamen sine actuali satisfactione, cum solo proposito satisfaciendi. Tum etiam, quia confessio est signum sensibile, non sic contritio, cum resideat in corde. Et sic ex se non est signum sensibile, sed per confessionem per quam manifestatur.

2. Conclusio. *D. Thomæ ibi*. Peccata sunt materia remota pœnitentiæ. Non materia ex qua, cum ex eis non componatur hoc Sacramentum, nec materia in quam introducatur forma, sed materia circa quam destruendam versatur pœnitentia, sicut misericordia circa miseriam repellendam, & ignis circa lignum comburendum. Ex quo patet; quod etsi in Baptismo non sola materia proxima vt ablutio, sed & remota, vt aqua, eleuetur ad causandum gratiam, sed non sic peccata in pœnitentia: Nam aqua perseuerat in Baptismo, non verò peccata in pœnitentia: sicut idem dicitur de substantia panis in Eucharistia.

3. Conclusio. *D. Thom. ad* 3. Peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ, sed venialia sunt materia sufficiens, & propria, in quam licitè cadit absolutio. Ita diffinitur *contra Luther. in Concil. Trid. sess.* 14. *can.* 7. *& in Bulla Leonis* X.

Dub. 2. *An peccata ante Baptismum, aut in Baptismo commissa, sint materia Sacramenti Pœnitentiæ.* 2

1. Conclusio. *D. Tho* 3. *par. q.* 63. *art.* 10. *ad* 2. Peccata ante Baptismum commissa non sunt materia pœnitentiæ. Ita *communiter contra Angel. verb. Baptismus* 6. *& Ricard. in* 4. *d.* 16. *art.* 2. *q.* 4. Et patet 1. *ex Concil. Trid. sess* 14. *c.* 1. vbi ait hoc Sacramentum esse institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa. 2. Ad absoluendum sunt necessariæ claues, & iurisdictio: vt patet ex illo Matth. 16. *Tibi dabo claues, &c.* & Ioan. 20. *Quorum remiseritis, &c.* Sed in Ecclesia non est iurisdictio in peccata commissa ante Baptismum, cum extra Ecclesiam committantur: ergo.

2. Conclusio. Peccata commissa cum Baptismo, vt si cum actu baptizaris, cupis mulierem, non sunt materia pœnitentiæ. Ita *D. Tho. & Caiet. loc. cit.* Nam cum ista non sint peccata homi-

hominis baptizati, non sunt commissa intra Ecclesiam. Secus si illa peccata post Baptismum continuentur iuxta *quæst.* 4. *de Baptis. dub.* 4. Et tunc baptizatus, etsi recipiat Baptismum, & characterem, sed non gratiam, & remissionem peccatorum. At recipiendo postea Sacramentum Pœnitentiæ, per illud tollitur illa fictio, & peccatum, quo ablato Baptismus præcedens remittit peccata antecedentia, & comitantia Baptismum. Et sic ad ista peccata concurrunt Baptismus, & Pœnitentia; Baptismus per se, & Pœnitentia, vt causa per accidens, remouendo prohibens. Ita *D. Thom. loco citato.*

3 Dubium 3. *An forma Sacramenti Pœnitentiæ sit*, Absoluo te.

1. Conclusio. *D. Thomæ art.* 3. Affirmatiua, & diffinita in Concil. Flor. & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. Nam Matth. 19. & Ioan. 20. datur Discipulis potestas exercendi hoc spirituale iudicium, & remittendi peccata: ergo illa verba erunt forma istius iudicij, & Sacramenti, quibus explicatur vsus talis potestatis, & eius virtus, sicut explicatur istis verbis, *absoluo te*, & alijs æquiualentibus, vt si dicas, *remitto*; aut *condono tibi peccata*, aut *absoluaris*.

2. Conclusio. Illa verba, *à peccatis tuis*, sicut & expressio Trinitatis, nec sunt de essentia, *contra Durand. Paludan. in 4. dist. 22. q. 3. & Angelum verb. confessio* 5. nec etiam sunt de integritate, *contra Martin. de Ledes.* 3. *par. q.* 84. & sic nec peccas mortaliter illa omittendo. Nam satis intelligitur, quod illa absolutio sit à peccatis: cum hoc Sacramentum sit iudicium circa peccata, de quibus præcessit accusatio. Et ista est sententia *D. Thom. Caietan. loc. cit. ad* 3. *D. Anton.* 3. *par. tit.* 17. *cap.* 21. §. 1. *Siluest. verb. absolutio. Nauar. in manu. cap.* 26. *num.* 11. Et in Concil. Flor. & Trid. sola ista verba. *Ego te absoluo*, assignantur pro forma.

3. Conclusio. Sensus istorum verborum, *ego te absoluo*, non est, ego ostendo te absolutum, *vt dicebat Magister senten.* sed, ego impendo tibi Sacramentum absolutionis, & verè te absoluo. Ita *D. Thom. art* 3 *ad* 5. *Caiet. Soto, & communiter*. Nam Sacramenta sunt signa practica gratiæ, vtpotè efficientia quod significant. Quia etsi solus Deus sit causa principalis gratiæ, tamen Sacramenta, & ministri sunt instrumenta eius. Et vt dicitur *in Concilio Florent. decret. de vnio. Armil. & in Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 6. Sacerdotes verè absoluunt, & remittunt peccata, & non pœnas solùm, vt dicebat *Ricard. lib.* 1. *de potest.*

potest. leg. cap. 12. Hugo lib. de Sacrament. part. 14. cap. 8. & Medin. tract. de Pœnitent. Si arguas, quòd quando accedis contritus ad hoc Sacramentum verè recipis illud, & tamen non absolueris à peccatis, cùm ista iam sint per contritionem dimissa: ergo. Ad hoc dico 1. quod etsi peccata sint iam dimissa, sed non iudicialiter, sed hoc fit per sententiam Sacerdotis. Sicut in iudicio sæculari, debito dimisso, absoluitur homo iudicialiter per sententiam iudicis. Et idem est de peccato iam confesso, & dimisso, quod si iterum confitetur, verè absoluitur. Hæc enim est natura iudicij; vt si sæpè in iudicio repetatur eadem materia, possit cadere super eam sententia iudicis. In iudicio enim sæculari sæpè homo accusatur, & absoluitur ab eodem delicto. 2. Dico illa peccata esse dimissa per contritionem in ordine ad hoc Sacramentum: & sic quando in re suscipitur, dicuntur absolui in hoc tribunali Sacramenti Pœnitentiæ, in quo nondum erant absoluta.

Dub. 4. *An sola absolutio causet gratiam*. 4

1. Conclusio. Non sola absolutio, sed & actus pœnitentis, vt instrumenta Dei causant gratiam istius Sacramenti. Ita *D. Thom. art. 1 ad 3. & art. 2. ad 1. & ibi Caietan. & Thomista, & clarius, q. 86. artic. 6. Ricard. Palud. Capr. & Soto, dist. 14. q. 1. art. 1. & d 18. q. 3. art. 1. Cano relec. de pœnitent. q. 5. dub. 1. Fer. 4. con. cap. 72. & communiter contra Vega lib. 13. de iust. c. 15. & alios.* Itaque actus pœnitentis, non ex se, alias pœnitens suis actibus absolueret se à suis peccatis, sed eleuati per absolutionem, participant ab ea virtutem causatiuam gratiæ. Sicut in ferro candenti participatur virtus ignis ad comburendum, & sicut aqua eleuata per formam Baptismi causat gratiam Baptismi. Et ita patet *ex Concilio Tridentino sess. 14. cap 3.* vbi dicitur, quod vis causatiua gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ, est præcipuè in verbis Sacerdotis, vbi insinuatur, quod etiam sit, etsi non ita præcipuè, in actibus pœnitentis. 2. Sacramenta efficiunt quod significant. sed significatio illius Sacramenti, etsi sit præcipuè in absolutione, existit etiam in actibus pœnitentis, cum ex eis, sicut ex materia, & ex absolutione, sicut ex forma, efficiatur vnum Sacramentum, & signum practicum: ergo. *Si arguas*, gratia istius Sacramenti datur virtute clauium, & per iurisdictionem cum qua fertur sententia, sed ista sunt in solo Sacerdote: ergo. *Ad hoc dico*, effectum istius Sacramenti causari à clauibus, &c. cum virtus remittendi peccata, & causandi gratiam sit præ-

cipuè in verbis Sacerdotis, tamen ex eis communicatur etiam actibus pœnitentis.

Maius dubium est de satisfactione, an causet gratiam. Nam aliqui negant, & dicunt, quod vt sit pars Sacramenti, sat est causare gratiam, vt contentam virtualiter in contritione, & confessione, aut in proposito eam implendi, cum acceptatur, etsi cum impletur postea, non causet gratiam. Sed ad hoc sit

5 2. Conclusio. Probabilius est, quod satisfactio quando impletur, si non adsit impedimentum peccati mortal. causat gratiam ex opere operato, vt dicit ordinem ad claues Ecclesiæ. *Ita Ledesma cap. 6. de Pœnitent. dub. 2.* Et colligitur ex Diu. Thom. quæst. 90. art. 2. ad 2. vbi ait, satisfactio prout est in proposito, causat gratiam, & auget illam, prout est in executione. 2. Satisfactio quæ est pars istius Sacramenti, non est quæ clauditur virtualiter in contritione, confessione, aut proposito eam implendi, sed quæ postea realiter exercetur: ergo ista in quantum est sub præcedenti absolutione, causat gratiam. *Si arguas,* Gratia pœnitentiæ causatur in instanti terminatiuo prolationis istorum verborum Sacerdotis, *Ego te absoluo*: sed satisfactio fit postea; ergo: *Ad hoc dico*, quod in illo instanti causatur gratia essentialis Sacramenti: at quando postea fit satisfactio, causatur quædam perfectio & augmentum gratiæ, vt patet ex D. Thom. loco citato. Sicut enim satisfactio est pars integralis istius Sacramenti, sic gratia ab ea causata efficit perfectionem & integritatem eiusdem gratiæ. Ex quo patet, non peccare mortalit. qui implet satisfactionem in peccato mortali, cum non ponat obicem effectui essentiali, sed soli perfectioni, & integritati eiusdem effectus. Sicut qui sumit Eucharistiam sine debita attentione, non peccat mort. etsi ponat obicem perfectioni gratiæ dandæ actualiter attentis & deuotis. *Si obijcias*: Alias, qui in peccato mortali, commisso post absolutionem cum sola attritione impleret satisfactionem, fieret ex attrito contritus, ac si reciperet Sacramentum; *Ad hoc dico* quod efficere ex attrito contritum est proprietas totius Sacramenti & non partium seorsum. Item satisfactio est causatiua gratiæ in vi præcedentis absolutionis, vt dixi. At talis absolutio non se extendit ad peccatum post illam commissum, cum quo impletur satisfactio: cum non sit subiectum clauibus Ecclesiæ.

Dub. 5.

Dub. 5. *An Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium ad salutem.* 6

1. Conclusio. D.Thom.artic.5. Hoc Sacramentum non est absolutè necessarium ad salutem: cum multi, vt Beatissima Virgo, sine eo sint saluati. Est tamen absolutè necessarium baptizatis mortaliter peccantibus. Ita in Conc Trid. sess. 6. cap. 14. & Matth. 3. & Luc. 13. explicatur necessitas pœnitentiæ pro peccatorum remissione, ita vt sine ea non iustificet homo: sed ista pœnitentia ex Christi instituto debet esse secundum iudicium Sacerdotis absoluentis per potestatem clauium à peccatis, sine quo, aut sine ordine ad illud non remittuntur peccata: ergo.

2. Conclusio. Dum dicitur pœnitentiam esse medium necessarium ad salutem, sermo est de pœnitentia in re, vel in voto, seu desiderio Ita *declaratur in Conc. Triden. sess. 6. cap. 14 & sess. 14. cap. 4.* Imò nec requiritur semper votum explicitum pœnitentiæ, quo recordatus Sacramenti Pœnitentiæ doleas de peccatis, & proponas confiteri suo tempore, & habita opportunitate; sed si non recorderis peccatorum, sat est votum, seu desiderium implicitum inclusum in actu dilectionis Dei super omnia, vt dicemus dub. 1. de contritione: aut si ignarus Sacramenti Pœnitentiæ, & recordatus peccatorum doles de eis, & firmiter proponis emendam. In isto enim proposito & dolore clauditur implicitè propositum confitendi.

Dub. 6. *An Sacramentum Pœnitentiæ sit iterabile.*

1. Concl. D.Th. art. 10. affirmatiua. *In Conc. Trid. sess. 14. can. 1.* & cap. omnis vtriusque sexus, præcipitur fidelibus confessio annualis. Imò viri timorati sæpè confitentur eadem peccata, cum aliquando dubitent probabiliter, an sint dimissa ob defectum doloris, aut aliter. Imò etsi constet esse dimissa quoad culpam: & pœnam iterum licitè confitentur. Nam tunc datur noua materia, vtpotè nouus dolor, & confessio peccatorum iam dimissorum, & propositum satisfaciendi pro eis: ergo potest applicari forma absolutionis, qua constituatur nouum Sacramentum, & detur noua gratia. Nec est idem de hostia consecrata, quæ non est iterum consecrabilis, cum maneat panis, qui consecretur, & sic forma secundo repetita non cadit supra aliquam materiam: at forma absolutionis cadit supra nouam confessionem peccatorum, &c. quæ sunt materia proxima pœnitentiæ.

8 *An vero sufficiat repetere vocalem confessionem eorundem peccatorum dimissorum sine nouo dolore?* In hoc

2. Conclusio. Probabile est quod non. Nam materia proxima pœnitentiæ non est sola confessio, sed & contritio, & satisfactio: ergo totum est repetendum. Sed probabilius est oppositum. Ita *Ledesm cap.4.de pœnitent. dub.2.* Nam repetita sola confessione vocali, repetitur materia proxima; etsi non totaliter: & hoc sat est vt iterum repetatur forma. Et sic patet ad argumentum oppositum. Præterquam quod repetita confessione vocali repetitur saltem virtualiter dolor in ordine ad confessionem vocalem. *Si arguas.* Nam etiam sat erit repetere dolorem eorundem peccatorum sine noua confessione vocali, cum contritio sicut & confessio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ: *Ad hoc nego antecedens.* Nam etsi contritio sit absolutè principalior confessione: tamen confessio in ratione partis Sacramenti est præcipua. Imò contritio non est pars Sacramenti nisi in ordine ad confessionem vocalem: cum non sit signum sensibile, nisi in quantum per confessionem manifestatur, vt dixi dub.1. Et sic si non repetitur confessio, etsi repetatur contritio, non repetitur materia proxima sensibilis.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Contritione.

D. Thom. in addit. q. 1.

SVMMARIVM.

Quid sit contritio. n.1.
An necessario coniuncta dilectione Dei supernaturali n.2.
An contritio formalis sit necessaria ad iustificationem. n.3.
An vna contritio sufficiat pro omnibus peccatis. n.4.
Quomodo differant contritio & attritio. n.5.
An Attritio sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum. n.6.
An contritio deleat omnem culpam & pœnam. n.7.
An sit in præcepto & quando obliget. n.8.

DVB. I.

DVB. 1. *Quod sit contritio*.

1. Conclusio. D. Thom. art. 2. Contritio est actus virtutis pœnitentiæ. Pœnitentia enim virtus est habitus supernaturalis à Deo infusus consequens gratiam in subiecto capaci, vtpote, in homine peccatore, quo recuperet vitam gratiæ peccato mortal. amissam. Et sic virtus ista versatur circa peccatum mort. destruendum, non vt est contra Deum aut proximum: cum hoc sit munus charitatis, sed vt est offensa Dei, *ait D. Tho. 3. p. q. 83. art. 2. & 3.* intendendo satisfacere pro illo, & reconciliare hominem cum Deo: quod præcipuè assequitur per contritionem, & ab ea specificatur. *Et nota*, quod contritio potest considerari & secundum ea, quæ includit ex natura sua, & in omni statu, & vt est pars Sacramenti Pœnitentiæ. 1,

2. Conc. Contritio ex sua natura est dolor pro peccatis assumptus, id est, displicentia, seu detestatio, & odium peccati. Ita communiter cum D. Tho. art. 1. *Et nota* 1. Quod de essentia istius contritionis est propositum emendandi vitam seruando mandata, & cauendo peccata futura. Ita *D. Tho. 3. p. qu. 85. art. 3. & 4.* Et patet ex *Conc. Trid. sess. 6. ca. 6. & sess. 14. cap. 4.* vbi dicitur, quod contritio est dolor & detestatio peccatorum cum proposito emendæ. Imò hoc includitur in ipsa detestatione. Nam contritio dicit satisfactionem amicabilem ordinatam ad reconciliationem, sed hoc non intelligitur, vt patet etiam in humanis, sine dicto proposito emendæ explicito regulariter, vtpotè, quoties homo recordatur malæ vitæ præteritæ, quod regulariter occurrit pœnitenti. At si aliquando non occurrant homini sua peccata, non tenetur habere explicitum propositum cauendi, sicut nec confitendi illa. Nam contritio est vltima dispositio ad gratiam, sed potest haberi contritio, sine illo proposito explicito, & cum sola displicentia, in qua consistit essentialiter contritio, & à qua causatur tale propositum quando peccata occurrunt memoriæ ergo:

2. *Nota*. Quod contritio semper habet adiunctam dilectionem Dei supernaturalem, saltem implicitam. Nam charitas est medium necessarium ad iustificationem, iuxta illud. 1. Ioann. 3. *Qui non diligit manet in morte*, sed contritio disponit immediatè ad iustificationem: ergo, &c. Imò præter actionem Dei conuertentis ad se cor hominis, 2

iuxta illud Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: concurrunt ad iustificationem actus fidei, iuxta illud ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, & actus spei; nam contritio est dolor de peccatis cum spe veniæ. Sed non est necesse, quod quoties iustificamur, habeamus actualem motum fidei & spei, vt experientia patet, sed sat est virtualis motus fidei & spei. Sæpè enim mouemur contra peccatum sine eo quod actu iudicemus Deum esse iustificatorem, & pœnitentia placari. Et multo minus concurrunt necessariò cum contritione actus timoris seruilis, aut filialis, etsi aliquando præcedat aliquis timor, maximè seruilis. Timore enim pœnarum concussi aliqui peccatores solent à peccato reuocari. Et licet. D. Thom. 3. p q. 85. art. 5. inter actus requisitos ad contritionem numeret omnes actus dictos, ideo est quia omnes solent concurrere, etsi non eodem modo, nec eadem necessitate.

An possit peccator iustificari sine actu formali pœnitentiæ detestantis peccatum: Ad hoc dico, quod regulariter illud non fit, cum regulariter occurrant homini sua peccata mort. sine quorum detestatione non iustificabitur: at si peccata non occurrant homini, vt si subito rapitur ad martyrium iustificabitur, *contra Cano. & alios quos sequitur Ledesm. cap. 6. de pœnitentia, concl.* 13. per actum virtualem pœnitentiæ inclusum in actu dilectionis Dei super omnia. Et patet ex D. Thom. 3. part. quæst 87. art. 1. vbi ait, quod ad remissionem peccatorum mort. oblitorum post diligentem inquisitionem, sat est virtualis displicentia, & pœnitentia reperta, scilicet, in actu charitatis vt in causa.

3 3. Conclusio. Contritio vt pars Sacramenti Pœnitentiæ, est dolor pro peccatis assumptus, id est, displicentia, & detestatio peccatorum cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Nam etsi contritio ex sua natura tale propositum non includat, vt patet in contritione hominis non baptizati: secus est de contritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Nam partes cuiusuis totius dicunt ordinem ad se inuicem, 2. Nam cum in lege noua confessio sit necessaria baptizatis mortaliter peccantibus, votum confessionis saltem implicitum debet necessariò includi in contritione peccatoris baptizati: alias contritio non iustificabit sine tali voto.

Dub. 2. *An sufficiat vna contritio pro omnibus peccatis.*

1. Conclusio. Vna sola contritio, siue loquendo de ea ex natura sua, siue vt est pars Sacramenti Pœnitentiæ, sat est pro

pro omnibus peccatis. Ita *Caieta. 2. p. quæst. 87. art. 1. Soto d. 17. q. 2. art. 3. cano. relect. de pœnit. par. 3. & Ledesma cap. 6. de pœnit. con. 3. contra Alex. Ricard. Durand. & Palud. ab eo citatos* Alias si essent necessariæ tot contritiones, quot peccata, non posset homo multis irretitus peccatis in momento iustificari. Nam in tam breui spatio non posset habere tot contritiones.

2. Conclus. Dicta contritio etsi vna formaliter debet esse plures virtualiter, per hoc quod singula peccata mort. saltem implicite, & virtualiter detestetur Ita *ex D. Thom. 3. p qu. 87. art. 1. Adria. q. 3. de bap Soto, Cano. & Ledes con. 4.* Nam quouis peccatum mort. auertit à Deo: ergo contritio, quæ conuertit hominem in Deum, saltem virtualiter debet detestari singula auertentia à Deo.

An vero necess e, vt ista vna contritio, saltem vt est pars Sacramenti, expressè detestetur omnia peccata mort. distinctè cognita. Ad hoc.

3. Conclosio. sit negatiua. *Ita Caieta. q. 2. de contrit.* Nam peccator in omni statu potest in momento iustificari: sed in tam breui spatio non potest homo cogitare expressè tot peccata: ergo.

4. Concl. In ordine ad confessionem faciendam sunt distinctè cogitanda singula peccata morta. & detestanda, siue per vnam, siue per plures contritiones. Ita *communiter Caiet. Soto, Cano. Ledesm. & alij.*

Dub. 3. *An requiratur contritio ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

In hoc Soto d. 12. q. 1. art. 4. ait, quod ad recipiendum gratiam istius Sacramenti est necessaria vera contritio, sed ad dignè recipiendum Sacramentum alias informe, sat erit attritio reputata contritio.

Sed nota. Quod contritio, & attritio conueniunt 1. in hoc quod vtraque versatur circa peccatum, detestando illud, & auertendo voluntatem ab eo 2. in hoc, quod vtraque secundum suam substantiam est supernaturalis: nec elicita viribus naturæ. Diffinitur enim in Concil. Trident. sess. 6. can. 3. Neminem posse pœnitere sicut oportet, vtpotè ad iustificationem, ex solis naturæ viribus, sed ex auxilio Dei præueniente, & eleuante potentiam: Sed differunt attritio, & contritio. 1. Quod contritio est actus virtutis Pœnitentiæ; At attritio non oritur ex aliqua virtute, sed ex quodam auxilio supernaturali concesso à Deo per modum dispositionis,

2. Quod contritio est dolor perfectus vtpotè procedens ex sua natura ex motiuo dilectionis Dei super omnia: At attritio est dolor imperfectus, vtpote procedens ex alio imperfectiori motiuo, v.g. ex timore pœnarum inferni, ex turpitudine peccati, aut ex carentia diuinæ visionis, &c. 3. Quod attritio; cum sit dolor imperfectus per se sola sine Sacramento, etiam cum voto, & desiderio illius non iustificat. *Ita communiter*. Nam attritio, etsi tollat affectum peccati, sed non tollit peccatum, sed saluatur cum eo. At contritio cum sit dolor perfectus, tollit peccatum etiam sine actuali Sacramento; & plenè conuertit hominem, & subijcit Deo vltimi fini dilecto super omnia, in qua dilectione virtualiter continetur propositum seruandi omnia mandata. Et sic est vltima dispositio ad quam sequitur gratia infallibiliter, etiam sine actuali Sacramento.

1. Conclusio. Ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ sat est attritio, quæ cum Sacramento isto causat gratiam, & remittit peccata. Ita *D. Thom.* 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad* 2. Et ob hoc pœnitentia, sicut & baptismus, dicitur Sacramentum mortuorum, causans vitam gratiæ in subiecto mortuo per peccatum mort. 2. In Concil. Tridenti. *sess.* 14. cap. 4. dicitur de attritione, quod cum illa adiutus pœnitens viam sibi ad iustitiam parat, & quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hæc Concilium. Et licet non dicat ista definiendo, ob quod nostra conclusio non est de fide, vt ait Soto d. 17. quæst. 2. artic. 5. docet tamen illa ex communi sententia Theologorum, cui etiam maximam præbet authoritatem, & robur.

2. Conclusio. Cum dicitur de attritione, quod dolet de peccatis ob pœnas inferni, non fit sensus quod taliter dolet ob pœnas; quod si non essent pœnæ non doleret, aut detestaretur peccata, seu quod principaliter detestatur pœnas, & ob istas detestatur culpam. Nam iste dolor iam tunc esset malus, cum in eo adhuc duret affectus ad culpam. Sed dicitur esse ob pœnas inferni, in quantum timor pœnarum inferni per fidem cognitarum est occasio detestandi culpam. Et sic iam tunc in ista attritione principaliter detestaris culpam, etsi ista detestatio fiat ex motiuo pœnarum.

Dub. 4. *An contritio deleat omnem culpam*.

1. Conclusio D. Tho. ad di. quæst. 5. art. 3. affirmatiua: & patet ex dictis, dub. 3.

2. Con. Contritio iuxta suam quantitatem remittit de pœnis peccatorum. *Ita ex D. Thom. ar.* 2. Et ista maior aut minor culpæ detestatio prouenit ex maiori, aut minori charitate. *Ita D. Th.*

3. Concl. D. Th. art. 1. Contritio vt pars Sacramenti pœnitentiæ instrumentaliter causat gratiam, & expellit maculam peccati, vt patet à simili de alijs Sacramentis. Sed vt actus virtutis pœnitentiæ, efficienter expellit maculam istam: cum per contritionem voluntas peccatori, ordinetur, & conuertatur in Deum, & auertatur à bono commutabili. Dolet enim de peccatis ob Deum, cum intentione satisfaciendi pro peccato, & compensandi iniuriam: ergo expellit efficienter maculam peccati. Et ad istam expulsionem infallibiliter sequitur gratia, non efficienter, sed ex Dei ordinatione. Et prius in genere causæ materialis intelligitur expulsio peccati, quam introductio gratiæ.

Dub. 5. *An contritio sit in præcepto*. 8

1. Conclus. In omni tempore fuit præceptum contritionis saltem virtualis. Patet ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. vbi ait, Pœnitentiam omni tempore fuisse ad salutem necessariam. Sed de omni medio nobis possibili ad salutem necessario, vt est contritio ex auxilio Dei nobis concesso possibilis, habemus præceptum: ergo.

2. Conclusio. Quoties in lege noua tenemur confiteri, si non adsit confessor tenemur conteri, vt in articulo & periculo mortis, & quoties ob scandalum vitandum, aut infamiam, aut ob aliam causam teneris, aut potes celebrare. Nam etsi non teneamur ad habendam gratiam: cum hæc non sit in nostra potestate, sed à Deo infundatur; tamen in aliquibus casibus tenemur nos disponere ad eam per media nobis possibilia: sed quando obligat confessio pro obtinendo gratiam, si desit confessor, non est aliud medium quod pro confessione substituatur nisi contritio, saltem reputata: ergo.

QVÆSTIO TERTIA.

De Confessione.

D. Thomas. in addit. q. 6. &c.

SVMMARIVM.

Præceptum confessionis est diuinum, num. 1.
Peccata venialia sunt materia sufficiens confessionis, sed non necessaria, num. 2.
Quando præceptum confessionis obliget, num. 3.
An aliquando sit facienda confessio ante tempus quo obligat, n. 4.
Quale sit peccatum, mentiri in confessione, num. 5.
Quomodo confessio debeat esse integra, num. 6.
An circumstantiæ aggrauantes intra eandem speciem, sint confitendæ, num. 7.
Quando liceat dimidiare confessionem. num. 8.
An circumstantiam manifestans complicem, sit exprimenda; num. 9.
An pœnitens confitendo superiori peccata reseruata, teneatur alia non reseruata confiteri, num. 10.
Quot sint circumstantiæ & quomodo explicandæ in confessione, num. 11.
An aliquando teneamur confiteri per scriptum vel interpretem, num. 12.
An possit fieri confessio absenti, num. 13.
An infirmus possit absolui, ostendendo sola signa doloris præsente sacerdote, num. 14.
Quid si talia signa ostenderit in absentia sacerdotis, an possit absolui à sacerdote adueniente dum infirmus obmutuit, n. 15.
An detur confessio informis, num. 16
Quomodo confessio fiat informis, num. 17.
An ablato impedimento sortiatur suum effectum, num. 18.
Quomodo tollatur tale impedimentum, num. 19.

N*Ota*, quod confessio quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, est per quam morbus latens aperitur spe veniæ. Ita *communiter cum D. Th. ar. 1. q. 7.*

Dub. 1.

Dub. 1. *An confessio sit in praecepto.*

1. Conclusio D. Thomæ quæst. 6. art. 3. Confessio est in præcepto baptizatis mort. paccantibus: Nam istis, *vt diffinitur in Conc. Trid. ses.* 14. *can.* 6. *&* 7. est medium necessarium ad salutem; sed de omni medio necessario ad salutem nobis possibili habemus præceptum: ergo. Et cum dicitur confessionem esse medium necessarium ad salutem, sermo est de confessione in re, vel in voto explicito, aut implicito, *iuxta dicta q.* 2. *dub.* 5. Si enim non habes confessorem, sat est, si habeas dictum votum explicitum, aut implicitum inclusum in contritione aut actu charitatis.

2. Concl. Præceptum confessionis est diuinum: cum sit de medio necessario ad salutem. Et sic, in c. *omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remis.* non ponitur ab Ecclesia nouum præceptum, sed determinatur tempus præcepti confessionis, alias diuini, *vt dicitur in Conc. Tr. ses.* 14. *c.* 5. *& can.* 6.

3. Concl. Etsi peccata ven. sint materia sufficiens pro confessione, *vt diffinitur in Conc. Trid. ses.* 4. *can.* 7. non tamen sunt materia necessaria, nec illa confiteri tenemur, *vt dicitur in eodem Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 5. Et colligitur. 1. ex potestate data Sacerdotibus, Matth. 16. & Ioan. 20. ad ligandum & soluendum aperiendo, & claudendo cœlum: sed cœlum non clauditur ob peccata venialia: ergo non tenemur illa confiteri. 2. in cap. omnis vtriusque sexus, præcipitur fidelibus confiteri omnia peccata proprio Sacerdoti. Sed vt ait D. Thomas ad 3. hoc non potest intelligi de venialibus: tum quia istorum integra confessio est mortaliter impossibilis; tum etiam, quia istorum confessio non est necessario facienda proprio Sacerdoti, sed potest fieri cuilibet Sacerdoti. Et licet D. Th. art. 3. videatur dicere, quòd ex statuto Ecclesiæ, etsi non ex iure diuino, tenentur omnes, etiam non habentes peccatum mort. ad confessionem, aut præsentare se Sacerdoti dicendo se non habere peccatum mort. vt sic ad communionem admittantur, tamen ibi ad 3 se explicat iuxta modo dicta, Ecclesia enim nil præcipit supra ius diuinum, sed solum taxat tempus confessionis.

4. Concl. Qui confitetur peccatum ven. declarabit circunstantiam dantem ei speciem, *contra Soto. d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Sic colligitur ex D. Th. opusc. 12. q. 6. vbi ait, non confitetur homo peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati: quod etiam de peccato veniali intelligitur.

5. Concl.

5. Conclusio. Qui confitetur peccata ven. sine aliquo mortali, tenetur habere dolorem, & propositum vitandi aliquod saltem eorum, vt sic saluetur materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, qui est dolor, & propositum vitandi peccata. Sed non tenetur habere propositum vitandi omnia venialia confessa, *contra Med. in sum.* cum alias non teneatur pœnitens confiteri illa, & ponat iam proximam materiam Sacramenti, vtpotè dolorem & propositum cauendi aliquod eorum peccatorum ven. *Ita videtur loqui Nauar. cap.* 21. *num.* 25. *Manua. Rod. in sum.* 1. *par. cap.* 54. *& alij relati à Cord. l.* 1. *q.* 1.

An verò votum confitendi aliquod veniale, v.g. mendacium, obliget sub mort. problema sit. Tota difficultas stat in examinando, an ista sit grauis materia pro voto, alijs negantibus, alijs concedentibus.

3 3. Dub. 2. *Quando obligat præceptum confessionis.*

1. Concl. D. Tho. art. 5. Non tenetur peccator statim, ac peccauit, confiteri. Nam præcepta affirmatiua, quale est præceptum hoc, solum obligant in casu necessitatis, & non ad semper.

2. Conclusio. Præceptum hoc obligat, 1. In articulo & periculo mortis. Ita communiter cum D. Tho. Nam tunc se offert maxima necessitas istius Sacramenti. 2. Obligat, quando sumenda est Eucharistia, *ait D. Th. de quo supra, q.* 5. *de Eucharistia, dub.* 1. 3. Semel in anno, vt taxatur in c. *omnis vtriusque sexus.* de pœnitent. & remis. Non in die, aut tempore determinato, sed intra annum in quo velis die, cum ibi non signetur dies, aut tempus intra annum.

3 Conclus. Integra peccatorum confessio in dicto capite *omnis* præcepta non debet esse mathematica, sed moralis, ita vt confiteamur omnia peccata, quorum recordamur facto sufficienti examine. Et si facta hac confessione recorderis alterius peccati ex obliuione inculpabili omissi, potes illud reseruare pro confessione anni sequentis; nisi alias velis sumere Eucharistiam. *Ita Sot d.* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. *Nauar. cap.* 20. *num.* 17. *& communiter Medin. in sum. lib.* 1. *cap.* 14. §. 41. Et patet. Nam iam iste impleuit præceptum confessionis annualis confitendo integrè moraliter omnia peccata, quorum est recordatus post sufficiens examen: ergo non tenetur ad amplius.

4 Dub. 3. *An si times quod non erit tibi confessor, quando con-*

confessio obligabit, tenearis illam præuenire.

1. Conclusio. Si times quod non erit tibi confessor pro casibus reseruatis, non teneris præuenire modo confessionem, sicut nec si times, quod differendo confessionem obliuisceris aliquorum peccatorum, aut non poteris integrè confiteri ob impedimenta dicenda *dub.* 5. Et istorum omnium ratio est: Nam confessio est in præcepto pro obtinendo remissionem peccatorum: sed confitendo tunc confessori, qui non potest absoluere à reseruatis, manes absolutus ab omnibus peccatis, directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis, aut oblitis, aut aliter licitè omissis: ergo.

2. Conclusio. Si times probabiliter, quod quando obligabit confessio, non erit tibi confessor, etiam pro non reseruatis, teneris præuenire confessionem. Ita *D. Anton. 3. par. tit. 5. c. 6. §. 3. Durand. in 4. dist. 17. q. 10 Cano. relect. de pœnit. p. 5. Nauar. in manu. c. 2. num. 8. & Ledes. cap. 8. de pœnit. contra alios oppositum probabiliter sentientes.* Nec est idem de non valente ieiunare, aut audire Missam in sequenti vigilia, aut festo, qui non tenetur præuenire ieiunium, aut Missam: tum quia confessio est medium necessarium ad salutem, non sic Missa, aut ieiunium: tum quia pro Missa, aut ieiunio taxatur tempus in cultum talis festi. Et sic isto transacto etiam culpabiliter, cessauit obligatio Missæ, aut ieiunij: at pro confessione taxatur tempus, vt mensura impletionis præcepti diuini de confessione: & sic isto tempore transacto, tenemur adhuc vlterius confiteri, & etiam præuenire confessionem in nostro casu, vt sic non permaneamus multo tempore in Dei inimicitia, vt intenditur in præcepto annualis confessionis.

Dub 4. *An possit confiteri peccatum quod non habes.* 5

1. Conclusio. *D. Thom. art* 4. negatiua. Nam iam mentiris.

2. Conclusio. Mentiri in confessione circa materiam grauem, vt negando peccatum mortale commissum, aut circumstantiam grauem, aut confitendo peccatum mortale non commissum, erit peccatum mortale per se loquendo. Nam est mendacium perniciosum, vtpotè circa materiam necessariam istius Sacramenti, & in re graui decipis confessorem, & turbas iudicium Sacramentale. Dixi per se loquendo. Nam aliquando excusaris à peccato mortali, aut ex turbatione, vt scrupulosus sæpè confitendo peccatum non commissum, aut si ex ignorantia inculpabili putas te non teneri confiteri peccatum negatum. Imò etsi non excuseris à peccato quando igno-

ignorantia ista est culpabilis, excusaris tamen ab obligatione iterandi confessionem, sed sat erit confiteri peccatum negatum, & talem ignorantiam.

3. Conclusio. Qui in confessione imponit sibi falsò peccatum veniale, quod est totalis materia confessionis, peccat mortaliter per se loquendo, & seclusa ignorantia: cùm irroget iniuriam Sacramento non apponendo debitam materiam. Secus si illud peccatum veniale sit materia partialis, vtpotè confessum cum alijs peccatis verè commissis: cùm iam saluetur vera materia pro Sacramento. Ita *Soto dist.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 4. *Siluest. verb. confessio.* 1. *Adrian. quæst. de confessione, dub.* 5. *contra Caietan.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *ad* 3. Nec est idem de confitente peccatum mortale non commissum cum alijs commissis, ob rationem primæ conclusionis.

6 Dub 5. *An confessio debeat esse integra.*

1. Conclusio. Confessio omnium, & singulorum peccatorum mortalium secundùm numerum, & speciem, tam mentalium, quàm externorum, quorum recordamur post sufficiens examen, requiritur per se loquendo ex iure diuino. Ita *cap.* 1. *omnis vtriusque sexus, & in Concil. Flor. & Trid. sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. Et in Concil. Compl. contra Petrum Oxoniensem, asserentem solam confessionem generalem, qua homo cognoscit se peccatorem esse à Christo institutam: confessionem verò peccatorum in specie, & in particulari, esse de iure humano, non intelligendam de peccatis mentalibus. Quia respectu istorum, ait iste, Ecclesia non habet iurisdictionem. Sed error iste ibi damnatur. Et patet 1. Nam confessio ordinatur ad remissionem peccatorum, sed non remittitur vnum peccatum mortale sine alio; cùm omnia auertant à Deo: ergo. 2. Confessor est iudex, & medicus, sed diuersa peccata secundùm speciem, & plura secundùm numerum petunt diuersam, & maiorem sententiam, & medicinam: cùm causent maiorem, & diuersam infirmitatem: ergo.

7 2. Conclusio. Tenemur confiteri circumstantias mutantes speciem in genere moris, vt diffinitur *in Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. vtpotè: quæ important specialem repugnantiam ad aliquod præceptum, vt furtum sacrilegum ad præceptum de veneratione sacrorum, *vt ait D. Thom. opuscul.* 12. *quæst.* 6. Et tenemur confiteri circumstantias notabiliter aggrauantes, aut minuentes (si aliàs ex natura sua, *ait Nauar. lib.* 5. *de consecrat.* 14. *de pœnitent. & remiss. & Enriq.*

riq. 1. *tom. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 3. non anneĉtuntur actui confeſſo, vt anneĉtuntur fornicationi oſcula, amplexus, tactus, & alia dicta, facta, cogitata, & volita, antecedentia, comitantia, & ſequentia proximè.) Ita *Soto, d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *concl.* 7. *Victor.* §. 176. *Cano. relect. de pœnit. part.* 5. *Medin. in ſum. cap.* 9. §. 1. *& Ledeſm. cap.* 18. *de pœnitent. & communiter contra Paludan. in* 4. *d.* 16. *quæſt.* 3. *art* 3. *Adrian. q.* 5. *de confeſſ. & contra Nauar. in man. cap.* 6. *num.* 6. docentem non eſſe confitendas iſtas circumſtantias, niſi cùm efficiunt actum de veniali mortalem, aut ſi actus ratione talis circumſtantiæ ſit reſeruatus, aut habeat excommunicationem, aut damnum tertij. Sed iſtam ſententiam reputo improbabilem Nam ſæpè iſtæ circumſtantiæ afferunt maiorem malitiam, quam circumſtantiæ mutantes ſpeciem: grauius enim eſt furari mille, quam decem in Eccleſia, & coire cum matre, quam cum conſanguinea in quarto gradu. Nec quando *D Thom. in* 4. *d.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 5. ait circumſtantias aggrauantes non eſſe neceſſariò confitendas, loquitur de aggrauantibus notabiliter. Ita *colligitur ex eodem D. Thom opuſc.* 12. *quæſt.* 6.

3. Concluſio. Aliquando per accidens licitè dimidiatur confeſſio. 1. Si pœnitens ex defectu loquelæ, aut infirmitate vexatus non poteſt omnia peccata confiteri. Ita *Medina in ſum. lib.* 2. *cap.* 8. Secundò, ſi confeſſor timet, quod audiendo integram pœnitentis confeſſionem, eius mortali morbo inficietur, aut ſi ſunt multi infirmi, & ſi confeſſor audit integram confeſſionem vnius, alij morientur ſine confeſſione. 3. Si ex confeſſione alicuius peccati, aut circumſtantiæ imminet pœnitenti, complici, aut alteri graue, & morale periculum vitæ, famæ, &c. aut ſcandalum. Si enim tunc non poteſt commodè differri confeſſio, nec ſit alius confeſſor, cui ſine tali periculo illud peccatum, aut circumſtantia confiteatur, taceatur iſti confeſſori etiam in articulo mortis, *vt ait Medina in ſum. lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. *& Bannes* 2. 2. *quæſt* 33. *art.* 8. Et iſtud peccatum tunc omiſſum confiteatur cum aderit opportunitas Et dictorum caſuum ratio eſt: Quia præceptum integrandi confeſſionem non obligat cum tanto periculo. 8

4. In ſententia probabili Caietani, *verbo confeſſio, concluſ.* 3. *Nauar. in manu. cap.* 7. *num.* 3. *Cano. relect. de pœnitent. par.* 5. *Marſil. in* 4 *quæſt.* 22. *art.* 1. *dub.* 1. & aliorum, non potes confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtatiuam complicis, etiamſi ex hoc nullum aliud damnum ſequatur com- 9

complici præter infamiam apud confessorem, qui illud tenetur celare sub sigillo confessionis. Nam præceptum non infamandi alterum fortius est præcepto integrandi confessionem. Nec ab istis Doctoribus reputatur illa leuis infamia: si alias confessor non sciebat de complice similia peccata. Cui consonat illud *D. Thom. 2.2. q. 73. art. 1. ad 2.* quod si vni soli quis de alio malum dicat, corrumpit eius famam in parte. Verum est quod *D. Thom. in 4. d. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. ad 5. & opusc. 12. quæst. 6.* tenet in isto casu esse confitendam, maximè in articulo mortis, circumstantiam istam. Et hoc sequitur *Victor. & Soto, dist. 18. quæst. 2. art. 5.*

10 5. Si pœnitens accedit ad superiorem cum casibus reseruatis, non tenetur superior audire peccata non reseruata, nisi ex istis augeatur grauitas reseruatorum, sed sola reseruata, & ista absoluere. Ita *D. Anton. Palud. Capr. Siluest. verb. confessor. 1. Caiet. verb. confessio, condit. 10. & Soto.* Et patet ex vsu Pœnitentiariorum Papæ, qui cum alijs rebus intendunt, non possunt audire integram confessionem. Nec tenentur pœnitentem remittere confessori inferiori pro non reseruatis. Imò, etsi superior possit audire integram confessionem, & ad id teneatur si non est occupatus, si tamen nolit, & solùm absoluit à reseruatis, valet Sacramentum. Nam ex parte pœnitentis non est tunc possibilis maior integritas confessionis. Et licet pœnitens tunc maneat absolutus ab omnibus peccatis, à reseruatis directè, & indirectè à non reseruatis, cum gratia data in illo Sacramento æquè excludat omnia peccata: tamen si vult sumere Eucharistiam tenetur prius confiteri alia peccata non reseruata alteri confessori si adsit; & vt sic etiam impleat præceptum confessionis annualis, de confitendo singula peccata quorum recordatur. Nec sunt isti confitenda peccata reseruata superiori confessa; cùm iam sint subiecta clauibus Ecclesiæ, & directè absoluta. Ita *Maior, & Gerson.* Etsi *Soto, & Nauar.* oppositum sentiant, etiam probabiliter. De quo *Ledesm. cap. 20. de pœnitent.*

11 Dub. 6. *Quot sint circumstantiæ.*

1. Conclusio. Circumstantiæ sunt septem, explicatæ his dictionibus: *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Ita *D. Thom. 1.2. q 7. art. 3.* In dictione, *quis*, explicatur peccans, complex, & ille, in quem peccatur; & ista circumstantia confiteatur. 1. in homicidio, siue mutet speciem, vt in percussione Ecclesiastici, siue aggrauet notabiliter, vt si percutis

paren-

parentes, aut constitutos in dignitate. 2. in peccatis luxuriæ, siue mutet speciem, siue notabiliter aggrauet, de quo *dixi in 6. præcepto*. In dictione, *quid*, explicatur damnum, & scandalum ex peccato secutum, quæ tunc imputantur peccanti, & sunt confitenda, quando sunt præuisa, & intenta saltem virtualiter in negligentia considerandi.

In dictione, *vbi*, explicatur circumstantia loci sacri; & hæc confiteatur. 1. in homicidio, & sanguinis effusione iniusta. 2. in peccatis externis luxuriæ, non in cogitationibus; cùm istæ non repugnent sanctitati loci sacri, sicut illa. Imò, nec locutiones turpes in sententia probabiliori. 3. in furto, si furetur aliquid sacrum, etiam de loco non sacro: non si furetur non sacrum de loco sacro. Ita *Soto, dist.* 18. *q* 2. *art*.4. *& Victor. in sum. de pœnitent. dub.* 194. *contra Nauar. & Ledesm. cap.* 19. *de pœnitent.* 4. si extrahitur reus iniustè ab Ecclesia. Sed alia peccata, vt mendacia, murmurationes, &c. non repugnant sanctitati loci sacri.

In dictione, *quibus auxilijs*, aut instrumentis, nota, quod ista circumstantia regulariter non multum aggrauat, nisi vtaris auxilio infidelium contra fideles, aut alio instrumento apto ad maiorem iniuriam, vt si alterum percutis arundine. In dictione, *cur*, explicatur circumstantia finis; & ista confiteatur, si addit nouam malitiam, vt in furto ob mœchiam; etsi *Nauar. in manu.cap.6. num.* 10. probabiliter ait, quod non tenemur explicare commisisse furtum ob mœchiam, sed sat esse dicere furatum esse, & mœchatum esse. In dictione, *quomodo*, explicatur circumstantia modi, & hæc confiteatur, & cum mutat speciem, vt si abstulisti alienum vi, quod dicitur rapina, & cum notabiliter aggrauat, vt si alterum per insidias occidisti. *An sit explicandus modus operandi scienter, aut ignoranter:* dico, quod sic, si scientia, aut ignorantia excuset, aut accuset peccatum.

In dictione, *quando*, explicatur circumstantia temporis festi; & hæc non est necessario confitenda, vt communiter tenetur *cum D. Thom. contra D. Anton. Adrianum, Angelum*, de quo *Ledesm.* Et explicatur etiam circumstantia durationis temporis. Et sicut intensio actus regulariter non est confitenda, cùm regulariter non multum aggrauet, nisi sit extraordinaria, vt cum quis ita intensè alterum occidit, vt si posset illum dilaniaret; ita duratio actus non est confitenda, nisi sit notabilis, vt si per tres horas, v. g. durasti in actibus, colloquijs,

loquijs, aut cogitationibus turpibus, *vt ait Medina in summa, cap.* 9. §. 2. Ita si intra aliquod tempus notabile renouasti pluries cogitationes interscissas per cessationem, somnum, aut aliam occupationem, non teneris explicare singulas renouationes, cum omnes illæ censeantur vnum peccatum in genere moris, etsi materialiter multiplicentur. Sat est enim explicare tunc tempus illarum cogitationum. Secus si illæ cogitationes interrumpantur per actum contrarium. At in alijs peccatis, quæ non ita formaliter continuantur, vt in furto, periurio, &c. si facto sufficienti examine non recorderis singulorum furtorum, vel ex defectu memoriæ, vel quia diu fuisti in illo vitio, explicabis tempus istius vitij, & circumstantias, quas habebas in præparatione animi, vt si omnes mulieres occurrentes appetebas, aut si habebas animum furandi tam in loco sacro, quam alibi, & explicabis occasiones tibi regulariter occurrentes. Et si post hæc recorderis aliquorum peccatorum, confiteberis illa; nisi sint pauca supra numerum confessum. Nam pauca omissa virtualiter continentur in priori numero confesso. Ita *Soto*. Et notat *Medina in summa, lib.* 2. *cap* 8. quod si pœnitens tacuit de industria numerum peccatorum mortalium tenetur iterare confessionem: cùm sit de industria dimidiata. At si id fecit ex ignorantia culpabili, sat erit confiteri posteà ignorantiam istam, & numerum confessionum sic factarum, & si bono modo recordetur singulorum peccatorum, quæ non explicuit distinctè in præcedentibus confessionibus, ea modò declarabit.

2. Conclusio. *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 7. Quando peccatum cordis, & oris ad opus ordinantur, & vnum disponit ad alterum, pertinent ad vnam perfectam peccati speciem. Vt si habes animum occidendi inimicum, & dum se offert occasio, renouas sæpè istum animum, dum non interrumpitur actu contrario, sed per cessationem, non teneris explicare singula peccata cordis, sed sat est dicere, occidi. Nam illa repetita renouatio materialiter se habet. Et licet voluntas sit formaliter interrupta, manebat tamen virtualiter, dum non fuit retractata, sed potius in virtute prioris actus durabat continuatio actus externi. Et idem est de alijs actibus internis, & externis intrinsecè ordinatis ad operis consummationem: vt præparatio gladij, conquisitio inimici ad eum occidendum. At si de facto illi actus non ordinentur ab operante ad opus, etsi ex sua natura ad illud ordinentur,

dicentur, erunt distincta, & peccata distinctè confitenda, vt si vis delectari in cogitatione turpi sistendo ibi, aut profers verba turpia sistendo ibi.

Dub. 7. *An teneamur confiteri per scriptum, aut interpretem, si aliter confiteri non possumus.* 12

1. Concl. Ex vi præcepti confessionis non tenemur illo modo confiteri, etiam in articulo mortis. Nam confessio nobis præcepta solum est quæ fit secretè: sed ista confessio non est secreta ex se. Tum quia intetpres, *ait Caiet. verbo confessio, cond. 11. Vict in sum. dub. 171. de pœnitent. Soto, d. 18. q. 2. art. 6. contra Ledes. c. 13. de pœnitent. con. 2. dub. 9.* non tenetur ad sigillum confessionis. Tum etiam: quia scriptura ex se est quid publicum, nec potest semper poni tanta cautela, quin aliquando timeri possit quod perdatur, & peccata publicentur. *quidquid dicant Caitan Silu. ver. confessio. 1. Cano. relect. de pœnit. p. 4. Ergo, &c.*

3. Conclus. Ex charitate tenemur in dicto casu illo modo confiteri. Nam ex charitate tenemur prouidere nostræ saluti spirituali modo possibili, sed non suppetit aliud medium moraliter possibile, nisi istud; cum contritio sit difficilis, nec de de ea constare possit. Ergo etiam cum periculo propriæ famæ, &c. ad id tenemur ex charitate.

3. Conclusio. Ista confessio debet fieri Sacerdoti præsenti, alias erit nulla. Ita *ex D. Thom. in addit. quæst. 9. artic. 3. ad Caietan. Victor. & Ledesm. cap. 21. de pœnitent. dub. 2. & communiter.* Et oppositum damnatur à Clemente VIII. die 20. Iunij anni 1602 in generali Congregatione Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram Papa. *Vbi proposita quæstione, an liceat per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere; Papa auditis votis Theologorum, & re cum Cardinalibus diligenter considerata, istam propositionem,* licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere, *ad minus vt falsam, temerariam, & scandalosam damnauit. Et præcepit, ne deinceps publicis, vel priuatis lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, nec vnquam tanquam casu aliquo probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim, quouis modo deducatur. Et qui eam defenderit, docuerit, imprimi fecerit; aut de ea etiam disputatiue tractauerit, nisi fortè impugnando; aut ad praxim* 13

etiam indirectè deduxerit: præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua nisi in mortis articulo ab alio quàm à Papa absolui non possit, alijs pœnis arbitrio infligendis subiaceat. Hæc ibi.

2. Patet Conclusio. Nam Sacramenta requirunt subiectum præsens, & ita denotatur in forma absolutionis, *Ego te absoluo*, sicut in forma Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum*. Non enim consecres hunc panem in foro existentem, etsi per Angelum certificeris ibi esse, quia non est præsens. Nec valet dicere Sacramentum Pœnitentiæ esse quoddam iudicium, quod in absentes exerceri potest. Nam hoc iudicium requirit sicut partem essentialem sui, dolorem, qui etiam sit dispositio ad gratiam, & debet durare saltem habitualiter in instanti absolutionis, ita vt hoc sit moraliter certum confessori. Sed hoc non potest constare in absentia pœnitentis, qui potest tunc esse mortuus, vel peccare, aut peccasse.

3. Ex tali confessione sequuntur regulariter multa damna, sacrilegia, scandala, & reuelatio confessionum: ergo non est credibile Christum instituisse confessionem in materia tot exposita periculis. Cuius etiam signum est, nunquam talem doctrinam esse in Ecclesia receptam, nec ab Apostolis, aut sacris Doctoribus edoctam: cum alias in primordio Ecclesiæ ob copiam fidelium, & inopiam confessorum esset necessaria talis praxis, si vera esset. Nec valet, quod matrimonium celebratur inter absentes per procuratores: Nam contractus matrimonij, in quo fundatur ratio Sacramenti, non est à Christo immutatus, sed eleuatus in lege gratiæ ad rationem Sacraméti, ita vt vbi saluatur talis contractus, sicut saluatur inter absentes, saluetur in Ecclesia etiam ratio Sacramenti: At Sacramentum Pœnitentiæ est totum à Christo institutum, & sub modo extraordinario, ita vt in eo idem sit accusator, testis & reus, nec potest saluari tale iudicium sine ratione Sacramenti.

Nec est idem de illo qui in articulo mortis confitetur peccata, aut ostendit signa doloris coram seculari, à quo Sacerdos veniens, cum infirmus est vsu rationis priuatus, certificatus, ægrum de illis absoluit, quia etsi confessio sit facta in absentia confessoris, absolutio fit in præsentia, & confessor tunc habet moralem notitiam status pœnitentis, ad præsentem pœnitentem absoluendum. Non sic autem in dicto casu:

Et

Et quod habetur cap. qualis. 30. qu. 5. quod confessio adulteræ facta per scriptum admittatur, intelligitur de confessione facta per scriptum confessori præsenti. Ita glossa ibi.

Dub. 8. *An infirmus non valens explicare peccatum etiam in genere, aut mutus, sit absoluendus declarando in generali peccasse, & ostendendo signa doloris.* 14

In hoc. 1. Sententia negat. *Ita Abulen. in Matth. 17. dub 71. Soto, d 8. quæst. 2. artic. 5. ad 1. Canon. relect. de pœnit. p. 5.* Et patet: Nam Sacerdos sic non cognoscit conscientiam pęnitentis. Quiuis enim etiam iustus potest confiteri se peccatorem, & ostendere signa doloris: ergo. 2. in hoc casu deficit Sacramento, & materia remota, vt peccata, & proxima, quæ non est sola contritio: sed præcipuè confessio explicatiua saltem virtualiter alicuius peccati. Et sic in Concil. Tridentin. sess. 14. canon. 9. dicitur requiri confessionem pœnitentis, vt absoluatur.

2. Sententia affirmat. Ita *D. Anton. cum Host. 3. p. tit. 1. cap. 2. Nauar. in man. c. 21. num. 26. Drie. lib. 9. tract. 4. c. 2. Rodr. ar. 10. contra Calu. Cord. lib. 5. q. 39. & Enriq. tom. 1. lib. 6. cap. 10. num. 7.* Et patet: Nam confessio generalis peccatorum oblitorum simul cum confessione aliquorum peccatorum in particulari est vera materia Sacramenti Pœnitentiæ, *vt ait D. Thom. in 4. d. 21. qu. 2. art. 1. ad 1.* ergo eadem confessio generalis potest esse materia totalis. Nam quod in hoc Sacramento est materia partialis, potest esse totalis. Sed per solam confessionem generalem peccatorum pœnitens solùm ostendit se peccatorem: ergo.

1. Conclusio. Vtraque sententia est probabilis. Ita *Cano. Cord. c. 18. & Alcocer. c. 11.* Et patet ex suis rationibus. Sed secunda est magis pia, & vtilis existentibus in periculo mortis. *Ledesm. cap. 21. de pœnit. dub. 3.* Et ad argumenta contraria, Dico quod confessor tunc cognoscit conscientiam pœnitentis meliori modo possibili pro tunc, attento statu pœnitentis. Et ibi etiam saluatur materia proxima, & remota pœnitentiæ, declarante pœnitente se peccasse, & simul ostendente signa doloris.

2. Conclusio. In necessitate sequenda erit 2. sententia, & absoluendus pœnitens, saltem sub conditione, vt consulit Penna. Nam tunc confessor absoluendo non peccat, cum sequatur opinionem probabilem, nec vlli nocet, & fortè prodesset pœnitenti: ergo saltem ex charitate tenetur

15 absoluere. Imò si infirmus petit confessorem cum signis doloris, & veniente confessore tum vsu rationis priuatus non valet ista ostendere, potest absolui secundum sententia aliquorum speculatiue saltem probabilem (quo sensu loquuti sumus in fine dubij præcedentis) quam videtur amplecti *D. Anton* 4. *p. tit.* 10 *cap.* 2. *Palud. in* 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 2. *Silu. verb. confessor.* 3. *Angel. ver. confess.* 4. Et videtur casus capituli *is qui* 26. *qu.* 6. vbi diciturs, qui in infirmitate pœnitentiam petijt, si casu dum Sacerdos inuitatus venerit oppressus infirmitate obmutuerit, aut in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, id est, absolutionem, vt ait glossa; in sententia tamen communi Thomistarum talis infirmus non posset absolui, quia nulla est materia absolutionis, cum nulla fiat confessio, sed adsit solum propositum confitendi, quod maximè distinguitur à confessione, nec est materia huius Sacramenti.

Dices, ostendendo illa signa doloris fieri confessionem virtualem, quæ virtute talis propositi erat exterius exhibenda. Verum, esto sit ibi virtualis confessio, non sufficit ad hoc Sacramentum, sed necessaria est formalis & in re exhibita vt conferatur gratia ex opere operato: sicut frumentum & vuæ sunt virtualiter panis & vinum, non tamen possunt consecrari, quia in materijs Sacramentorum, id quod est virtuale, pro formali non potest substitui.

Præterea, qualiscumque ibi fingatur confessio, ea fit absenti, ac per consequens insufficiens est ad substantiam huius Sacramenti, iuxta decretum Clementis Octaui supra relatum.

Si dicas confessionem adhuc fieri dum adstantes declarant Sacerdoti superuenienti indicia doloris edita à moribundo, atque ita confessionem fieri in præsentia: *Sed contra*; fieri potest vt hæc declaratio fiat Sacerdoti, dum est adhuc in via, atque ita absenti. Deinde præsentia necessitaria ad hoc Sacramentum, non est præsentia mere corporalis & materialis tantum, sed humana & ad actiones morales sufficiens qualis, non reperitur in hoc infirmo, cum sit vsu rationis destitutus.

Ad extremum, maximè facit pro hac sententia quod cum P. Suarez tomo 4. in 3. partem *disput.* 21. sectio. 4. Decretum Pontificis ita interpretatus esset, vt ostenderet casum hunc de moribundo non comprehendi illo Decreto, tota

eius interpretatio fuit à Sede Apostolica damnata, & integra illa Sectio quarta prohibita, & ex libris iussa penitus amoueri, ita vt nulla alia loco eius subrogari posſit, cum tamen nihil aliud præter doctrinam de tali moribundo contineret.

Ad Capitulum *is qui* supra & alia similia: R. solum ibi fieri mentionem de reconciliatione, quà publicè pœnitentibus dabatur ius ad Eucharistiam, quæ erat absolutio dumtaxat cæremonialis & non Sacramentalis.

His tamen non obstantibus absoluendus erit ille qui non valens explicare peccatum in specie, explicat eius genus. Imò si pœnitens solum recordetur se peccasse, est absoluendus: Nam iam tunc confessor cognoscit statum pœnitentis, & potest ferre sententiam in eum. Ita *Nauarr. in manu. cap.* 10. *num* 7.

Dub. 9. *An detur confessio informis, & quando*. Et dicitur informis, idest, valida & nòn iteranda, etsi non conferat gratiam. 16

1. Conclusio affirmatiua *D. Thom in addi. q.* 9. *art.* 1. *& communiter, contra Maior. in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *Adria. q.* 5. *de confes. dub*9. Aliàs, *vt Caiet. verbo, confessio iteranda*, numquam erit homo tutus, sed rationabiliter dubitabit, an sit assecutus gratiam præcedentibus confessionibus, & sic cum isto dubio teneretur eas iterare, quod esset intolerabile. *Si arguas*: Qui sic absoluitur non recipit grátiam, nec in re absoluitur: ergo nec recipit Sacramentum non iterandum. *Ad hoc nego consequent.* Nam etsi iste simpliciter & coram Deo non sit absolutus, tamen est absolutus ab obligatione confitendi iterum illa peccata; & sic implet præceptum confessionis, cum recipiat verum Sacramentum. Nec est idem de recipiente indignè Eucharistiam, aut confitente inualidè; vt meretrices, *quia iuxta communem sententiam Theologorum*, *Soto distinct.* 18. *quæst.* 3. *artic.* 4. *d. Medina in summa cap.* 14. §. 41. *& aliorum*, *contra Paludan. in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 7 *Silue. verb. confessio* 4. non implent præceptum Eucharistiæ, aut confessionis, & sic incurrunt censuras latas contra non confitentes. Nam præceptum hoc obligat ad recipiendum validum Sacramentum, quod non est tale si non sequitur valida absolutio. Secus fit de pœnitentibus, quibus à confessore differtur absolutio, *iuxta cap. omnis vtriusque sexus*.

 2. Concl.

17 1. Conluſ. Confeſsio informis fit, ſi accedas ad eam cum ignorantia etiam culpabili ſufficientis examinis, aut doloris. *Ita communiter: de quo Ledeſma capit. 16. de pœnit. conſil. 6.* Et patet: Nam hic reperitur vera materia, vtpotè verus dolor cum propoſito non peccandi, & integra confeſsio peccatorum, quorum pęnitens recordatur poſt aliquale examen; iſta enim aſsignantur pro materia à Concil. Florent. & Trid. etſi ad cauſandum effectum gratiæ requiratur diligentior examinatio, & maior dolor: ergo. *Si arguas* Iſte accedit attritus: ergo cum Sacramento fit contritus, & recipit gratiam, & Sacramentum formatum; *Ad hoc dico*, quod dolor attritionis alius eſt imperfectus, & inefficax, qui non includit voluntatem abſolutam vitandi peccata, ſed velleitatem vitandi illa. Et iſta attritio ſat eſt ad Sacramentum informe; ſed non ad cauſandum gratiam cum Sacramento, cum non excludat omnino affectum peccati, qui manet implicitè, etſi non expreſſè, & formaliter. Alius dolor attritionis eſt perfectus, & efficax, excludens omnino affectum peccati, & includens voluntatem abſolutam vitandi omnia peccata, & iſte dolor non ſolum eſt pars conſtituens Sacramentum validum, vt prior: ſed etiam eſt ſufficiens diſpoſitio ad effectum gratiæ cum Sacramento. Ex dictis patet, non eſſe repetendas confeſsiones informes cum ſint validæ: ſed ſat eſſe confiteri poſtea dictam negligentiam ſufficientis doloris, aut examinis cum peccato ex negligentia omiſſo. *Ita Thomiſtæ cum D. Th. in addi. quæſt. 9. art 1. & Ledeſm. conc. 7.* Imò viri timorati ad cautelam ſe accuſant ſemper de negligentia præſentis, & præcedentium confeſsionum. Raro enim obligatur pęnitens reiterare confeſsiones; niſi certo conſtet eſſe factas ſine vllo dolore, aut propoſito vitandi peccata, aut ſine vllo examine peccatorum, aut ſi certo conſtet eſſe factas cum ignorantia affectata talis diſpoſitionis.

2. Concluſio. Pęnitens ſcienter accedens cum attritione imperfecta, etſi integrè confiteatur omnia peccata, ob talis doloris inſufficientiam non recipit Sacramentum etiam informe, & ſic iterabit confeſsionem. *Ita Soto. d. 18. quæſt. 3. art. 3. Ledeſm. cap. 16. de pœnitent. concl. 3. & commu. Thomiſtæ contra D. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. § 5. Palu. in 4. d. 17. qu. 8. & Sil. ver. confeſsio. 1.* Et idem eſt ſi accedat pęnitens cum ignorantia affectata, ſeu craſsa, talis indiſpoſitionis. *Ita Soto, & Caiet. to. 1. opuſ. tract. 5. q. 5. Si arguas,* Dolor

iſte

iste est attritio, etsi imperfecta, qui ignoratus etiam culpabiliter à pœnitente constituit Sacramentum informe: ergo idem efficiet, etsi cognoscatur imperfectio talis attritionis; nam scientia, aut ignorantia non variat sufficientiam talis doloris pro constituendo veram materiam pœnitentiæ, & verum Sacramentum: *Ad hoc dico*, quod si accedis ad confessionem cognoscendo insufficientiam talis doloris, & non confiteris illam, dimidias confessionem, & sic non recipis Sacramentum. Ita *Caiet. & Soto*. Imò etsi illam confitearis, contra Caiet. cum accedas scienter cum actuali affectione ad peccatum mort. Nam debes te disponere non solum ad recipiendum validum Sacramentum, sed etiam eius fructum, à quo excusatur qui bona fide, etiam cum ignorantia culpabili, putat se accedere cum attritione perfecta, & sic recipit Sacramentum informe. Sicut si accedas bona fide ad Sacramenta viuorum cum attritione quæ reputatur contritio.

Dub. 10. A*n confessio informis ablato impedimento assequatur suum effectum.* 18

1. Conclusio. Omnia Sacramenta, etiam non imprimentia caracterem, causant suos effectus ablato impedimento. *Ita D. Thom. quæst. 9. artic. 1. Caietan. Paludam. loco citato & Ledesm. con.* 8. Et patet: Nam peccata confessionis informis remittuntur virtute alicuius confessionis, sed non per confessionem sequentem; cum non sint iterum confitenda: ergo per confessionem informem præcedentem. *Si arguas*, Confessio informis non existit in se, vt patet, nec in sua virtute: cum non imprimat caracterem: ergo non operatur modo: A*d hoc dico*, quod existit virtualiter: tum quia anima recipiendo entitatem realem Sacramenti informis mansit immutata: tum etiam quia virtus, & voluntas Dei fuit iam semel inclinata, & determinata medio illo Sacramento informi ad causandum eius effectum ablato impedimento. Sicut Christi humanitas ex vi immutationis præteritæ passionis mansit determinata ad effectus quos modo producit, *iuxta dicta quæst. 2. de Sacrament. in gener. dubio* 3. Sed dices, per quid tollitur impedimentum confessionis informis? Ad hoc

2. Concl. sit, impedimentum prouenient ex defectu doloris inculpabiliter ignorati tollitur per solam attritionem perfectam habitam ante nouum peccatum mortal. Hæc est contra Ledesm. sed patet. Nam attritio perfecta cum 19

Sacramento isto præsenti causat gratiam : ergo, & cum Sacramento præcedente tollet impedimentnm, seu supplebit defectum confessionis informis, & causabit gratiam. Nam Sacramentum præcedens operatur modo ac si esset præsens 2. Iste non habet nouum peccatum confitendum, cum fictio ista excusetur à peccato ob ignorantiam inculpabilem. Et idem videtur de eo, qui in confessione informi confessus est ad cautelam insufficientiam sui doloris culpabiliter ignoratam, cum iam tunc hoc peccatum sit subiectum clauibus Ecclesiæ.

3. Concl. Impedimentum prouenients ex defectu doloris, aut examini culpabililer ignorati, tollitur per contritionem, aut per sequentem confessionem. *Ita communiter Thomistæ.* Et patet. Nam sacrilegium commissum in receptione istius Sacramenti informis, & peccatum culpabiliter oblitum non sunt subiecta clauibus Ecclesiæ, sed dicunt ordinem ad aliam confessionem: ergo sunt confitenda vt remittantur, aut conterendum de eis, dum non confitentur. Et sic D. Th. q. 8. ar. 1. ait quod etsi cõfessio informis valeat, tenetur homo cõfiteri fictionem illam culpabilem, seu impedimentum cum peccato culpabiliter oblito. Et tunc per sequentem confessionem remittuntur ista, & tollitur impedimentum præcedentis confessionis informis. *Et nota*, quod quando impedimentum confessionis informis tollitur per contritionem, aut per aliam confessionem, præter gratiam correspondentem contritioni, aut confessioni præsenti, correspondent ex opere operato alij gradus gratiæ præcedenti confessioni informi.

QVÆSTIO QVARTA.

De Satisfactione.

D. Thom. in addit. q. 12. &c.

SVMMARIVM.

Quid sit satisfactio & an possimus satisfacere pro pœna temporali, num. 1.

An bona opera sine gratia sint satisfactoria, num. 2.

An pœnitens teneatur acceptare & implere satisfactionem iniunctam

iniunctam à confessario, num. 3.
An vnus confessarius possit commutare vel mitigare pœnitentiam alterius confessarijs, num. 4.
An labores huius vitæ sint satisfactorij, num. 5.

Satisfactio est recompensatio iniuriæ illatæ alteri secundum æqualitatem iustitiæ possibilem. Et non est modò sermo de satisfactione pro culpa, de hac enim agitur 3. p.q.1.ar.2. sed de satisfactione pro pœna temporali, cuius homo remissa culpa & pœna æterna, manet debitor, & est soluenda in hoc sæculo, aut in purgatorio: *iuxta Con. Trid. ses.6.c.* 14. *& sess.* 14. *c.* 6. *& can.* 12. 1

Dub. 1. A*n possit homo satisfacere pro ista pœna temporali.*

1. Concl. Non potest homo satisfacere, etiam pro ista pęna, secundum æqualitatem absolutam. *Ita D. Th. in addi. q.* 13. *art.* 1. Nam dijs, parentibus, & magistris, ait Arist. non possumus reddere æquale. Nec satisfacimus Deo ex proprijs, & alias indebitis, cum opera nostra sint magis dona Dei, & possent ab eo exigi pro innumeris beneficijs creationis, conseruationis, &c.

2. Concl. Homo potest pro ista pœna satisfacere secundum æqualitatem proportionalem. *Ita D Th.* Nam ista satisfactio est nobis in præcepto, Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*, vt necessaria ad obtinendam gloriam, vt dicitur in Conc. Tr. ses. 6. c. 14. ergo est nobis possibilis, alias obligaremur ad impossibile.

3. Concl. Per bona opera facta in gratia, & meremur gloriam, & satisfacimus pro dicta pęna. Et licet satisfaciamus per actus omnium virtutum relatos in finem pęnitentiæ, qui est Deo satisfacere: sed specialius satisfacimus per bona opera iniuncta à confessore virtute clauium. Nam sic iniuncta fiunt pars integralis Sacramenti pęnitentiæ: & sic ex vi Sacramenti ordinātur per se ad satisfaciendum pro istis pœnis. Nec obstat quod Christi satisfactio fuit infinita pro omni culpa, & pęna. Nam illa fuit causa vniuersalis, quæ debet medijs nostris satisfactionibus, nobis applicari.

Dub. 2. *An bona opera facta extra statum gratiæ sint satisfactoria pro pœna.* Et non est sermo de satisfactione voluntaria, vt est opus operantis. Nam ista extra charitatem facta est mortua, nec viuificatur per sequentem contritionem. *Ita D. Thom. qu.* 14. *art.* 3. Sed de satisfactione 2

iniun-

iniuncta à confessore.

1. Concl. Pœnitens recipiens Sacramentum informe, & simul implens satisfactionem iniunctam à confessore antequam de nouo peccet mort. ablato impedimento confessionis informis, consequitur gratiam, remissionem pœnæ correspondentem satisfactioni. *Ita Caiet. opusc. de satisfactione, & communiter Thomistæ contra Soto d.* 19. *quæst.* 1. *art.* 5. & videtur D. Thom. in addi. qu. 14. art. 3. ad 2. vbi ait, baptismus non mortificatur, quia est opus Dei & non hominis. Ex quo sic: Satisfactio, vt pars Sacramenti, est opus Dei, & non hominis, ergo non mortificatur. Item Diu. Thom. 3. p. q. 90. art. 2. ad 2. æquiparat satisfactionem Sacramentalem cum baptismo, etiam in causando gratiam & remissionem pœnæ temporalis ex opere operato. Nam sicut totum Sacramentum, sic & eius partes ex opere operato causant gratiam & remissionem pœnæ: ergo sicut ablato impedimento totum Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ causat gratiam & remissionem pœnæ ex opere operato, sic & partes integrales; qualis est satisfactio.

2. Concl. Qui post nouum peccatum mort. implet satisfactionem, facit satis præcepto confessoris de satisfaciendo: cum multa præcepta impleantur in peccato mort. sed non consequitur remissionem pœnæ temporalis, sicut nec augmentum gratiæ. *Ita D. Thom. in addi. quæst.* 14. *art.* 2. *& communiter contra Sot. & iuxta dicta q.* 1. *dub.* 4. Nam omnis iustitia inter nos, & Deum est amicabilis, fundata in gratia & amicitia cum illo: ergo ablata tali gratia & amicitia per peccatum, tollitur omnis ratio iustitiæ & satisfactionis.

3 Dub. 3. *An pœnitens teneatur acceptare, & implere satisfactionem rationabilem à Confessore iniunctam.* Et non est sermo de satisfactione, seu pœnitentia medicinali, vt si præcipitur pęnitenti; ne ingrediatur domum vbi est occasio peccandi; nam istam implere tenetur: *vt ait Silu. ver. confessi.* 2. *& Armi, verbo, confessio & communiter.* sed sermo est de Pęnitentia purè satisfactoria.

In hoc 1. sententia ait, teneri pęnitentem illam sub peccato, scilicet ven. acceptare & implere. *Ita Caiet. ver. satisfactio, & opusc. de satisfa. qu.* 2. *& Armi. verb. confessio.* Et sic Ledesm. cap. 23. de pœniten. falsò imponit Caietano asserere non teneri pœnitentem acceptare satisfactionem, nec acceptam implere, cum dicat expressè pęnitentem

non

non acceptando, aut non implendo satisfactionem, peccare.

2. Sententia ait non teneri pœnitentem pœnitentiam acceptare semel tamen acceptatam implere teneri sub mortali. Ita *Scot. in 4. dist. 18. & 19. Gabr. dist. 19. q. 2.* & citatur pro hoc *Hostien & Panor. in cap. significauit, de pœnitent. & remiss. Et si obijcias*. Satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: ergo pœnitens tenetur acceptare, & implere aliquam saltem leuem satisfactionem, etsi non grauem, *vt ait Manu. Rodrig. in summa, 1. part. cap. 56.* Ad hoc dicunt, non teneri pœnitentem recipere integrum Sacramentum, sed sat esse recipere essentiale Sacramentum. Sicut nec tenemur recipere integram Eucharistiam sub specie panis, & vini. Alias qui impleret pœnitentiam post nouum peccatum mortale, teneretur postea in gratia repetere illam, vt integretur Sacramentum; cùm tamen alias satisfecerit Ecclesiæ, etsi non Deo, vt dixi *dub. 2.*

1. Conclusio. Vtraque sententia est probabilis ob auctoritates, & rationes tantorum virorum: etsi *vt ait Caietan. verb. confessio, & Armill.* absoluatur pœnitens, quamuis non acceptet, sed reseruet pœnitentiam in purgatorio soluendam.

2. Conclusio. Probabilius est teneri pœnitentem sub mortali acceptare, & implere satisfactionem rationabilem sibi à Confessore iniunctam. Ita *D. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. Soto, dist. 20. quæst. 2. art. 2. Ledesm. cap 22. de pœnit. & communiter Thomistæ*. Et patet 1. *ex Concil. Trident. sess. 14 cap. 8.* vbi sic habetur. Debent Sacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & indulgentiùs cum peccatoribus agant, leuissima opera pro grauissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur; & ibi etiam dicitur, claues Sacerdotum esse etiam ad sic ligandum concessas. Et loquitur Concilium non solùm de pœnitentia medicinali, sed & de satisfactoria, vt ibi patet. Ergo pœnitens tenetur dictam pœnitentiam acceptare, & implere; alias confessores frustra illam imponere tenerentur. 2. Confessor est iudex à Deo creatus cum potestate ordinaria ligandi, & soluendi: ergo potest obligare pœnitentem vt impleat pœnitentiam rationabilem sibi etiam pro venialibus iniunctam, nisi alias per indulgentias relaxetur.

Et no-

Et nota; non esse peccatum mortale omittere aliquid paruum satisfactionis; nisi alias illud sit totalis satisfactio, nec deficiat Sacramento vna pars integralis.

4 Dub. 4. *An confessor possit moderari, aut commutare alterius confessoris pœnitentiam rationabilem*. Nam si certò constet priorem confessorem errasse, vtpotè cognoscendo in confessione, aut extra, peccata talis pœnitentiæ, potest pœnitentiam commutare, aut moderari alius confessor; imò & vir doctus, etsi non sit confessor, *ait Ledesma*.

1. Conclusio. Sacerdos superior potest cognita culpa etiam extra Sacramentum commutare, aut moderari pœnitentiam impositam ab inferiore. Ita *Sa. & communiter*, sicut iudex superior moderatur sententiam inferioris. Item, nam primus confessor illud præstare potest: ergo & superior à fortiori.

2. Conclusio. Probabile est posse confessorem commutare, & moderari pœnitentiam etiam rationabilem à confessore sibi æquali iniunctam. Ita *Siluest. verb. confessio*, 1. *& Armill. verb. confessio, cum D. Raymundo, & Manuel. Rodrig. in summa*, 1. *par. cap.* 56. Et intelligitur hoc duplici limitatione. Primò, quod Sacerdos, qui commutat, aut moderatur pœnitentiam, habeat iurisdictionem in peccata talis pœnitentiæ, nec sint superiori reseruata. Et tunc etsi primus confessor esset superior, vtpotè Episcopus, aut Papa, poterit moderari, aut commutari ab inferiore confessore, *iuxta cap. latorem*, 33. *q.* 2. *cum gloss. & Manuel. Rodrig. & Sa. verb. confessor*. Secundò; Quod illa moderatio fiat ex iusta causa, vt si pœnitens ob senectutem, debilitatem, aut ægritudinem non possit eam implere, aut si timetur probabiliter quod illam difficilè, aut cum periculo salutis spiritualis siue corporalis implebit, aut si sit tempus Iubilei, seu indulgentiarum. Ita *Nauar. in Manu. cap.* 26. *num.* 22. Et patet conclusio sic explicata ex vsu, vt Soto fatetur. Et vt secundus confessor commutet, aut moderetur illam pœnitentiam, non debet pœnitens confiteri priora peccata, sed potest illud fieri, quando iterum confitetur, *ait Manuel.*

3. Conclusio. Probabile etiam est oppositum secundæ conclusionis. Ita *Soto, dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 3. *Ledesm. cap.* 23. *de pœnitent.* Et intelligitur *ex capit. placuit, de pœnitent. & remiss. dist.* 6. Vbi cauetur, ne Sacerdos pœnitentem alterius suscipiat ad pœnitentiam. Et licet ibi sermo sit de pœnitentia publica, idem est de pœnitentia ista. 2. Nam par

in pa-

in parem non habet imperium.

Dubium 5. *An labores huius vitæ sint satisfactorij pro pœna.* 5

1. Conclusio. Labores isti, etiam ex peccato originali causati, vt calor, frigus, infirmitates, sunt satisfactorij pro pœna, sicut & meritorij gloriæ, dum tamen acceptentur saltem virtualiter à patiente eos. Secus si resistat per impatientiam, aut negatiuè se habeat circa illos sicut dormiens, aut amens. Nam tunc cum labores non se teneant ex parte patientis, sed ex parte inferentis eos, non habebunt rationem satisfactionis, sed satispassionis. Ita *D. Thom. in addit. quæst.* 15. *art.* 2. Et patet *ex Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 9. *& can.* 13. vbi hæc veritas diffinitur.

2. Conclusio contra Soto. Quantitas satisfactionis in his laboribus non attenditur ex sola quantitate patientiæ, qua tolerantur, sed & ex quantitate laborum, v. g. si cum æquali patientia Petrus maiora mala patiatur, quam Paulus, Petrus plus satisfacit. Nam iuxta *D. Thom. art.* 1. efficacia satisfactionis attenditur ex difficultate, & pœnalitate operis secundùm se: ergo cæteris paribus opus difficilius est magis satisfactorium. Nec est idem de merito, cùm commensuretur charitati cum qua fit. Et sic benè stat opus alias magis meritorium, esse minus satisfactorium, & è conuerso.

3. Conclusio. Etsi satisfaciamus Deo per omne opus bonum, & meritorium etiam aliàs debitum, *vt ait Soto*, tamen confessor debet imponere in satisfactionem opus pœnale, & aliàs indebitum, vt eleemosynam, orationem, ieiunium, &c. Ita *communiter cum D. Thom. art.* 1. Et semel taxata pœnitentia, imponatur pœnitenti in satisfactionem quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit. Nam sic in satisfactionem iniuncta ista opera, alias libera, fiunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & sic sunt magis satisfactoria pro hac parte, & ex opere operato.

QVÆ.

QVÆSTIO QVINTA.

De Ministro confessionis.

D. Thomas in addit. quæst. 8.

SVMMARIVM.

Confessio soli Sacerdoti facienda, num 1.
*Quis sit proprius Sacerdos, & qui possint eligere Confessarium, num.*2.
*Tenemur confiteri proprio Sacerdoti, num.*3.
*Et ille rogatus tenetur audire confessiones suarum ouium, nu.*4.
Casus reseruati Papæ in bulla cœna, num 5.
*Extra bullam reseruatur etiam Papæ percussio violenta clericorum, & quinam incurrant hunc casum, num.*6.
*Quando percussio clericorum non inducit excommunicationem, num.*7.
*Alij casus Papæ reseruati, num.*8.
*Casus reseruati Episcopo, num.*9.
*Quis possit absoluere à casibus Papæ reseruatis, num.*10.
Quis à casibus Episcopo reseruatis, num 11.
*An parochus possit delegare suam iurisdictionem alteri Sacerdoti non approbato ab Ordinario, num.*12.
*An licentia audiendi confessiones semper duret, num.*13.
*Quis confessarius sit eligibilis per bullam Cruciatæ, vel aliud indultum, num.*14.
*An sit eligibilis Sacerdos approbatus à quouis Ordinario, num.*15.
*In articulo mortis quilibet potest absolui à quouis Sacerdote à quibusuis peccatis, & casibus, num.*16.
*Si tamen euadat incolumis tenetur se præsentare superiori, num.*17.
*An transacto tempore Iubilæi possit quis absolui à reseruatis oblitis in præcedenti confessione, num.*18.

1 DVB. 1. *An confessio debeat fieri Sacerdoti.* Conclusio affirmatiua, sæpè diffinita *in Concilio Tridentino sess.*14. *can.*6. & 9. & *alibi*. Nam soli Sacerdotes habent potestatem clauium ad remittenda peccata. Ex quo patet

patet quod etsi aliquando liceat confiteri laico, vt sic humiliemur, & disponamur ad dolorem de peccatis, & ab eo consiliemur, non tamen ad id tenemur. Ita *D. Thom. in addit. qu. 8 art. 2.* Nam confessio est in præcepto pro obtinenda absolutione Sacramentali virtute clauium, sed laicus non potest absoluere, cùm non habeat claues: ergo.

Dub. 2. *An sit necesse confiteri proprio Sacerdoti.* 2

Et dicitur proprius Sacerdos, qui non est delegatus, v. g. Papa in toto orbe, Episcopus in sua Diœcesi, & parochus in sua parochia. Et pro peregrinis nullibi habentibus domicilium, aut pro existentibus extra sua oppida per bonam partem anni, vt Scholastici, & mercatores, ille erit proprius Sacerdos, etiam quoad peccata reseruata, in cuius territorio existunt. Alij autem alibi habentes domicilium, etsi olim iter agentes petebant à parochis licentiam confitendi cui vellent, sed iam Eugen. IV. concessit istis, *ait Caiet. verbo, absolutio,* vt confiteantur, & Eucharistiam in Paschate sumant, sicut incolæ oppidorum vbi sunt, etiam quoad casus reseruatos, *vt ait Manu. Rodrig. in summa, cap 55. contra Ledesm. cap. 12. de pænitent. concl. 4. dub. 2.* Verum est hoc priuilegium per Bullam Cruciatæ suspendi. Et etiam est verum contra Caietan. quod casus Episcopi vbi isti existunt non sunt pro eis reseruati. Item Prælatis omnibus etiam regularibus, & etiam Episcopis consecratis, qui renuntiarunt, *ait Enriq 1. tom. lib. 6. cap. 13. num. 3. contra Palud. d. 17 quæst. 3.* (si non sint depositi, aut omninò suspensi, quia sic priuantur priuilegijs) datur facultas, *cap. vltimo, de pænitent. & remiss.* eligendi quem velint prouidum, & discretum confessorem. Et *Farina in sess. 23. Concil. Trident. cap. 14. & 15.* refert Papam declarasse Episcopos vigore istius decreti non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum à suo Ordinario non approbatum. Item potest sibi eligere confessorem Decanus, & Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis. Ita *Enriq. cum Angelo, Soto, D. Anton. 3. part. tit. 17. cap. 9. & alijs.* Et Abbas exemptus. Et Vicarius etiam Cabildi in Sede vacante: cùm iste sit Ordinarius, & pro alijs exponat confessarios. Cardinalis etiam, sicut & Episcopus, potest ex iure, priuilegio, aut consuetudine, sibi & suis eligere confessorem. *Ita Enriq. cum Ledesm. & Caietan. verb absolutio, cap. 2.*

1. Conclusio. Ex iure diuino tenemur confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia. Ita *cap. omnis vtriusque sexus.* 3

sexus. Vbi *iuxta Concil. Trid. sess.*14. *c.*5. nihil additur supra ius diuinum, nisi sola determinatio temporis confessionis. Ex hoc patet, quod etsi Sacerdotibus in sua ordinatione detur potestas clauis ad absoluendum, non tamen datur eis tunc iurisdictio, qua applicatur materia in quam exerceatur potestas clauis. Et sic non possunt audire confessiones, nisi solùm peccatorum venialium, aut mortalium iam dimissorum, vt communiter docent Theologi. Nam respectu istorum habent iurisdictionem, vel ex iure diuino iuxta aliquos, vel, quod verius est, à Papa sibi in sua ordinatione concessam. Nam omnis iurisdictio à capite Ecclesiæ deriuatur, de quo infra *dub* 10.

5 2. Conclusio. Proprius Sacerdos tenetur ex officio audire confessionem suæ ouis, & quando ista confiteri tenetur, & quoties prudenter petit, vt si sit in peccato mortali, & vult exire à tam malo statu. Ita *Enriq. tom.*2. *lib.*8. *cap.*55. *num.* 2. *cum alijs citatis in gloss. & Manu. Rodrig. cum Nauar. in summa* 1. *par. cap.*63. *contra Siluest. verb. confessor*, 1. *cum Ricard.* Imò ex eo, quod ex officio tenetur iste Sacramenta ministrare, potest eius ouis etiam citra necessitatem petere Sacramenta ab eo etiam in peccato mortali existente; cum sic petendo vtatur iure suo, & ob hoc fideles decimas soluant. Ita *Caietan. & communiter Thomistæ* 3 *par. q.*64. *art.*6. *Soto, dist.*1. *quæst.*5. *art.*6. *Ludou. Lop. tom* 2. *cap.*59. *& Ledesm. cap.* 6. *de Sacram. in gen. conf* 11. Excusabitur tamen ab illo parochus aliquando, vt si ouis sit nimis molesta in frequentando confessiones, aut si imprudenter petit, vtpotè, cum parochus vadit dormitum, aut ad prandium.

6 Dub. 3. *An omnes proprij Sacerdotes sint æquales in absoluendo.*

1. Conclusio negatiua: Papa enim de facto limitat inferiorum potestatem, & sibi reseruat casus. Et istorum aliqui reseruantur in Bulla Cœnæ. 1. Hæreticus, schismaticus, & istorum, vt sic fautores, & occultatores. Non si eos recipiant ob amicitiam, consanguinitatem, aut aliter, *ait Caiet. & Nauar. cap* 17. *num.*55. Item scienter habentes, legentes, aut imprimentes libros vetitos. 2. Appellans à Papa ad futurum Concilium. 3. Pirata, Corsarius, & istorum, vt sic fautores, & occultatores, & rapientes bona naufragantium. 4. Dominus particularis imponens vassallis noua pedagia. 5. Falsarius litterarum Apostolicarum cum fautoribus, & defensoribus suis. 6. Deferens vetita infidelibus, vt arma, æquos,

&c. 7.

&c.7. Impediens, aut furans victualia, aut necessaria ad vsum Romanæ curiæ 8. Offendens Romipetas, aut commorantes Romæ, aut à Roma recedentes 9. Injiciens manus violentas in Cardinales, Prælatos, aut Nuntios, & istos insequentes, & capientes, cum suis socijs, consulentibus, fauentibus, receptoribus, mandantibus, defendentibus, &c. 10. Iudex sæcularis ingerens se ad cognoscendum causas ecclesiasticorũ, aut impediens executionem litterarum Apostolicarum Et idem de ministris in hoc seruientibus, & de iudicibus sęcularibus vocantibus ecclesiasticos ad sua tribunalia, aut auocantibus ad se causas ecclesiasticorum. 11. Vsurpans bona ecclesiastica, & faciens statuta contra Ecclesiæ libertatem 12. Inuadens Romam per se, aut per alios, etiam indirectè, aut occupans, aut inuadens terras Ecclesiæ. 13. Intentas à prædictis absoluere extra articulum mortis incidit in excommunicationem; sed iam non reseruatam. Ita *Nauar. in manu. cap. 27. numer. 73. & 74. Enriq. lib. 7. canon. 13. numer. 2.* Et patet ex litteris Bullæ. Etsi in tempore Pauli II. Sixti IV. extrauag. 1. & 2. de pœnit. & de remiss. esset Papæ reseruata, de quo tempore loquitur Feli. Caie. *verb. excommunicatio, cap. 77. Silu. verb. excommunicatio. 7 & alij.*

Alij casus reseruantur Papæ extra Bullam Cœnæ. Primò, injicere manus violentas in clericum, aut monachum, si percussio sit notabilis, & id præcipere, consiliari, aut ad id iuuare. Ita *cap. si quis suadente, 18. quæst. 4* Et idem de eo, qui cum posset, non impediuit talem percussionem. Ita *cap. quanto, de sentent. excommunication.* Et intelligitur de eo, qui ex officio, & ex iustitia impedire tenebatur. Ita *gloss. ibi, Armill. & Siluest. ver. excommunicatio 6. & communiter*, contra Hosti. & alios absolutè tenentes, omnem non impedientem esse excommunicatum Item manet excommunicatus, qui ratam habet percussionem suo nomine factam, cum ratihabitio mandato comparetur Ita *cap. cum quis, de sentent. excommunic. in 6.* Secus si percussio alterius nomine facta, à te ratificetur, etsi pecces, sed non excommunicaris, vt ibi dicitur.

Et nota 1. Quod per clericum hic intelligitur clericus maiorum Ordinum, etiam excommunicatus, suspensus, aut interdictus. Ita *Siluest. cum communi*. Secùs de clerico deposito, aut degradato. Ita *cap. degradatio, de pœnit Caietan. in sum. & Sil. cont. Man. Rod. in sum. 1. p. c. 8.* Et idem de hære-

tico contra eundem, vt ait Caietan. cum alijs. Item per clericum intelligitur clericus minorum Ordinum deferens tonsuram, & habitum clericalem, etsi alias sit semel, sed cum Virgine vxoratus. Ita *cap. clerici, de clerico coniug. in* 6. Imò & clericus minorum Ordinum beneficiarius, etsi habitum clericalem, & tonsuram non deferat, de quibus plura dicemus, dub. 8. de Sacram. Ordinis. Et per monachum hic intelligitur omnis religiosus vtriusque sexus religionis à Papa approbatæ, etiam nouitius, & conuersus. Ita *cap. religioso, de senten. excom. in* 6. *& c. de monialibus, eodem tit.* Secus de donatis, & oblatis *contra Silu. ver. clericus & ver excomm.* 6. & de Eremitis, & vulgo dictis beatis.

Nota 2. *ex Caiet & Armi. ver. excommunicatio*; quod per manum violentam intelligitur omnis percussio etiam pulueris, sputi, luti, & similium, & acceptio violenta cuiusuis rei de manu clerici, nisi res sit capientis, & clericus velit eam asportare. Item intelligitur, iuxta cap nuper. de sent. excom. captio, detentio, incarceratio. Nisi aliàs capiatur in crimine patrato, aut patrando, vt præsentetur suo superiori. Aut si creditor capiat, vel detineat clericum fugientem, vt eum Prælato suo præsentet pro iustitia seruanda. Item est percussio, ponere manus in vestes clerici, vel in mulam cui insidet. Ita *Man. Rod. c.* 80 Item si iniuriosè insequaris clericum, & clericus fugiendo vt mortem euadat, iactat se in flumen, & submergitur, aut cadens grauiter læditur. Secus si insequeris eum sine animo iniuriandi, & clericus cadit sine percussione.

3. *Nota*, Percussionem notabilem esse occisionem, mutilationem, inhabilitationem membri ad suum actum, graue vulnus requirens medelam chirurgiæ, aut si sit abundans effusio sanguinis, aliundè quam ex naribus, aut ex alia parte ex qua facilè fluit. Item ex persona læsa dicitur percussio notabilis; vt si sit Prælatus etiam leuiter percussus. Et ex persona lædente, vt si plebeius auctoritatiuè percutit clericum. Item si percussio fit cum magno scandalo, vt si percutitur clericus sacris indutus. Item si percussio fit in luco publico, in Ecclesia, aut in platea. Et ex loco vulneris, vt si sit in oculo, aut ceditur alapa. Ita *Armilla, & Manu. Rodrig. contra Nauarr. in man. cap.* 27. *numer.* 31. eo quod in extrau. perlectis ab eo citata, dicitur leuis percussio quæ fit palma manus; sed intelligitur de percussione palmæ extra faciem. Item iudicare in dubio de percussione, an sit gra-

grauis; pertinet ad virum prudentem, vt est Episcopus, & confessor habens Episcopi auctoritatem ex commissione, aut priuilegio. Et quoties non potest determinari reputetur notabilis, *vt ait Manu. Rodrig. & Nauarr. ex dicta extrauag.*

Nota. 4. Quod non manet excommunicatus, qui percutit 7
clericum turpiter inuentum cum matre, filia sorore, vxore. Ita *cap. si vero, de sent. excommun.* nisi adsit dolus, *ait Armi.* vt si vir consensit vxori ad percutiendum clericum. Item, ibi non est excommunicatus percutiens clericum moderare pro defensione honoris, suarum rerum, aut aliorum, vt si mulier ne violetur percutit clericum, aut si id sit ex subita passione, & sine plena deliberatione, aut si exceditur modus in defensione ex impetu iræ. Et quoties percussio est solum peccatum veniale, vt contingit; inter pueros corrixantes; cum enim talis rixa non procedat regulariter ex odio, aut ira perfecta, regulariter non erit peccatum mortale, etsi aliquando oppositum contingat; quod arbitrio prudentis relinquitur, *ait Aragon. 2. 2. q. 40. art.* 4. Item licet Prælatis regularium ob correctionem verberare subditos, etiam per alios sibi subditos. Ita concessit Minoribus, Alexand. VI. & Leo. X. inter viua ora. *de quo Manu. Rodrig. in compend. nu. 6. & Nau. lib. 5. conf. 28. de sentent. excommunic.* Imò omnibus iudicibus ecclesiasticis permittitur, cap. vniuersitatis, de sentent. excommunicat. posse ob correctionem verberare clericos per se, & in necessitate, per clericum, aut monachum, & non per alios. Aliter facientes, tam mandantes, quam verberantes, excommunicantur ibi cum reseruatione ad Papam. Item licet magistris verberare discipulos etiam maiorum Ordinum. Ita *cap. 1. de sentent. excommunic.* Imò & patribus idem licet. Ita *Caietan. verb. excommunicatio, c.* 10. *Panormit. Rosc. Silu. cum alijs, verb. excommunicatio,* 6. etsi Sot. 5. *de iust q. 3. art. 5. Nau. lib. 2. de rescript. cap 3. num.* 475. *& Man. Rodrig.* id concedant patribus respectu solum Clericorum Minorum Ordinum, sed certè potestas patrum in filios non est minor, quàm magistrorum.

Secundò, reseruatur Papæ excommunicatio legati iam transacti. Tertiò, qui habet litteras falsas Papæ, & non rumpit eas, aut tradit Episcopo petenti sub excommunicatione. Quartò, clericus admittens ad diuina scienter excommunicatos à Papa nominatim. Quintò, spolians Ecclesias

cum effractione portarum, parietum, aut clausuræ, aut discoperiendo tectum Ex sextò, iubens lædere, & lædens excommunicantem, suspendentem, aut interdicentem alterum, si damnum sit illatum in persona, aut bonis excommunicantis, &c. aut suorum. Septimo, minister inquisitionis odio, amore, aut lucro procedens contra iustitiam. Octauò, ecclesiasticus inducens alterum, vt promittat eligere sepulturam in sua Ecclesia, aut non mutare iam habitam, non si exhortetur. Nono, inferens vim clerico, vt celebret in loco interdicto, aut non sinens exire ab Ecclesia nominatim excommunicatos, aut interdictos per Sacerdotem expulsos, aut vocans istos ad diuina; aut si sic ligatus nominatim monitus à celebrantibus remanere præsumit. 10. Deferens victualia infidelibus. 11. Offendens Ecclesiæ libertatem, aut eam impediens, aut faciens, quod seruentur statuta contra illam. 12. Exenterans corpora defunctorum, vt longiùs sepelienda deferantur. Sed in Hispania lex ista, aut non est acceptata, aut per vsum contrarium est abrogata. 13. Simonia in ordine, beneficio, aut religionis ingressu, & illius mediatores. Et per beneficium intelligitur etiam prælatura religiosorum, vt prioratus. 14. Qui à viris aut fœminis volentibus religionem intrare, ante, aut post ingressum petere, aut exigere ex pacto præsumunt pastus, prandia, cœnas, pecunias, iocalia, vel alia, etiam ad Ecclesiæ vsum. Et nota illud ex pacto, nam isto secluso, etsi adsit mala intentio in recipiendo, non agitur contra hoc præceptum, imo & licet monialibus petere solitas dotes, lectisternia, vestes, & similia: cum ista non pro ingressu, sed titulo alimentorum pro moniali recipiantur vt dicitur in tractatu de simonia. 15 Religiosi mendicantes transeuntes ad monachos, excepta Carthusia, & factum non tenet. Et idem de recipientibus ipsos. 16. Intrantes in casibus non concessis monasteria monialium Ordinis Prædicatorum aut Minorum. Imò etiam iam aliorum Ordinum, *iuxta dicta in nostra Epito. libr. 1. cap. 3. dub. 2.* 17. Religiosi extra necessitatem ministrantes clericis, aut laicis Eucharistiam, extremam Vnctionem, aut matrimonia solemnizantes sine parochi licentia, aut si præsumunt absoluere excommunicatum à canone, aut à sententijs latis per statuta prouincialia, aut synodalia, nisi in casibus sibi in iure, vel priuilegijs concessis. 18. Infamantes Ordines Prædicatorum, & Minorum, aut docentes istos religiosos non esse in statu perfectionis, aut quod non licet

eis

eis ex eleemoſynis viuere, aut quod non poſſunt prædicare, vel confeſſiones audire cum licentia Ordinarij, & ſine licentia curatorum, aut facientes violentiam damnabilem in locis dictorum religioſorum, aut impedientes eos, ne in ſuis Eccleſijs celebrent, prædicent, vel eleemoſynas recipiant. 19. Accedens ſine Papæ licentia ad Chriſti ſepulchrum, etiam ob deuotionem. 20. Præſumens auſu temerario non ſimpliciter, & ignoranter, affirmare tenentes alterutram opinionem de Conceptione Beatiſſimæ Virginis in hæreſim incidere, aut mortaliter peccare 21. Impugnantes montem pietatis iuxta dicta ſuo loco. 22. Prædicans falſa, aut incerta miracula, vel Prophetias, quæ non conſtant ex ſacra Scriptura 23. Detrahentes in ſuis concionibus Prælatis Eccleſiæ nominatim, vel per circumlocutionem, quæ vicem habeat proprij nominis. Benè tamen licet tangere in generali vitia Prælatorum. Ita *gloſſa in Clementina. I. de priuileg.* 24. Sixtus V. in motu incipiente, effrenatam, 4. Kalend. Nouemb. anni 1588. reſeruauit cum excommunicatione aborſum etiam inanimati fœtus, & dantes, aut ſumentes venena ſterilitatis, & ad iſta iuuantes, & conſulentes. Sed poſtea Gregor. XIV. in motu incipiente, Sedes Apoſtolica pridie Kalend. Iunij anni 1591. reduxit prædicta ad terminos iuris, & ſtatuit poſſe quemuis confeſſorem à prædictis abſoluere, ſi ſit ad hoc deputatus, *de quo Manuel. Rodrig. in ſumma.* 1 *part. cap.* 5. *&* *Enriquez tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 35. *lib.* 4. Alios etiam caſus refert *Caiet. Armil.* verb. excommunicatio, ſed prædicti ſunt communiores. *Et nota* omnes caſus Papæ habere annexam excommunicationem: & ob eam eſſe reſeruatos, & ſic ea ablata, vt cum quis ab ea abſoluitur extra Sacramentum, aut in Sacramento ob impedimentum inualido, caſus non manet iam reſeruatus. Iſta *D. Anton. Palud. Nauarr. cap.* 26. *num.* 13. *&c. cap.* 27. *num.* 154. *Canon. p.* 5. *de pœnitent.*

2. Concluſio. Ediſcopo etiam reſeruantur caſus. Et horum aliqui in iure. Et primo peccatum clerici habens aunexam irregularitatem. Ita *Silu. ver. caſus, & alij.* Sed iuxta D. Tho. *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *q*2. *ad* 2. etſi irregularitas ſit reſeruata, ſed non peccatum. *Ita Armi. ver. caſus.* 2. Incendium domorum, frugum, & aliorum de induſtria factum. Ita *cap. peſſimam.* 23. *quaſt.* 8. Et ſi incendium ſit Eccleſiæ, monaſterij, aut loci ſacri, incurritur excommunicatio. 3. Peccatum cui debetur ſolemnis pœnitentia quæ ob ſolum peccatum notorium 6

imponitur, 26. q. 6. *cap. fin. cum glossa*, sed ista pœnitentia iam non est in vsu. 4. Blasphemia publica & notoria. *Et nota cum Armill. & Nau. in manual. cap. 27. num. 256.* quod iuxta D. Thomam, casus iste reseruatur Episcopo ratione solemnis pœnitentiæ isti peccato imponendæ, quæ iam non est in vsu. 5. Excommunicatio maior ob percussionem clerici, si percussio est leuis. Ita *cap. peruenit de sentent. excommun.* Nam si sit grauis, reseruatur Papæ, vt dixi supra.

Alij casus reseruantur Episcopo ex consuetudine, & horum aliqui sine excommunicatione. Et primò, Homicidium voluntarium, & membri mutilatio. 2. Falsarius litterarum, iurans falsum, & qui iuridicè interrogatus non respondet veritatem, & aduocatus, procurator, notariur ostendentes scripta parti contrariæ, quando eis non licet iuxta ius. Ita Armi. Et idem de recipiente pretium, vt non sit testis. 3. Sacrilegium, id est, furtum sacrilegium, & percussio in loco sacro. 4. Retinere incerta aliena. 5. Superstitiones, veneficia, & diuinationes, & istorum petitio. 6. Matrimonium clandestinum, & testes eius, vtpotè in foro externo, non aliter. 7. Sodomia, & bestialitas. 8. Retinentes decimas, & primitias.

Alij casus reseruantur Episcopo cum excommunicatione. Et primò sepeliens defunctos in Ecclesia in interdicto aut cessatione, in casibus non concessis, & sepeliens excommunicatos publicè & nominatim, & iuxta Clement. I. de sepult. sepeliens scienter & præsumptuosè vsurarios manifestos. Et ab istis potest Episcopus absoluere præmissa satisfactione. 2. Iudex, aut publicus officialis faciens vt soluantur vsuræ, vel non plenè restituantur repetitæ, & qui permittunt vsurarios manifestos conducere domos, &c. vtpotè, ad exercendum vsuras, alias non, aut qui istos non expellunt. Et non absoluantur vsurarij, aut hæredes, nisi satisfecerint, aut de hoc dent cautionem, modo dicto cap. 1. & 2. de vsuris, in 6. 3. Sciens contrahens matrimonium cum consanguineo, affine, moniali, religioso, aut clerico. 4. Alienans bona Ecclesiastica, nisi in casibus iuris, & alienatio est nulla. 5. Occidens Christianum per assassinum, id est, per infidelem ad hoc conductum. Et idem de mandante, etsi mors non sit secuta, & qui istos vt sic defenderit, receperit, aut occultauerit. Ita *in cap. 1. de homicidio. in 6.* Alijs referuntur ab Armil. non ita communes. Item Episcopi reseruant sibi alios casus in suis synodis de quibus non datur certa regula, cum

sint varij pro more diœcesum.

Dub. 4. *An solus Papa absoluat à suis casibus.*

1. Concl. Episcopus in diœcesi sua per se, & per Vicarium ad id specialiter deputandum absoluit in foro conscientiæ suas oues ab omnibus casibus occultis, etiam Papæ reseruatis. Et ab hæresi occulta potest in eodem foro conscientiæ absoluere ipse Episcopus, sed non Vicarius. *Ita in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.* Nec reuocatur hoc in Bulla Cœnæ: cum ibi non ius commune, maximè Concilium Trident. dum eius non sit expressa mentio, sed sola priuilegia reuocentur. *Ita Bannes, 2. 2. qu. 11. art. 4. & Enriq. t. 1. lib. 6. cap. 1. cum Pena, Gallo, Med. & alijs qui adfuerunt in Concilio.* Quos etiam sequitur Manuel. Rodrig. in *99. regul. tom. 1. q. 20. ar. 9. & 10.* Vbi etiam ait, quod etsi Episcopus non possit committere alteri vices suas pro absoluendo ordinariè ab hæresi: benè tamen pro casu particulari, vt pro absoluenda moniali, ad quam nec Episcopus adire, nec ipsa egredi à monasterio valet. Et illud Concilij, *ipsis solum, & non Vicarijs liceat*, &c. intelligitur, quod non potest Episcopus creare Vicarium cum potestate ordinaria absoluendi omnes generaliter ab hæresi, non quod non possit creare. commissarium pro casu particulari, si vrget necessitas. *Ita Cordo. in sum. q. 8. Anglet in 4. qu. de confe. art. 5. & Nauarr. lib. 5. cons. 1. de constit.* Et patet 1. Nam ita censuit Congregatio Card. vt refert Farin. in cap. 6. citat. Concilij Trid. Et ibi refert dictum Congregat. censuisse posse Episcopum committere vices suas suo confessori, vt ipsummet absoluat à contentis in dicto cap. 6. sicut & ab alijs, à quibus iure ordinario potest Episcopus absoluere suas oues. *Ita etiam Enriq. tom. 1. lib. 6. cap. 6. num. 5. cum Palud. in 4. d. 38. q. 4. art. 4. Ange. verb. votum. 3. Rose. votum. 5. Panorm. in cap. magn. de voto.* 2. patet, Commissarius ex priuilegio perpetuo potest committere vices suas, vt ait Silu. cum communi ver. absolutio. 4. Sed Episcopus ex priuilegio iuris concesso in dicto c. Concilij est commissarius ad istum effectum, & alias non vetatur ibi committere vices suas in hoc casu, vt patet ex explicatione data: ergo &c. Vel absoluat eam absentem ab excommunicatione, qua sic ablata, peccatum iam non manet reseruatum, vt dixi dub. 3. *Et nota* 1. quod illa concessio Concilij est pro solis Episcopis, non pro alijs Prælatis habentibus etiam iurisdictionem quasi Episcopalem, nec pro Episcopis regionum vbi Concil. Triden. non 10

est receptum. *Ita Far. loco citato. Nota* 2. non posse Episcopum in vi istius decreti Concil Trid. absoluere subditum à casibus etiam occultis Papæ reseruatis post dictum decretum, vt à violatione clausuræ monasteriorum. Ita respondit Greg. XIII. audita relatione congregationis Card. vt refert Farin. ibi *An verò possit absoluere à simonia in ordine occulta*, dicemus tractat. de suspensio. dub 1.

2. Concl. Omnis Sacerdos ab Ordinario approbatus potest semel in vita absoluere habentes Bullam Cruciatæ à casibus Papæ, hæresi excepta, & ab alijs casibus non reseruatis Papæ, quoties opus sit. Ita in Bulla. Vbi etiam conceditur bis sumentibus Bullam intra annum, bis à prædictis absolui. Vbi dictio, *bis*, aut *semel*, posita in Bulla, aut alio indulto non cadit supra illud à casibus reseruatis, aliàs posses in pluribus confessionibus absolui à reseruatis à quibus non es absolutus, sed dictio, *semel*, aut *bis* cadit supra ly *absolui*. *Ita Ledesm. cap.* 13. *de pœnit. con.* 2. *dub.* 1.

3. Concl. Religiosi approbati aliàs iuxta Concil. Trid. sess. 23. c. 15. possunt quoties opus sit absoluere fideles à reseruatis Papæ extra bullam Cœnæ satisfacta parte modo explicando dub. 10. Ita concessit Societati Paul. III. Bul. 7. relata in compend. Man. Rod. Quo communicant aliæ Religiones. Nec hoc priuilegium, sicut nec alia Religionum, suspenditur in Bulla Cruciatæ: cum ibi suspendantur sola priuilegia non Religionibus, sed monasterijs concessa. De quo in nostra Epitome lib. 2. c. 3. dub. 7.

II Dub. 5. *An solus Episcopus absoluat à suis casibus.*

1. Concl. Omnes casus Episcopi possunt absolui à Sacerdote ad confessiones approbato, quoties opus sit per Bullam Cruciatæ: ita in bulla, vt modo dixi.

2. Conclusio. Episcopus potest absoluere peregrinum alterius diœcesis ad se venientem à casibus sui Episcopi, cuius præsumitur ad hoc virtualis licentia. Sed non potest istum absoluere à casibus in Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. concessis Episcopo pro solis suis ouibus, vt dixi dub. 4. Nisi illi peregrini ibi habitent per maiorem partem anni, vt scholastici, & mercatores. *Ita Alco. in sum. c.* 12. *& Enri. l.* 2. *de pœnit. c.* 14. *n.* 8. Nam isti tunc reputantur oues istius Episcopi.

3. Conclusio. Si instante necessitate non patet facilis aditus ad Episcopum, potest parochus absoluere à casibus

Epi-

Episcopi. Nam tunc censetur habere interpretatiuam Episcopi licentiam. *Ita Enriq. cum alijs, cap. 10. num. 4.* Imò vt iste ait, *c. 9. n. 7. & iuxta c. nuper. de sentent. excom.* potest parochus absoluere à casibus Papæ, si non patet facilis aditus ad Papam, nec ad Episcopum.

4. Conclusio. Religiosi approbati possunt absoluere à casibus etiam in iure Episcopo reseruatis. Patet ex concessione Pauli III citata dub. 4. vbi conceditur Societati, & alijs religiosis per communicationem, absoluere ab omnibus casibus, censuris & penis, solis casibus Bullæ Cœnæ exceptis. Et in nostra Epitome lib. 2. cap. 6. dub. 7. refero ad hoc alia multa priuilegia. Quæ omnia sicut & alia regularium priuilegia non contraria Concilio Trident. sunt de nouo confirmata, & innouata à Paulo V. vt ibi ostendo respondendo declarationibus Pontificum, & Cardinalium in contrarium.

Dub. 6. *An confessio ex commissione proprij Sacerdotis possit fieri alteri Sacerdoti.* 12

1. Concl. affirmatiua. Ita ca. omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remission. vbi præcipitur, quod confiteamur, proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia. Ex quo patet quod cum parochus sit proprius Sacerdos habens iurisdictionem ordinariam, potest eam delegare pro suis ouibus alteri Sacerdoti idoneo, modo statim explicando.

Si obijcias, quod in Concil. Trident. sess. 23 c. 15. dicitur quod nullus Sacerdos etiam regularis audiat confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, nisi sit parochus, aut ab Episcopo approbatus: ergo. In hoc 1. sententia ait non esse mentem Concilij derogare dictæ auctoritati curatorum, sed tollere duo. 1. Ne fideles cum Bulla, aut alio indulto eligant in confessores quosuis Sacerdotes, etiam idiotas. 2. Ne Sacerdotes sæculares eosdem, vt ex consuetudine solebant, eligant. Et sic quando dicitur in Concilio citat. nullus audiat confessiones, &c. nisi sit parochus, &c. statim reuocantur priuilegia, & consuetudines immemoriales in contrarium. *Ita Magister Gallo qui adfuit in Conc. Oresta. & Ledesm.*

2. Sententia ait, facultatem datam parochis in cap. omnis vtriusque sexus, esse ablatam in Conc Trid. loco citato. Nec ad hoc erat necesse, quod ibi fieret mentio capituli omnis vtriusque sexus, sicut fit mentio contrariorum priuilegiorum, & consuetudinem. Nam vt habetur cap. licet,

de

de consti. in 6. cum Papa concedit nouum ius reuocat antiquum contrarium etsi eius non faciat mentionem. Quia censetur habere totum ius in scrinio pectoris sui. At cum sic non habeat priuilegia, & consuetudines particulares, oportet, si vult illa reuocare in lege generali, illorum facere mentionem.

Nota, pro explicatione, Aliud esse approbatum, aliud expositum ad confessiones. Nam approbatus non potest audire confessiones, cum per approbationem non detur sibi iurisdictio, bene tamen per expositionem.

2. Concl. Vtraque sententia est probabilis ob rationes, & Doctores vtramque tuentes.

3. Concl. In Conc. Trident cita. non fit mentio de expositione, sed de approbatione, vt ibi patet. Nam cum ex iure diuino confessor debeat esse idoneus, & in iudicando istam idoneitatem possit esse error, si cuiuis remittitur, de hoc iudicare voluit Concilium, vt ille solus idoneus reputetur pro confessionibus secularium, etiam Sacerdotum, qui est parochus, aut approbatus ab Episcopo, seu eius Vicario, aut ab habente iurisdictionem quasi Episcopalem in seculares, vt sunt Abbates, Prior de Veles, &c. Et meritò, nam cum hoc iudicium sit de rebus arduis ad salutem animarum spectantibus, reseruatur solis prædictis de hoc iudicare, siue per examen siue aliter. Non enim sat est, vt eligendus in confessorem sit Doctor; quidquid dicat Gallo, sed necessario debet esse ab Ordinario approbatus, vt dicitur in Concil. citat. Et patet, dum ibi dicitur, quæ approbatio gratis detur.

Ex dictis patet 1. Potestatem concessam parochis in c. omnis vtriusque sexus, delegandi suam iurisdictionem alijs Sacerdotibus, alias idoneis, non esse ablatam in Concilio Trid. loco citato; sed solum quod parochi non possint iudicare de idoneitate requisita pro confessionibus audiendis. 2. Patet, Posse parochum delegare suam iurisdictionem Sacerdoti semel approbato à suo, aut extraneo Ordinario: vel etiam extraneo parocho, & pro suis ouibus, & etiam pro se in eisdem casibus. *Ita Enriq. tom. 1. lib. 6. c. 7. n. 5. cum Silu. verb confessor. 1. Panor. Angel. & Palud. in 4. d. 17. q. 3. Vide dicta dub. 2. ex Conc. Trid.*

13 Dub. 7. *An licentia audiendi confessiones duret mortuo concedente.*

1. Concl. Licentia data pro certo tempore cessat finito illo tem-

tempore. Nisi quando habes licentiam, v. g. vsque in Dominicam in Albis, & audita confessione alicuius intra illud tempus, oportuit differre absolutionem vsque ad Ascensionem, tunc potes istum absoluere. Ita *Ledesma, cap.* 12. *de pœnitent.* etsi oppositum reputet securius. Sed patet; Nam confessor habuit intra illud tempus iurisdictionem ad audiendum illam confessionem, & differendum absolutionem pro tempore sibi viso expedire more periti medici, *iuxta capit. omnis vtriusque sexus*: ergo & habet iurisdictionem ad illam perficiendam; nam etsi expirasset licentia audiendi nouas confessiones, sed non finiendi incœptas.

2. Conclusio. Licentiæ datæ absolutè durant dum Episcopi successores eas non reuocant. Ita *Ledesma cap.* 13. *de pœnitent. ex extrauag. inter cunctas*. Vide *in nostra Epitom. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 1.

3. Conclusio. Etsi Episcopus extra suam diœcesim non possit exercere in subditos suos iurisdictionem fori externi, alias pax turbaretur, potest tamen ipse, & parochus, & Sacerdotes ab istis expositi, vbique audire confessiones ouium istarum. Ita *Ledesma,& Siluest. verb. confessor.* 2.

Dub. 8. *Quis confessor sit eligibilis per Bullam Cruciata, aut alind simile indultum.* 14

1. Conclusio. Quiuis parochus saltem tuæ diœcesis est à te eligibilis per Bullam. Ita communiter, de quo *Ledesm. cap.* 12. *de pœnit. dub.* 2. Nam eo ipso, quod est parochus censetur idoneus,& vt talis ab Ordinario approbatus. Et idem est de alio Sacerdote sæculari, aut regulari approbato ab Ordinario saltem pœnitentis, etsi non exposito, cùm in Bulla solùm petatur vt sit approbatus, licet communiter, cum quis approbatur simul etiam exponatur.

2. Conclusio. Prælati regulares, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem respectu sæcularium, vt Prior de Vcles, &c. & alij ab istis pro sæcularibus approbati sunt in confessores eligibiles per Bullam. Secus de approbatis ab istis pro solis religiosis; qui à solis religiosis omnibus sunt in confessores eligibiles, cum Bulla, aut alio simili indulto. Ita *Ledesm. c.* 13. *de pœnit. dub.* 5. 6. *&* 11. *contra Enriq. tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 6. *num.* 9.

3. Conclusio. Approbatus ab Ordinario cum limitatione, v. g. exceptis mercatoribus, non est eligibilis in confessorem per Bullam à mercatoribus. Nam pro istis non reputatur idoneus. Ex quo patet esse probabilius quod approbatus

pro

pro viris, & non pro fœminis ex defectu ætatis, non est ab istis in confessorem eligibilis per Bullam: nec pro eis idoneus iudicatur. Nam idoneitas consistit non in sola scientiæ peritia, sed & in vitæ probitate, in modestia, & discretione, *iuxta Clem. dudum, de sepult.* quæ idoneitas non reperitur regulariter in Sacerdote iuueni respectu mulierum. Ita *Ludou. Lop. tom. 2. c. 8. de Bulla.* Etsi *Enriq. tom. 1. lib. 6. cap 6. num. 8.* tenet oppositum. Et id reputat probabile *Ledesm* Et refert aliam opinionem, quam putat securiorem, quòd iste sic approbatus non censetur absolutè, sed cum restrictione approbatus, & sic nec à viris est eligibilis per Bullam, cùm Bulla loquatur de absolutè approbato. Sed prima opinio, videtur verior.

4. Conclusio. Qui fuit parochus, aut simpliciter approbatus, dum non sit nunc legitimè reprobatus, in sententia probabili potest eligi per Bullam. Sed oppositum est probabilius. Nam iam tunc iste non est approbatus. Et hoc videtur insinuari in Bulla plumbea, dum dicitur, licere eligere per Bullam confessorem sæcularem, aut regularem ab Ordinario approbatum, & de regularibus semel tantùm approbatum: ergo de alijs Sacerdotibus non est eligibilis, qui aliquando fuit approbatus, sed qui modò non est approbatus, cùm illud specialiter concedatur solis religiosis.

15 Dub. 9. *An per Bullam sit eligibilis in confessorem approbatus à quouis Ordinario. Et de religiosis vide in nostra Epitome lib. 2. cap 6. dub. 5.*

1. Conclusio. Probabile est, quod debet esse approbatus ab Ordinario pœnitentis. Ita *Ludou. Lop. & Manuel. Rodrig. in Bulla § 9. dub. 2. Gutier. in quæst. Cano. cap. 27. & alij* Et patet. Nam verba generalia priuilegiorum maximè in odiosis, quæ sunt contra ius commune, sunt limitanda iuxta ius commune, dum non constat aliud clarius in contrarium. Ita *Nauar. in manu cap. 27 num. 114 & 116. Siluest. verb. excommunicatio 10 & Cordu. in sum. q. 10.* Sed illa verba Bullæ, liceat eligere approbatum ab Ordinario, possunt intelligi, & de approbato à quouis Ordinario, & de approbato solùm ab Ordinario eligentis confessorem: ergo sunt explicanda cum minori præiudicio Episcoporum, & iuxta ius commune Concilij Tridentini *sess. 23 cap. 15.* vbi per approbatum ab Episcopo intelligitur approbatus ab Episcopo pœnitentis. 2. Consulta Congregatio Cardinalium ab Episcopo Valentiæ censuit, approbatum ab alio, quàm ab Episcopo Valentino, non censeri

appro.

approbatum ab Ordinario in diœcesi Valentina. *Et si obijcias*, quod aliàs Bulla nil, aut parum concederet, cum etiam sine Bulla posset eligi approbatus ab Ordinario pœnitentis; *Ad hoc dico*, per Bullam posse eligi approbatum ab Ordinario, etiam pro casibus reseruatis. Item per Bullam potest eligi approbatus, etiam non expositus, sicut parochus vnus parochiæ est approbatus vt idoneus in tota diœcesi, & tamen non habet iurisdictionem, nisi solùm pro suis ouibus.

2. Conclusio. Probabile est, esse per Bullam eligibilem in confessorem parochum, etiam extraneæ diœcesis, & approbatum à quouis Ordinario, etiam clericum durante saltem approbatione. Ita *Enriq tom. 1. lib. 6. cap. 6. num. 7. cum Mantio, Gallo, Gueuara, Ludou. Lop. Bannes, Medina, 1. 2. q. 19. art. 6. & alij, de quo Ledesma cap. 13. de pœnit. conclus. 1. dub. 7.* Nam hoc est priuilegium: ergo non est restringendum ad approbatum ab ordinario eligentis: cum quiuis parochus, & à quouis Ordinario approbatus sit absolutè approbatus. Itaque Bulla solùm intendit, ne in confessorem eligatur, vt olim, quiuis Sacerdos, *iuxta dicta dub. 6.* sed qui sit ab Ordinario aliquo approbatus. Et sic patet ad 1. primæ conclusionis. Ad 2. dico, quod illa est declaratio pro Concil. Trid. *loco citato*, vbi statuitur, quis dicatur confessor idoneus, & non pro Bulla, vbi verba sunt amplè interpretanda, cùm sint priuilegium. Maximè, quia declarationes Cardinalium sicut & decisiones Rotæ inconsulto Papa, aut sine eius ordine non faciunt ius, etsi sint magnæ auctoritatis. De quo *in nostra Epitome lib. 2. cap. 2. dub. 1.*

Dub. 10. *An in articulo mortis possit ab omnibus casibus absolui à quouis Sacerdote, etiam hæretico, & degradato.* 16

1. Conclusio affirmatiua *D. Thom in addit. quæst. 8. art. 6.* Et patet ex multis decretis, maximè ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7.* vbi dicitur. *In Ecclesia semper fuit custoditum, vt nulla sit casuum reseruatio in articulo mortis. Et sic omnes Sacerdotes, quosuis pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Ita ibi. Imò est probabile hoc eis conuenire tunc ex iure diuino: cum eius vsus sit in Ecclesia à tempore Apostolorum. Sed re vera solis Apostolicis, & Papæ competit iurisdictio ex iure diuino à Christo immediatè concessa: at alijs ex iure Ecclesiastico à Papa, vt à capite deriuatur. Ita *Enriq. cum alijs, tom. 1. lib. 6. cap. 5. & 11. & communiter, cum D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. q. 2.* Et sic

à Pa-

à Papa potest alijs limitari: etiam pro articulo mortis. Et nota, quod *vt ait Ledesm. cap. 14. de pœnitent. dub. 2.* etsi in iure detur cuiuis Sacerdoti sine exceptione posse tunc absoluere, tamen securius videtur, hæreticos, degradatos, suspensos, aut non expositos non posse tunc absoluere, si adsit Sacerdos expositus in confessorem.

2. Conclusio. Probabile est, quod qui existit in periculo mortis, sicut & qui existit in articulo mortis, potest eligere in confessorem etiam non expositum pro omnibus peccatis, & censuris etiam reseruatis. Ita *iuxta cap. eos, qui, de sentent. excommunic. in 6. cum gloss. Paludan. Adrian. Siluest. verb. confessio, 1. & Nauar. cap. 27. num.* 271. Sed oppositum est probabilius. Ita *Sot. dist* 18. *quæst. 4. art. 4. Cano relect. de pœnitent. part. 5. Ledesma dub. 3. & communiter.* Nam iura illud concedunt solis existentibus in articulo mortis, vt patet in Concil. cit. Aliàs facilè posses absolui ab hæresi hoc colore constituendi te in morali periculo mortis, vtpotè periculosæ nauigationis. Item iste voluntariè se exponit periculo mortis, & sic antequam exponatur, potest accedere ad legitimum confessorem. At si aliquando non possit accedere ad confessorem reseruatorum, confitendo alteri indirectè absoluetur ab eis, & directè ab alijs, & sic transacto periculo tenetur confiteri peccata reseruata legitimo confessori.

3. Conclusio. Non est absoluendus pœnitens etiam in articulo mortis à censuris, si non satisfacit per se, aut per alterum, si censuræ petunt satisfactionem. Et si non possit satisfacere, det cautionem de satisfaciendo cùm primùm possit: alias absolutio saltem extra articulum mortis non valet, & absoluens excommunicatur *in extrauag. Etsi dominici, de pœnitent & remission.* Vide *Enriqu. tom. 1. lib. 7. cap. 13. num.* 2. qui ait, valere absolutionem in articulo mortis, etiam omissa satisfactione, & cautione, nec incurri e communicationem ab absoluente. Quæ autem sit sufficiens cautio explicatur *à Caietan. verb. excommunicatio, cap. 77.* vtpotè, quod detur pignus si fieri possit, sin minus fideiussor, & si hoc non sit possibile, detur iuramentum, aut subscriptio pœnitentis de satisfaciendo cùm primùm possit. Ita *D. Anton. 3. par. tit. 25. cap 77. Armil. & Siluest. verb. absolutio, 3. Medina in sum. lib. 2. c. 12. Nauar. c. 27. num. 47. Sa. verb. absolutio ab excommun.* vbi ait, quod iste ab excommunicatione absolutè, & simpliciter absolutus cùm dicta cautione, etiam extra arti-

articulum mortis, non reincidit, etsi non satisfaciat.

4. Conclusio. Si pœnitens ab articulo mortis incolumis euadat, aut cesset impedimentum accedendi ad superiorem, seclusо priuilegio tenetur se præsentare superiori, non pro absolutione reseruatorum, cùm iam sit absolutus, *ut ait D. Thom. in addit. quæst.* 8. *art.* 6. *ad* 2. sed vt innotescat ei, quod sit absolutus, & videat superior quid facto opus sit pro satisfactione. Et ita præcipitur *in cap. eos, qui, de sententia excommunicat. in* 6. Et si id omittat facere ex contemptu (non si aliter, *vt ait Caiet, verb. excommunicatio, cap.* 69. *& Ledesm. cap.* 8. *de excommunicat. dub.* 4.) ex vi istius decreti ita postulantis incidit in excommunicationem ibi latam. Dixi seclusо priuilegio. Nam si pœnitens in articulo mortis absoluitur virtute Bullæ, aut alterius indulti, non tenetur præsentare se superiori pro casibus ibi concessis existentibus in articulo mortis, cuiusmodi sunt omnes præter hæresim; cùm ibi absolutè, & sine dependentia concedatur prædictorum absolutio tunc. Ita *Palud. in* 4. *d.* 1. *quæst.* 1. *conclus.* 3. *Medin. in summa lib.* 2. *c.* 12. *Ledesm. conclus.* 2. 17

Dub. 11. *An cùm posses in aliquo die ob Iubileum, aut licentiam superioris absolui à reseruatis, transacto illo die, possis absolui à reseruatis tunc in tua confessione oblitis.* 18

1. Conclusio. Si confessio facta illo die fuit valida, potes postea absolui à reseruatis tunc oblitis. Ita *Cano par.* 5. *de pœnitent. Siluest. verb. confessio,* 1. *Couar. in cap. Alma mater,* §. 11. *num.* 12. *& communiter contra Ledesm. dub.* 8. Nam illud peccatum pertinet ad præcedentem confessionem. Sicut si Sacerdos ex rationabili causa differat absolutionem vltra dictum diem, potest postea virtute illius concessionis absoluere etiam à reseruatis tunc concessis.

2. Conclusio. Si confessio, ex defectu doloris, aut quia pœnitens de industria dimidiauit confessionem, fuit nulla, non potest pœnitens illo die transacto absolui à reseruatis, si sint reseruata sine censura. Ita *Ledesma, cap.* 15. *de pœnitent. concl.* 2. *dub.* 7. Nam illa confessio fuit nulla: ergo peccata manserunt reseruata, cum iurisdictio nil fecerit circa illa.

3. Conclusio. Si peccata sint ob censuram reseruata, etsi confessio fuerit nulla, adhuc illo die transacto possunt absolui. Nam cum censura sit ablata iam per absolutionem censurarum, saltem in generali, dicendo, *si teneris aliquo vinculo excommunicationis, &c.* peccatum mansit sine reseruatione.

Ita

Ita *Palud. Caietan.verb.casuum referu.Siluest.verb.confessor.* 1. *Vide supra dub.*3.*conclus.*1.

QVÆSTIO SEXTA.
De sigillo Confessionis.

D. Thomas in addit. quæst. 11.

SVMMARIVM.

*Sub sigillo confessionis celanda sunt omnia peccata, & alia, quibus reuelatur confessio,num.*1.
*Prælatus non potest vti scientia parta ex confessione in regimine externo,num.*2.
*An hoc sigillum extendat se ad ea, quæ non sunt de confessione, num.*3.
*An solus Sacerdos teneatur ad sigillum,num.*4.
*An liceat aliquando reuelare confessionem,num.*5.

1 DVB. 1. *An confessor teneatur celare peccata, & eorum circumstantias notas in confessione.*

1. Conclusio affirmatiua *D. Thomæ in addit. quæst.* 11.*art.*1. Nam in remissione peccatorum habet se Deus, ac si eorum obliuisceretur: ergo eodem modo se debet habere confessor, cùm sit Dei minister. Et aliàs destrueretur hoc Sacramentum, cum hoc sigillo conseruetur. Arcerentur enim fideles à confessione. *Et nota,*quod non potest reuelare peccata mortalia, etiam in communi, dicendo, iste mihi confessus est peccata mortalia, imò nec peccata venialia in particulari, dicendo, iste mihi confessus est, v. g. mendacium,aut verbum otiosum. Benè tamen in communi, dicendo, iste mihi confessus est peccata venialia, aut ego absolui istum.

2. Conclusio. Confessor tenetur celare sub isto sigillo etiam peccata enormia contra bonum commune, vt hæresim, etsi pœnitens dicat non habere animum cessandi ab illis. Et opposita sententia Alexand. 2.*par. quæst* 78. *men* 2. *art.*2. *Siluest. verb.confessor.*3: *Panormitan. in cap. omnis vtriusque sexus*, & aliorum asserentium posse confessorem illa reuelare cui profit, & non obsit, *ait D. Thom. ad* 1. videtur erronea. Nam illa est vera confessio Sacramentalis in ordine ad absol-

absolutionem, etsi de facto non sequatur: ergo tenetur confessor ad sigillum, de quo nullus excipitur casus, nisi cum pœnitens non intendit facere veram, sed derisoriam confessionem, & decipere confessorem; cum ista tunc non sit vera confessio sacramentalis. Potest tamen confessor in casu istius Conclusio. ait D. Tho. ad 1. monere Prçlatum, vt vigilet super gregem suum & hoc sine vlla manifestatione confessionis etiam indirecta, verbo aut signis. Imò interrogatus de illo, etiam sub iuramento, & excommunicatione, ait D Thom. ad 2. verè dicit se nescire, quia vt homo vere illud ignorat, nec potest cogi iuramento aut excommunicatione, vt dicat quæ scit in confessione. Ita *cap. dilectus, de excess. Prælat.* Imò & potest sic quæsitus iurare illud non audisse, aut scire in confessione. Ita *communiter, contra Soto d. 18. qu. 4. art. 5.* Nam non interrogatur iuridice tunc, cum non sit superiori subiectus, nisi vt homo, ait D. Thom. & illud scit vt Deus.

3. Concl. Si Prælatus ex sola confessione scit alicuius indignitatem ad officium, non potest illum priuare illo officio, nisi alias constet de alijs demeritis, ita vt nullo modo intelligatur, etiam à pœnintete; quod ob peccatum notum in confessione punitur. Ita D. Tho. ad 3. Aliàs odiosa redderetur à pœnitente iste confessio, & ab ea fugeret. Potest tamen Prælatus ex scitis confessione subditi vigilare super eum, vt scito delicto extra confessionem, corrigatur. 2

Dub. 1. *An hoc sigillum se extendat ad ea quæ non sunt de confessione.*

1. Conclus. D. Thom. art. 2. Sigillum confessionis directè se extendit ad ea quæ sunt de confessione, & indirectè ad alia: quæ etsi non sit peccata, tamen ex eorum manifestatione potest aliquo modo nosci peccatum pœnitentis. 3

2. Concl. Si pęnitens absq; necessitate manifestauit in confessione complicem sui peccati, non tenetur confessor complicis peccatum occultare sub sigillo confessionis, sed ex solo secreto naturali. Nam tunc peccatum complicis non pertinet ad istam confessionē, & sic pro bono cōmuni est manifestandū, sicut alia secreta naturalia, dum tamen non explicetur pęnitēs. Secus si persona complicis, aut eius peccatū pertinet per se ad istam confessionem; vt si ex illa varietur species peccati pœnitentis, aut alia circunstantia, vt si dicas coisse cum sorore.

Dub. 3. *An solus Sacerdos teneatur ad sigillum.*

1. Conclus. D. Thom. art. 3. Solus Sacerdos per se loquen-

do tenetur seruare sigillum:cum solus ille habeat claues,& iurisdictionem,quibus est annexa obligatio sigilli.

2. Conclus. Diu.Thom. ibi. Non Sacerdos,sicut aliquando participat aliquid de actu clauis,vtpote,si ob necessitatem audit alicuius confessionem,ita etiam participat aliquid de actu sigilli,etsi propriè sigillum non habeat. Et inter istos sunt gradus. Nam strictius tenetur ad sigillum Præla tus,si ab eo petitur licentia pro absolutione reseruatorum:cum iam isti manifestentur peccata, sicut habenti iurisdictionem in illa. Deinde tenetur doctor à quo petitur consilium circa agenda in confessione. Et idem de eo qui se fingens confessorem audit pœnitentis peccata, aut aliter audit istius peccata dum confitetur. Omnes enim dicti tenentur ex iure naturali,& diuino, & cum periculo vitæ,& boni communis,ad sigillum. Vide supra quæst.3.dub.7.

4 Dub.4. *An liceat aliquando reuelare confessionem.*

1. Conclusio. D.Tho.art.4. De licentia pœnitentis potest reuelari eius confessio. Sed hoc fiet cum cedit in eius bonum, & non aliter, vt ad communicandum eius confessionem cum alio peritiori. Alias sequerentur multa damna.

2 Conclus. D.Tho.art.5. Si confessor scit etiam extra confessionem peccatum pœnitentis, non tenetur illud celare sub sigillo, cum iam sciat illud peccatum,vt homo.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Clauibus.

D. Thomas in Supplem.q.17.

SVMMARIVM.

Quid sit clauis & quomodo differat à caractere.n.1.
An in Ecclesia sint claues & quot. n.2.
An Sacerdos per claues possit ligare & soluere, à culpa & pœna num.3.
An possit pro libito ligare vel soluere.n.4.
An soli Sacerdotes nouæ legis habeant claues.n.5.

1 DVB.1. *Quid sit clauis.*

1. Conclus.D.Thom.in addi.q.17.art.2. Clauis diffinitur

tur, quod sit potestas ligandi & soluendi, qua iudex ecclesiasticus dignos recipit, & indignos excludit à Regno cęlesti. Sicut enim claue materiali, ait D. Th. art. 1. aperitur ostium, & clauditur, sic claue spirituali tollitur impedimentum peccati ad ingressum cęli, & ponitur impedimentum, non apponendo peccatum, sed, *vt ait D. Thom ar.2. ad* 4. negando eius absolutionem.

2. Conclusio. D Th. ad 1. Potestas clauis sola ratione differt à charactere sacerdotali, vtpotè per ordinem ad diuersos actus. Nam eadem qualitas relata ad corpus Christi verum consecrandum dicitur caracter, seu potestas consecrandi, & relata ad soluendum, & ligandum fideles, dicitur clauis. *Ita communiter Thomistæ contra Sco.* Et patet. Nam ad duos actus subordinatos ad vnum finem, *ait D. Thom.* sat est vna potentia. Sicut ignis eodem calore disponit ad suam formam, & introducit eam. Sed potestas clauis disponit fideles ad recipiendam Eucharistiam, quam alia Sacramenta vt finem respiciunt: ergo eadem potentia, qua consecratur Eucharistia suscipienda, disponuntur ad eam fideles, eos absoluendo. *Si arguas*: Nam caracter potest esse sine clauibus: Apostolis enim contulit Christus in Cœna caracterem, & post resurrectionem in illo Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c.* contulit eis claues: ergo: *Ad hoc dico* 1. Quod Christus in Cœna contulit Apostolis caracterem cum clauibus quãtum ad substantiam, sed vsum clauium dedit eis Ioann. 20. Sicut modo datur Sacerdotibus potestas clauis quantum ad substantiam simul cum caractere in illis verbis: *Accipite potestatem offerendi sacrificium*, &c. Et postea quando in fine Missæ displicando eorum casulam dicitur eis iam ordinatis: *Accipite Spiritum sanctum, &c* explicatur magis potestas iam eis prius data. Dico 2. Quod Christus per potestatem excellentiæ potuit conferre Apostolis caracterem cum sola Potestate consecrandi, & post Resurrectionem extendit caracterem conferendo eis virtutem remittendi peccata.

Dub. 2. *An in Ecclesia sint claues & quos.*

1. Concl. D. Th. art. 1. affirmatiua, diffinita cap. firmiter, & in Concilio Trid. ses. 14. can. 10. & 15. Et Matth. 16 ait Christus Petro: *Tibi dabo claues*. 2

2. Concl. D. Thom. q. 17. art. 3. Tantum sunt duæ claues in Ecclesia distinctæ non inter se, sed secundum diuersos actus ad inuicem ordinatos. Et vna dicitur clauis scientiæ,

consistens non in hoc quod est scire idoneitatem pœnitentis, cum clauis non dicat scientiam, sed potestatem, sed in auctoritate iudicandi de dignitate, aut indignitate pœnitentis. Alia est clauis potestatis ligandi, & soluendi, consistens in auctoritate ad ligandum, & soluendum. *Ita D. Th. ad* 2. Vbi etiam ait, quod etsi clauis scientiæ, & scientia requisita ad iudicandum de dignitate pœnitentis, sint diuersæ: tamen qui sine tali scientia suscipit in sua ordinatione clauem scientiæ peccat saltem venialiter, etsi non sit vsurus tali claue. Nam si ea sit vsurus sine scientia, peccat mort. cum exponat se periculo errandi grauiter. Ex dictis patet, potestatem iurisdictionis pro foro externo ad ferendum censuras; & pro foro interno ad absoluendum in foro conscientiæ, propriè non esse claues. Ita communiter cum D. Th. art. 2. ad 1. vbi ait, clauem esse idem cum caractere, & ad 2. ait, clauem dari cum consecratione & ordine. Sed neutra iurisdictio datur tunc. Nam prima committitur sæculari babtizato, & ex iure diuino competit Episcopo confirmato nondum ordinato. Et secunda, licèt necessario supponat caracterem, non tamen confertur cum eo, sed postea datur ab Ordinario sine noua consecratione: Ergo non est clauis, sed habet se ad claues sicut conditio applicans & constituens materiam, in quam exerceatur virtus clauis. Etsi à D. Th. *in additio. qu.* 25. *art.* 2. *ad* 1. *&* *à Caiet.* largè vocetur clauis.

3 Dub. 3. *An Sacerdos per claues possit ligare, & soluere à culpa, & pœna.*

1. Concl. D. Thomæ in addit. q. 18. art. 1. Sacerdos per claues remittit culpam. Ita diffinitur in Conc. Trid. sess. 14. Et quod D. Thom. ait, hoc Sacramentum, sicut & baptismum operando non pertingere directè ad gratiam, nec ad culpæ remissionem, sed dispositiuè, intelligitur iuxta eumdem 3. p. q. 62. art. 1. & 3, idest, non causant gratiam principaliter, & virtute propria, sed dispositiuè & instrumentaliter. Et quod ait, quod in aliquibus Sacramentis virtus causatiua gratiæ est in materia, in alijs in forma, intelligitur, id est, quòd in aliquibus Sacramentis virtus causatiua gratiæ explicatur in materia, in alijs in forma, &c. Alias vt sępè patet ex D. Thom. in omni Sacramento materia, forma, & minister efficienter instrumentaliter causant gratiam. *Vide supra. q. 1. dub. 4.*

2. Conclusio. Sacerdos per claues absoluendo, *vt diffinitur in*

in Conc.Trid.sess.14.canon.12.& 15. non remittit totam, sed aliquam partem pœnæ correspondentem Sacramento Pœnitentiæ ex opere operato, præter correspondentem contritioni, vt est opus operantis. Ita D.Thom. art.2.

3. Conc.D.Tho.art.3. Sacerdos per clauem potest ligare penitentem in ordine ad culpam indirectè, vtpotè non absoluendo ab ea; & in ordine ad pœnam potest ligare directè, obligando sub mortali pœnitentem ad aliquam satisfactionem, iuxta dicta q.4 dub.3. *Nota* 1. Quod regulariter est imponenda pœnitenti satisfactio; at si sit morti proximus, aut si incœpta confessione incidit in amentiam, absoluatur sine satisfactione cum satisfactio non sit de essentia, sed de integritate Sacramenti. *Nota* 2. Quod si pœnitens obliuiscitur satisfactionis sibi iniunctæ, etiam culpabiliter, non tenetur iterum repetere confessionem alias validam, vt sibi iterum taxetur satisfactio, sed tenetur confiteri illam culpabilem negligentiam.

Dub.3. *An Sacerdos possit pro libito ligare, aut soluere.* 4

1. Concl. negatiua sed debet Sacerdos operari iuxta Dei motionem, alias si absoluat indispositum, Sacramentum erit nullum. Ita *D.Thom.art.*4.

2. Conclusio. D.Thomæ ibi. Sacerdos sua scientia, & prudentia applicabit medicinam proportionatam peccatis, & penitenti. Non enim debet applicare pœnitenti satisfactionem omnino æqualem, nec pœnitens eam acceptare tenetur. Nam præterquam quod talis satisfactio non potest constare Sacerdoti, esset intolerabilis, si constaret. Item per se loquendo pro grauioribus peccatis maior satisfactio est in iungenda. Ita *cap.sicut, de homicidio, & iuxta Concil.Trident sess.*14. *c.*8. Nam vbi debitum est maius, maior debet esse satisfactio. An aliquando per accidens pro grauiori peccato minor satisfactio imponatur. Nam in taxatione pœnitentiæ, & peccatum & persona considerentur: minor enim satisfactio imponatur seni, infirmo, aut mulieri, quam iuueni sano, aut viro. Et maior satisfactio imponatur vitioso, qui non ita rationibus, quàm flagellis mouetur, & minor imponatur volenti lucrari indulgentiam, *ait Caietan.ver.satisfactio, & Siluest. ver. confessio.*4. Item auaro imponatur eleemosyna in satisfactionem, & guloso ieiunium,

Dub.5. *An soli Sacerdotes legis Euangelicæ habeant claues.* 5

1. Conclusio. D.Thomæ, quæst.19.art.3. affirmatiua. Nam clauis propriè est idem cum caractere Sacerdotis, vt dixi

 dub.1.

dub. 1. sed soli Sacerdotes legis Euangelicæ habent caracterem: ergo.

2. Conclusio. D. Thomæ ad 4. Mulier non habet claues. Nam cum iuxta Apostol. 1 Corinth. 14. sit in statu subiectionis, non potest habere aliquam spiritualem iurisdictionem, etiam ex commissione contra Soto. Et patet ex cap. dilecta, de maioritate, vbi dicitur mulierem non posse excommunicare, aut suspendere. *Si obijcias*, aliquas Abbatissas conferre beneficia, & ab illis suspendere, vt habetur in dicto cap dilecta, *Ad hoc dico* illam collationem esse solum præsentationem nec conferre possessionem, aut titulum spiritualem. Sed hoc confert Prælatus. Et illa suspensio non est censura Ecclesiastica, *vt ait Silu. verbo, Abbatissa*. Et sic Sacerdos celebrando cum illa non fit irregularis. Item Abbatissæ cum careant potestate spirituali, vt dixi non possunt sicut Prælati ponere præcepta ex se obligantia ad culpam. At cum in ordine ad subditas habeant potestatem gubernatiuam, & sint velut matres familias, possunt in ordine ad regimen monasterij præcipere aliqua, quorum trangressio sit peccatum mortal. ob materiæ grauitatem.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Indulgentijs.

D. Thomas. in Supplem. q. 25.

SVMMARIVM.

Quid sit indulgentia n.2.
Conditiones requisita vt indulgentia valeant n.2.
Indulgentia mille annorum quomodo intelligenda. 3.
Ad indulgentia prosint animabus Purgatorij n.4.
An vt aliquis lucretur indulgentias pro defunctis, debeat esse in gratia n.5.
An bulla compositionis sit licita. n.6.

DVB. 1. *An per indulgentias remittatur aliquid de pœna peccati.*

1 1. Conclusio. *D. Thom. in addit. quæst. 25. art. 1.* affirmatiua Nam indulgentia diffinitur, quod sit relaxatio pœnæ

debitæ

debitæ peccatis facta extra Sacramentum, siue ista pœna sit à confessore iniuncta, siue non. *Vbi nota ex D. Thom.* quod in Ecclesia est thesaurus constans præcipuè ex Christi satisfactionibus, & ex satisfactionibus, quæ superfluere sanctis. Nam in opere pœnali, & consideratur meritum, quod vltra condignum est præmiatum in sanctis, & consideratur pœna, quæ soluitur pro peccatis, quæ in sanctis solet esse maior, quàm ab eis debeatur pro peccatis: iuxta illud Iob. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Istæ ergo satisfactiones quæ superfluere sanctis dum viuerent, reconditæ sunt in thesauro Ecclesiæ; & eius dispensatio est tradita Papæ, & Episcopis, vt cum causa rationabilili virtute clauium etiam extra Sacramentum applicent eas membris viuis Ecclesiæ, quæ sunt vnum corpus per gratiam, cum Sanctis, quorum sunt illæ satisfactiones; & sic per illas ergo satisfacio & soluo: & ista satisfactio vt mea acceptatur: & sic per Prælatum virtute clauium absoluor ab obligatione satisfaciendi pro meis peccatis.

2. Conc. Concessio indulgentiarum, etsi non sit pura absolutio; cum interueniat alicuius pœnæ solutio, est tamen vera absolutio à pœna. Ita *Soto & colligitur ex D. Th.* Aliàs non esset actus clauium, contra communem sententiam, nec requireret iurisdictionem, contra ca. quod autem, & c. cum ex eo, de pœnit. & rem. Nec obstat istam absolutionem fieri extra Sacramentum: nam absolutio à pœna non est Sacramentis alligata, vt absolutio à culpa. Ex quo patet, quod cum defuncti sint extra Ecclesiam, non conceduntur eis indulgentiæ sicut viuis, per modum absolutionis, sed per modum suffragij, & solutionis, sicut applicantur eis sacrificia, oblationes, & alia suffragia viuorum, & de condigno eis prosunt, *ait Soto*.

Dub. 2. *An indulgentiæ valeant quantum sonant?* 2

1. Conc. D. Thomæ artic. 2. affirmatiua tribus conditionibus. Prima, Auctoritas in concedente; qui debet esse Papa, aut Concilium Generale pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua Diœcesi. Solis enim istis datur à Deo posse dispensare Thesaurum indulgentiarum. *Ita ca. quod autem, & ca. cum ex eo, cit.* Et sic Prælati regularium, etsi possint applicare sacrificia, & satisfactiones subditorum cui velint, antequam fiant vel dum fiunt, sed non possunt illa iam facta extrahere à thesauro Ecclesiæ; & alteri applicare, sicut

nec illud potest qui ea obtulit.

3. Conditio est Charitas in suscipiente indulgentiam. Nam vt prosit tibi indulgentia, debes esse per gratiam vnitus alijs membris, quorum satisfactionibus soluis. Nam vt in corpore naturali manus abscisa non participat aliorum influxum mēbrorum: sic nec qui est in peccato mortali potest satisfacere pro pęna peccati etiam antea remissi. An verò quando in iubileo conceditur indulgentia plenaria ieiunantibus, orantibus, & eleemosynas largientibus in Feria 4. 6. & Sabbato, & tandem in Dominica sequenti Eucharistiam sumentibus, necesum sit vt omnia ista in gratia fiant: In hoc Soto, & alij piè credunt sat esse si sola Eucharistia in gratia sumatur. Sed probabilius videtur omnia illa, aut maiorem partem esse facienda in gratia. Nam omnia illa sunt à Papa requisita sicut causa proportionalis pro lucranda indulgentia. Imò confessio, & communio potius sunt dispositiones, quibus homo in gratia positus indulgentiam lucretur, dictis pijs operibus oblatis pro pace, pro extirpatione hæresum, &c. Cuius signum est quod præcipitur in iubileis; vtpotè quod si quis aliquid prædictorum præstare non possit, arbitirio confessoris in alia operacommutetur: ergo ista omnia vt præcipuum obsequium petuntur pro bono communi. Non tamen est necesse, *contra Caietan.* vt potiaris indulgentijs Bullæ Cruciatæ, quod sis in gratia cum eam sumis, sed postea cum visitando Ecclesiam lucraris indulgentiam. Nam iudulgentia non conceditur pro sola solutione duorum argenteorum, sed & pro visitando Ecclesiam certis diebus.

3 Conditio est, causa pia, non æquilis, vt dixit Adrianus. Aliàs indulgentia non esset absolutio, sed commutatio illius obsequij exhibiti pro relaxatione pœnitentiæ. Sat est enim, quod causa sit proportionata indulgentiæ, iuxta D. Thomam art. 2. Nam si pro leui causa concedatur magna indulgentia, solùm sortietur effectum iuxta causæ proportionem. Sed quia causæ proportio non potest à Papa nosci, semper intendit concedere totum quod potest, & non plus, etsi maiorem indulgentiam concedat, quam sit causa: Papa enim in concedendo indulgentias, habet se vt dispensator, qui tenetur dispensare Thesaurum indulgentiarum ex causa iusta, & iuxta voluntatem veri domini. Aliàs dispensario erit nulla, sicut fit in dispensatione aliorum dispensatorum.

Vbi

Vbi not. cum D. Thoma, causam indulgentiæ debere esse in bonum commune Ecclesiæ ordinatam, vt eleemosyna quæ exigitur in Bulla subsidium belli contra infideles, & visitatio Ecclesiæ, & oratio pro bono successu eius, & eleemosyna pro fabrica Ecclesiæ, aut hospitalis. Nam cum Thesaurus, ex quo conceduntur indulgentiæ, sit bonum commune, pro solo bono communi est dispensandus. *Nota* 2. Quod cum conceduntur mille anni indulgentiæ, non supponitur animas in purgatorio existere per mille annos. Imò vt ait Soto, *dist.* 19. *q.* 3. *art.* 2. *&* *d.* 21. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. nullus ibi existit per decem annos. Sed sensus est, quod per indulgentiam mille annorum relaxantur pœnitentiæ, quæ in hac vita essent pro peccatis exoluendæ, quæ possunt excedere mille annos. Nam olim pro singulis peccatis mortalibus imponebantur à confessore septem anni pęnitentiæ. Et si in tenore indulgentiarum solet dici, *indulgemus tot annos de pœnitentiijs iniunctis, aut iniungendis*. Et consequenter per indulgentiam relaxantur pęnæ purgatorij correspondentes mille annis pęnitentiæ in hac vita, quæ ob suam acerbitatem non erunt plures quàm quatuor anni, aut minus. *Et nota* 3. Quod si in concessione indulgentiæ non sit restrictio, vt relaxentur pœnitentiæ in confessione iniunctæ, extenditur indulgentia, etiam ad pœnitentias non iniunctas, *contra Caiet. cap.* 7. *de indulgent.* sed iuxta D. Th. *in addit. q.* 25. *art.* 1. & Soto. Nam beneficium Principis dum ab eo non limitatur, latè est interpretandum, *iuxta cap. Quia circa, de priu. cum glossa*. 3

4 *Circa indulgentias defunctorum nota*, esse de fide posse Papam concedere indulgentias animabus purgatorij. Nam vt aliqua bona possint alteri communicari, sat est quod dispensator habeat potestatem super ea, & quod cui sunt communicanda, sit capax pro recipiendo illorum communicationem, etsi non sit subditus dispensatoris, *vt ait Alexand.* 4. *p. q.* 83. *mem.* 5. *D. Bonau. in* 4. *d.* 20. *art.* 2. *quæst.* 3. *& Cord. q.* 16. *de indulg.* Sed Papæ est commissa communicatio Thesauri Ecclesiæ, & animæ purgatorij sunt capaces talis communicationis: cum sint in gratia, & oues Christi, qui est Dominus Thesauri: ergo Papa, qui est pastor ouium Christi, potest dicta bona eis communicare.

Dub. 3. *An vt indulgentia prosit defunctis, debeat esse in gratia, qui in pro eis lucratur indulgentiam?*

Et nota. Quod si sis in gratia potes applicare tuam satisfa-

satisfactionem alijs, etiam defunctis in gratia existentibus, non verò indulgentiam aliquam, nisi tibi à Papa concedatur. Ita *Diuus Thomas in additioni. quæst. 27. artitul. 3. ad 2.* Nam hoc in sola facultate concedentis indulgentias situm est: cum concedere indulgentias sit actus iurisdictionis. Imò quando ex commissione Papæ lucraris pro alio indulgentiam, non applicas ei indulgentiam tibi iam lucratam, sed facis opus, quod alter deberet facere, vt eam lucraretur. 2. *Nota* Quod qui alteri lucratur indulgentiam, potest se habere, vel vt principale operans respectu operis exhibiti pro indulgentia, vel solum vt minister. *Ita D. Th. in addit. qu. 27. art. 3.*

1. Conclusio. Qui lucratur alteri indulgentiam faciendo ad hoc opus respectu cuius habet se vt principale agens, vt si oret, ieiunet, &c. vt alteri prosit indulgentia, ambo debent esse in gratia. Nam aliàs si opus illud ob peccatum mort. sit mortuum, qui illud exercet nihil sibi meretur, nec pro se satisfacit: ergo nec pro alio. *Ita D. Thomas Soto. Caiet. contra Cord. qua. 26. & Nauarr. de indulgent. not. 22. numero 30.*

2. Conclusio. Qui alteri lucratur indulgentiam faciendo ad hoc opus respectu cuius se habet vt minister, vt offerendo Missam, aut alia suffragia vt minister Ecclesiæ, non requiritur quod sit in gratia, vt prosit alteri in gratia existenti; vt cum quis per malum ministrum eleemosynam porrigit, non vitiatur hoc opus od peccatum mortal. ministri. *Ita Diuus Thom.* Ex quo patet, quod si sumis Bullam pro defuncto exhibendo duos argenteos, non debes esse in gratia, cum sumis illam, vt defuncto prosit. Nam istud opus, sicut eleemosyna, est bonum, & vtile pauperi. At oratio peccatoris nulli est sic vtilis. *Ita Soto, Placios, in 4. dist. 20. disputat. 3. Manu. Rod. in bul. §. 8. contra Ludou. Lop. tom. 2. capit. 5. de indulgent.* Et hoc maximè est verum, quando defunctus morti proximus, & in gratia existens iubet, vt sibi sumantur bullæ, sicut petit alia sacrificia, Nam sic plus sibi prosunt indulgentiæ, & sacrificia quam si alter ex suo motiuo illa pro eis exerceat, *vt ait Gab. in can. lec. 57.* Nam tunc ista suffragia ex opere operantis habebunt suum effectum; & qui ad mandatum alterius dant eleemosynas, aut offerunt sacrificia, solùm se habent vt ministri.

6 Dub. 4. *An bulla compositionis sit licita?*

1. Concl.

1. Conclusio. Olim fuit suspecta Bulla ista de iniustitia, eo quod nulla videtur proportio, vt pro quinque mille dipondijs componaris cum duobus argenteis, cum quo datur ansa cauponibus, & alijs paulatim defraudandi populum aliena minutatim furando.

2. Conclusio. Stando in iure naturæ posset rex ex causa honesta facere compositionem ex debitis incerto domino iniustè acquisitis, cùm ista redeant ad communitatem, cuius Princeps est administrator. Tamen de facto solus Papa concedit illam. Ita *Bannes 2. 2. q. 62. art. 5. dub. 8.* Et merito: Nam cum ista debeant cedere in pios vsus, Papa, cùm sit supremus administrator istorum, potest ea distribuere pro talibus vsibus, & applicare in subsidium belli contra infideles.

3. Conclusio. Papa concedendo istam compositionem, supponit adesse legitimam causam, vt bellum contra infideles, & seruandam esse legem naturalem, vt quod debita, domino diligenter inquisito, maneant incerta, & quod debitor intuitu istius compositionis non contraxerit ista debita, cum fraus, & dolus nulli patrocinentur.

4. Conclusio. Cùm ista compositione fis dominus bonorum Ecclesiasticorum malè perceptorum; v. g. ex eo quod horas non recitasti, &c. Nam cùm ista bona debeantur Papæ, vt domino, si voluntariè ea concedit, transfert dominium eorum.

5. Conclusio. Facta compositione incertorum bonorum, si dominus eorum comparet, sunt ei reddenda, dempta eleemosyna data pro compositione. Etsi Soto *distinct. 21. quæst. 1. articul. 4.* & Bannes, dicant non esse reddenda magis, quàm si sint data pauperibus, Sed vt dixi *articul. 5. de restitutio. dub. 4.* si sint data pauperibus; isti tenentur ea restituere, si habent illa, aut id, quo facti sunt ditiores ex illis: ergo à fortiori tenentur isti debitores restituere, ad minus eo modo, ac pauperes. Ita *Cordub. quæst. vltim. de indulgent. lib. 5.* Et hæc de Sacramento Pœnitentiæ. Nam de excommunicatione cum alijs censuris agemus in fine specialem tractatum.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

D. Thomas in Supplemento q. 29.

SVMMARIVM.

Extrema vnctio est Sacramentum à Christo immediatè institutum, num. 1.
Integratur ex quinque vnctionibus, num. 2.
Quæ eius materia, & forma, num. 3.
Quis minister, num. 4.
Qui sint effectus, num 5.
Quibus conferendum hoc Sacramentum, num. 6.
In quibus partibus corporis recipiendum, & an iterabile, nu. 7.

1 DVB. 1. *An extrema Vnctio sit Sacramentum.*

1. Conclusio. *D. Thomæ in addit. quæst 29. art. 1.* affirmatiua, diffinita *in Concil. Trident. sess. 14. can. 1.* Et patet ex illo Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, &c.* Et subditur, *& si in peccatis est, remittentur ei.* Vbi illa peccati remissio non refertur ad orationem Sacerdotis, sed ad vnctionem, ita vt illa vnctio ex opere operato remittat peccata: ergo est Sacramentum.

2. Conclusio. *D. Thomæ art. 3.* Hoc Sacramentum fuit à Christo institutum immediatè. Ita diffinitur *in Concil. Trid. sess. 14. can. 1.* Et D. Iacobus fuit tantùm eius promulgator, vt ibi dicitur *sess. 14. cap. 1. & can. 1.* Et probabilissimum est, fuisse institutum in illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* vbi Apostoli, & Sacerdotes instituuntur ministri ordinarij trium Sacramentorum, vtpotè, Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, quæ ordinantur contra peccata.

2 3. Conclusio. *D. Thomæ art. 2.* Hoc Sacramentum est vnum essentialiter, etsi integretur ex vnctionibus quinque sensuum exteriorum. Nam effectus istius Sacramenti, qui est expulsio debilitatis in anima relictæ ex peccatis, non causatur nisi in termino vltimæ vnctionis, *vt ait Diu. Thom. quæst. 30. art. 1.*

art. 1. *ad* 3. & respondet omnibus vnctionibus per modum vnius. Non enim partitur effectus, ita vt vna pars respondeat vni vnctioni, & altera alteri, cum sit simplex, etsi causetur illa debilitas ex diuersis principijs, vtpotè, ex peccatis commissis per visum, auditum, &c. Tum sic: expulsio istius debilitatis causatur in vltima vnctione; ergo vsque ad illam non saluatur essentia istius Sacramenti, & si infirmus sine illa moriatur non recipit hoc Sacramentum. Nec obstat, quod D. Thom. comparat hoc Sacramentum cum Eucharistia, cuius essentia saluatur in vna specie. Nam comparatio solùm stat in hoc, quod sicut ex pluribus speciebus integratur vnum Sacramentum Eucharistiæ, sic ex pluribus vnctionibus integratur vnum Sacramentum extremæ Vnctionis.

4. Conclusio. *D. Thom. quæst* 29. *art.* 2. *ad* 3. Si Sacerdos facta vna vnctione moriatur, non potest alius Sacerdos repetere illam, sed vltrà procedat; nam pluralitas ministrorum non tollit vnitatem Sacramenti. Sicut nec pluralitas instrumentorum tollit vnitatem effectus. Et iterum vngere partem vnctam, *ait D. Thom.* idem esset, ac iterum consecrare hostiam consecratam.

Dub. 2. *Quæ sit materia, forma, & minister istius Sacramenti.* 3

1. Conclusio. *D. Thoma art.* 4. 5. *&* 6 Materia est vnctio cum oleo oliuæ consecrato ab Episcopo Ita *in Concil Flor. & Trident. sess.* 14. *cap.* 1. Et patet ex vsu Ecclesiæ. Hæc enim differentia versatur inter Sacramenta, quibus vsus est Christus, & alia, quod illorum materia ex vsu Christi mansit sanctificata, vt aqua ex contactu mundissimæ carnis Christi: & sic non eget necessario alia sanctificatione: At materiæ aliorum Sacramentorum, cum ex vsu Christi non sint sanctificatæ, ex necessitate egent sanctificatione, *contra Sà, verb. Extrema Vnctio, & Victor. in summa, num.* 217. Sed sicut Chrisma pro confirmatione potest ex commissione Papæ consecrari à simplici Sacerdote, vt dixi, sic à fortiori oleum Extremæ Vnctionis. Ita *Victor nu.* 126. *cum Palud. Scot. Caiet.* 3. *p. q.* 72. *art.* 3. *Et nota*, quod si *iuxta cap. quod in dubijs, de consecrat. Eccles.* addatur oleum oleo consecrato, fiat paulatim, & in minori quantitate, vt sic oleum consecratum conuertat in se oleum non consecratum, aliàs amittetur consecratio. Ita *Ledesma*. Et idem de aqua addita aquæ benedictæ, *iuxta D. Thom.* 3. *par. quæst.* 77. *art.* 8. *ad* 3.

2. Con-

2. Conclusio. *D. Thomæ art* 9. Forma istius Sacramenti explicatur per verba deprecatiua, vtpotè *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, &c.* Ita *in Concil. Flor. & Trid. sess.* 14. *cap.* 1.

4 3. Conclusio. *D. Thomæ q.* 31. *art.* 3. Solus Sacerdos est minister huius Sacramenti. Ita *in Concil. Flor. & Trid sess.* 14. *c.* 3. *& can.* 4. Et patet ex illo Iacob. 5. *Inducat presbyteros Ecclesiæ.* *Et nota* solum parochum esse ministrum ordinarium, & peccabit mortaliter alius Sacerdos ministrans hoc Sacramentum sine ratihabitione parochi saltem interpretatiua. Imò si sit religiosus, excommunicatur *in Clem* 1. *de priuileg.* Et intelligitur, si aliàs parochus vult hoc Sacramentum conferre. Nam si nolit, aut non possit, alius Sacerdos, parocho etiam inuito, illud conferre potest; imò ad id tenebitur, si aliàs infirmus non potuit confiteri. Nam tunc vrget maxima istius Sacramenti necessitas, vt illius virtute fiat infirmus ex attrito contritus, iuxta dicta *q.* 2. *dub* 2. *de Sacram in genere.*

5 Dub. 3. *Qui sint effectus extremæ vnctionis.*

1. Conclusio. *D. Thom. q.* 30 *art.* 1. *& iuxta Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 2. *& can.* 2. Primus effectus est tollere per gratiam reliquias peccatorum, quibus homo spiritualiter infirmatur, quæ sunt debilitas, & ineptitudo ad bonum ex peccato relicta, quæ tunc maximè inest, cùm insurgunt vehementes tentationes tristitiæ, & desperationis, & aliàs vires, & sensus ex infirmitate corporis non possunt eas exercitio virtutum superare.

2. Conclusio. *D Thom. ibi, & in Concil. Trid. loc. cit.* Hoc Sacramentum ex consequenti remittit peccata, si non sint per pœnitentiam dimissa, & modò non adsit impedimentum. Et patet 1. ex illo Iacobi 5. *quod si in peccatis est, remittentur ei.* 2. Hoc Sacramentum causat gratiam, qua expellitur dicta debilitas: ergo expellit peccatum quod inuenit, cuius homo non habet conscientiam, nec affectum, modo explicato supra *q.* 2. *de Sacrament. in genere.*

3. Conclusio. *D. Thomæ art.* 2. Sanitas corporis est effectus istius Sacramenti non infallibilis, sed quando subiectum est dispositum, & aliàs salus corporis expedit saluti animæ. Et tunc subiectum est indispositum, quando est ita viribus corporis destitutum, quod virtus finita istius Sacramenti non potest illud sanare.

6 Dub. 4. *An hoc Sacramentum sit conferendum infirmis.*

1. Con-

1. Conclusio. *D. Thomæ q. 32. art. 1.* Affirmatiua, patet ex illo Iacobi *1. Infirmatur quis in vobis, &c.* Ex quo patet non esse conferendum euntibus ad supplicium, aut aggredientibus periculum mortis.

2. Conclusio. *D. Thomæ art. 2.* Hoc Sacramentum est conferendum infirmo, de cuius salute timetur. Ita *in Concil. Flor.* Et patet: Nam hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia confert, sicut immediatè disponens ad gloriam: ergo solis migrantibus ab hac vita est conferendum, vt eos ad fruẽdum cœlesti fœlicitate disponat. Non tamen expectetur tempus, quo infirmus sensu careat; sed si sit possibile, habeat sensum, vt Sacramenti deuotione affectus, & animi hilaritate roboratus spe gloriæ recreetur. Et cum hoc Sacramentum in causando salutem corporis non operetur miraculosè, sed virtute ordinaria supernaturali iuuando causas naturales, non speretur tempus, quo causæ naturales iuuari non possint, sed adhuc spes salutis duret.

3. Conclusio. *D. Thom. art. 4* Hoc Sacramentum, sicut nec Pœnitentia, & Eucharistia, non est conferendum pueris. Tum, quia est institutum ad delendas reliquias peccatorum actualium, quibus pueri carent. Tum etiam, quia pueri non habent deuotionem pro hoc Sacramento, sicut nec pro Eucharistia requisitam, ob quod nec datur amentibus, *ait D. Thom. art. 3.* nisi aliàs saltem virtualiter petiuissent, cùm erant rationis compotes, vt patet in phreneticis.

4. Conclusio. *D. Thom. art. 6.* Hoc Sacramentum recipitur in 7
oculis, naribus, auribus, labijs, & manibus: Vnctio enim pedum, & renum non est de essentia. Et sat est vngere vnum oculum, vnam aurem, &c. Ita *Enriq. tom. 1. lib. 3. cap. 12. num. 1. & Sà, verb. Extrema Vnctio.* Et si quis sit aliquo membro istorum mutilatus, vngatur in partibus proximioribus dictis partibus. Nam etsi isti non habeant membra, habent tamen saltem in radice potentias animæ illis membris debitas, & interius peccare possunt per ea, quæ pertinent ad illas partes, etsi non exterius. Ita *D. Thom. art 7.*

5. Conc. *D Tho. q. 33. art. 1. & 2.* Hoc Sacramẽtum est iterabile, cùm non imprimat characterem. Imò sicut dixi de Viatico, *q. 5. de Euchar. dub. 4.* si infirmus in eadẽ infirmitate pluries deueniat ad articulum mortis, pluries vngatur. Nam tunc censetur alius status infirmitatis, licet non sit alia infirmitas, simpliciter loquẽdo. Quod verificatur in infirmitatibus diuturnis.

DE

DE SACRAMENTO ORDINIS.

D. Thomas in Supplemento q. 34.

SVMMARIVM.

Quid sit Ordo, & an omnes Ordines sint Sacramenta, num. 1.
Quæ sit materia, forma, & minister Ordinum, num. 2.
Qui sint effectus, num. 3.
An possit quis ordinari ab Episcopo alterius diœcesis, num. 4.
Quis possit concedere litteras dimissoriales, num. 5.
An ordinandi debeant seruare interstitia, num. 6.
An debeant habere necessaria ad victum, vel beneficium, nu. 7.
An solo titulo patrimonij possit quis ordinari, num. 8.
An qui adeptus est beneficium, teneatur statim fieri Sacerdos, num. 9.
An Clerici minorum ordinum non habentes beneficium peccent non deferentes tonsuram, & habitum clericalem, & priuentur suis priuilegijs, num. 10.
Quid clericus prima tonsura habens pensionem, vel benefinium? num. 11.
Quid clericus maiorum ordinum dimittens habitum? num. 12.

ORdo vnum ex septem Sacramentis à Christo in Cœna institutum, vt diffinitur *in Concil. Trid. sess.* 7. *can.* 1. est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod traditur ordinato spiritualis potestas. Ita *D. Thom. in addit. q.* 24. *art.* 2.

1 Dub. 1. *An omnes ordines sint Sacramenta.*

1. Conclusio. *D. Thoma q.* 37. *art.* 2. Ordines sunt septem, tres maiores, vtpotè, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, & quatuor minores, vtpotè, Acolytus, Lector, Exorcista, & Ostiarius. Ita *in Concilio Tridentino sess.* 23. *ca.* 2. Et prima tonsura, nec ibi nominatur, nec est ordo, cùm in ea non detur aliqua spiritualis potestas. Ita *D. Thom. quæst.* 40. *art.* 2. Episcopatus etiam *iuxta D. Thom. & Thomistas, quæst.* 40. *art.* 5. contra Canonistas non est ordo à Sacerdotio distinctus, nec imprimit nouum characterem, sed characterem Sacerdotij extendit ad nouos actus, vt sunt ordinare, confirmare, &c.

Cuius

Cuius signum est, quod si non presbyter in Episcopum consecretur, non manet consecratus. Nec est contra vnitatem istius Sacramenti pluralitas ordinum; nam ex omnibus integratur vnum Sacramentum Ordinis.

2. Conclus. Non solum Sacerdotium sed & Diaconatus, & Subdiaconatus sunt Sacramentum Ordinis. Ita *communiter contra Durand.* Et patet 1. ex Conc Florent & Trid. sess. 23. c. 2. vbi dicitur, Subdiaconatum, & à fortiori Diaconatum, pertinere ad ordines maiores, iuxta doctrinam sanctorum, & conciliorum. 2. Nam imprimunt characterem iuxta communiorem sententiam cum D. Thom. q. 35. art. 2.

3. Conclusio Alij quatuor Ordines iuxta communiorem sententiam cum D. Thom. sunt Sacramenta. Patet ex Concil. Trid. cit. vbi ait esse plures òrdines in Ecclesia, vtpotè, septem dictos ibi numeratos. Et statim cap. 3. absolutè ait, Ordinem esse verum Sacramentum nouæ legis. Ex quo patet omnes dictos ordines esse à Christo institutos. Tum etiam quia sunt Sacramenta, & Sacramenta omnia sunt a solo Christo instituta. Tum etiam, quia non constat eorum exordium ex lege positiua Ecclesiæ

Dub. 2. *Quæ sit materia, forma, & minister Ordinis.*

1. Conclusio. Materia Sacerdotij est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino Ita in Concil. Florent. Vnde si in patena non sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manes ordinatus. Et materia Diaconatus est traditio libri Euangeliorum. Et materia Subdiaconatus, traditio calicis, & sic in alijs Ordinibus. Nam in istorum traditione significatur vsus potestatis acceptæ ab ordinato, & tunc recipit characterem. Aliæ autem actiones ab Episcopo exercitæ circa ordinatum, vt impositio manuum super caput eius, dicendo: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. & impositio casulæ, stolæ, manipuli, &c. non sunt de essentia, sed de præcepto. *Et nota.* esse probabilius cum D. Thom. *qu. 34. art. 5. ad 3. & Porreta ibi, cont. Alber. in 4. d. 24. art. 3. & Caiet. quod lib. 1. qu. 1. 6. & alios*, ordinatum debere tangere instrumenta, in quibus ei datur potestas, vt maneat ordinatus. Nam in forma istius Sacramenti dicitur. *Accipe potestatem*: ergo ordinatus debet accipere, vt verba formæ verificentur. Et Concilium Tridentinum ait, hoc Sacramentum conferri per traditionem instrumentorum: At non est necesse tangere vinum aut hostiam, *vt ait Ledesma cap. 3. de ordine, cum Silu. & Soto.* 2

ſed ſat eſt tangere calicem vbi vinum & hoſtia continentur. Moraliter enim cenſetur tangi & accipi, quod continetur in eo quod immediatè tangitur,& accipitur.

2. Concluſio. Iſta eſt forma Sacerdotij: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia Dei, tam pro viuis, quàm pro mortuis in nomine Patris, &c.* Ita in Concil. Florent. Et aliæ formæ aliorum ordinum ſunt in Pontificali Romano.

3. Concluſio. Solus Epiſcopus, etiam hæreticus, eſt miniſter iſtius Sacramenti. Ita in Conc.Trident.ſeſſ.23.cap.4. Et ex commiſſione Papæ ſimplex Sacerdos confert ordines minores. Ita conceditur Abbatibus alias Sacerdotibus, & ab Epiſcopo per manus impoſitionem benedictis, in cap.cum contingat, de ætate,& cap. ordin. & cap. quoniam d.69 Nec reuocatur in Conc.Trid.ſeſſ.23.cap 10. Imò Innocent. VIII. Bull.5. relata à Manu. Rodrig. in Bullario conceſſit cuidam Abbati Ciſtercienſi conferre ſuis etiam diaconatum, & ſubdiaconatum. Sed de hoc vide Nauarr. lib.5. conſ.14. de priui.

3 Dub.3. *Qui ſint effectus Sacramenti Ordinis?*

1. Concluſ. Ordo confert gratiam. Ita diffinitur *in Conc. Trid. ſeſſ.23. can.3. & 4.* vbi dicitur, quod in ordine datur Spiritus ſanctus. *Et nota*, hoc Sacramentum ex ſua ſpecie non conferre gratiam, prout eſt ſolum ſanctificatiua hominis, ſed etiam in ordine ad rectè exequendum poteſtatem in eo acceptam; cum ex ſua ſpecie reſpiciat bonum communitatis.

2. Concluſio Per omnes ſeptem Ordines imprimitur character. Ita *communiter cum D Thom. quæſt.35. art.2.* Nam per quemuis Ordinem conſtituimur ſupra plebem in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad Sacramentorum diſpenſationem: ſed character eſt ſignum diſtinctiuum ab alijs: ergo. Et huius ſignum eſt, quod iſti ordines etiam minores perpetuò manent,nec iterantur.

3. Concluſ. D.Tho.art.3. Character Ordinis ſupponit neceſſario characterem Baptiſmi. Ita *cap. 1. & vlt. de presb. non bapt.* cum Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum. Et ex quadam decentia ſupponit characterem Confirmationis; manes enim ordinatus, etſi non ſis confirmatus. Imò nec peccas mort. *ait Ledeſma cap. 6. de Ordine. cum Silueſt. Soto. Victor. Nauarr. contra Salce. in pract. cap.24.* Et ſic nec incur-

ris

tis aliquam pœnam. Nec est idem de recipiente vnum Ordinem ante alium, vt Sacerdotium ante Diaconatum, qui etsi maneat ordinatus, tamen peccat mort. & fit irregularis, vt dicetur tract. de irregularitate.

Dub. 4. *An possis quis ordinari ab extraneo Episcopo sine dimissorijs. Et quis istas concedat.* 4

1. Concl. Episcopus potest ordinare familiarem suum alienæ diœcesis, si per triennium secum sit commoratus, & ei det beneficium. Ita in Conc. Trident. sess. 23. c. 9. Imò & cum isto potest in interstitijs dispensare in casibus dicti Concilij c. 11. & 13. Ita congregatio Cardin. vt refert Fari. ibi.

2. Conclu. Episcopus exercens Pontificialia in aliena diœcesi de licentia ordinarij loci, potest ibi Ordines conferre suis subditis, & alijs habentibus dimissorias, non obstante Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. de refor. Ita declarauit Congreg. Cardin. vt refert Farin. ibi. & decis. 143.

3. Conclusio. Ordinatus ab extraneo Episcopo sine dimissorijs manet suspensus pro tempore quo suo ordinario videbitur. Et Episcopus istum ordinans manet per annum suspensus à collatione Ordinum: in cap. eos, qui de tempor. ordi. in 6.

4. Concl. Cabildus in Sede vacante intra annum primum Sedis vacantis non potest sub pœna interdicti conferre dimissorias, nisi illis qui ob beneficium, aut capellaniam tenentur statim sacris initiari. Ita *Congregat. Cardin. vt refert Farin. supra Concil. Trid. sess. 7. cap.* 10. *&* *decis.* 252. Et aliter ordinati in minoribus nullo gaudent priuilegio clericali. Et ordinati in maioribus sunt ab ordinibus suspensi ad beneplacitum futuri Prælati. Ita in Conc. Trident. loc. cit. Imò & sess. 23. ca. 10. præcipitur Abbatibus, etiam exemptis, sub suspensione ab officio, & beneficio per annum, ne istas dimissorias concedant clericis secularibus. Sed hoc non intelligitur de Abbatibus, & Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem in istos, vt Prior de Veles, &c. cum etiam istos exponant ad confessiones. Et hoc est probabile, ait Ledesm. c. 8. de Ordine. 5

5. Concl. Dimissoriæ concessæ à Cabildo post annum obitus Episcopi, aut concessæ ab Episcopo, durant etiam post obitum Episcopi, aut Cabildi. Ita Ledesm. cum sint gratia facta, quæ non spirat morte concedentis, *iuxta dicta in nostra Epitome de statu relig. lib. 2. cap. 3. dub.* 1, Item valent dimissoriæ

concessæ excommunicato, aut ab excommunicato; sicut & licentiæ prædicandi, & confessiones audiendi. Ita *Ledesma cum Nauarr.*

6 Dub. 5. *An ordinandi debeant seruare interstitia, ita vt mediet annus integer inter vnum, & alterum Ordinem.*

1. Conclusio. affirmatiua. Ita in Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 13. & 14. Et reputatur annus integer à ieiunijs, v. gr. Trinitatis, vsque ad ieiunia Trinitatis anni sequentis; etsi ob variationem festorum mobilium non transierint duodecim menses integri. Ita *declarauit Sixtus Quintus pro suo Decreto contra malè promotos, vt refert Farin. in Concil. Trid. sess. 23. cap. 13.*

2. Concl. Episcopus cum causa rationabili potest cum sibi subditis dispensare in interstitijs, iuxta Conc. Tri. ses. 23. c. 13. & 14. Et idem potest Vicarius Cabildi in sede vacante, iuxta declarationem Cardinal. de quo Farin. decis. 184. Vbi etiam declarauit, quod dispensare in interstitijs cum religiosis, pertinet ad Episcopum ordinantem, qui quo ad causas in Concilio expressas pro dispensando in hoc, debet deferre iudicio, & attestationi superioris religiosi ordinandi. At iuxta bullam Gregor. XIII. pro Societate in bullario Manuelis Rodrig. relatam, Generales Ordinum, & ab istis delegati, possunt cum suis subditis dispensare in interstitijs. Vide in nostra Epitome, lib. 2. c. 8. dub. 1.

7 Dub. 6. *An ordinandus debeat habere necessaria ad victum.*

1. Conclu. Nullus potest maioribus initiari ordinibus, nisi pacificè possideat beneficium ad victum sufficiens. Nec sic ordinatus potest beneficium resignare, nisi prius declaret ad eius titulum se esse ordinatum. Nec admittatur resignatio, nisi constet illum habere aliàs quo viuat. Aliàs resignatio est nulla, & peccatum mort. Ita *in Conc. Trid. sess. 21. c. 2.* Ex quo patet. *1. contra Cordo. in sum q. 36. & Enriq. lib. 10 de ordine, ca. 17.* non posse ordinari Doctorem cum certa spe habendi quo viuat: cum in dicto Conc dicatur, quod nullus ordinetur, nisi possideat, &c. Patet 2. nullum posse ordinari ad titulum beneficij temporalis, aut cappellaniæ amouibilis, ad quam quis per patronum præsentatur remouendo cappellanum quoties vult. Ita *Enriq loco citat. cap. 19. num. 3* Nam ista capellania non est beneficium ecclesiasticum; cum non habeatur ex collatione Episcopi, sed ex sola patroni præsentatione,

etsi

etsi aliquando requiratur Episcopi approbatio. Item ista capellania potest ab isto tolli per patronum, aut saltem per patronos successores, quorum ius non potuit alter tollere per suam præsentationem. Et sic Episcopi, patroni, & alij cooperantes ad hoc quod quis cum simili capellania ordinetur, peccant mort. contra Concilium. Et ordinatus sic peccat etiam mort. & manet suspensus, *vt ait Ledesma cap. 7. de Ordin.* Patet 3. posse clericum ordinari ad titulum Vicariæ perpetuæ; aut coaudiutoriæ alicuius beneficij: si aliàs coadiutoria habet congruum victum; nam ista æquiualent beneficio, *vt ait Ledes. & Nauar. c. 20. de oratione. num. 18.*

2. Conclusio. Nullus ordinetur titulo patrimonij, aut pensionis; nisi quos Episcopus iudicet assumendos pro necessitate, & commoditate Ecclesiarum, & eo prius per specto, patrimonium illud aut pensionem verè obtineri, & sat esse ad victum: atque ista deinceps sine Episcopi licentia alienari, extingui, aut remitti non possint, quousque ista obtinens habeat aliàs quo viuat. Ita in Concilio Trid. loco cit. Vbi pro istorum transgressoribus innouantur pœnæ antiquorum canonum, vtpotè suspensio. *Vbi nota* 1. quod, hic non irritatur alienatio, nec si fit, incurritur suspensio *vt ait Ledesma. c. 7. de ordi. Nauar. cum Guttierrez, & Sal. contra Medin.* Nam etsi in dicto decreto innouentur pœnæ antiquorum canonum, tamen in illis soli ordinato sine sufficienti patrimonio ponitur suspensio, & non illud alienanti. 8

2. *Nota.* Quod ordinatus cum patrimonio ficto, vtpotè, donato secundum formam externam, vt sic ordinetur, & post ordines illud restituat donanti, non potest istud patrimonium reddere donanti, *ait Ledesma.* Vnde nec incurrit suspensionem. Er so donans meretur priuari donato, nec in foro saltem externo cogetur donatarius illud restituere. At secundum Cordou. *in sum qu. 32. & Ludou. Lop. 1. par. ca. 240. & 278. contra Iuristas,* clericus tenetur restituere illud: nam talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudolenter, & verbo tenus facta sit, tamen in iure non est reprobata, & aliàs donator potuit conditionaliter donare, & clericus sic admisit donationem, vnde saltem in foro conscientiæ, iuxta intentionem donantis valet donatio.

Dub. 7. *An qui adeptus est beneficium teneatur statim fieri Sacerdos.* 9

1. Conclusio. Qui adeptus est beneficium non curatum, cui etiam est annexum Sacerdotium, sine animo assumendi Sacerdotium, non tenetur restituere fructus, si aliàs suo muneri satisfacit. Ita *Soto* 10.*de iust.q.*5.*a.*6 *Nau.in manu.c.*25. *n* 117. *contra Panorm.& gloss. in c.relatum, de clericis non resi.* Nam in re nihil tale iubetur.

2. Concl. Qui adeptus est beneficium curatum, aut Episcopatum, *ait Soto*, sine animo assumendi Sacerdotium, restituet fructus captos, nisi voluntate mutata intra annum à die obtenti fiat Sacerdos beneficij. Ita *cap.commissa, de elect.cum gloss.in* 6.*& Ludou. Lopez.* 1.*par.c.*255.*contra Soto*.

3 Conclu. Qui adeptus est beneficium curatum, cum dubio assumendi Sacerdotium, aut cum animo conditionali, vtpotè, nisi frater primogenitus moriatur, aut nisi expedierit ducere vxorem ad augendum decus suæ familiæ, vel patriæ, iuxta Nauarr. nihil tenetur restituere, si per Vicarium idoneum suo muneri satisfaciat. At iuxta cap. commissa cit. quod videtur requirere absolutam intentionem assumendi Sacerdotium in absolutè percipiente fructus beneficij, opposita sententia Soto videtur verior.

4. Conclusio. Qui adeptus est curatum cum animo assumendi Sacerdotium, etsi postea mutato animo non ordinetur, non restituet fructus captos ante mutatum animum. Ita *gloss.citat. Ludou.Lop. & Nauarr.numer.* 118. *contra Soto, & Siluest.ver. beneficium.* 3. Nam ratio dicti cap. commissa, est quia fraudolenter illos fructus percepit: sed in hoc casu non percepit eos fraudulenter, sed cum sana intentione assumendi Sacerdotium: ergo. Imò addit Ludou. Lop. quod si suo muneri satisfacit per Vicarium idoneum toto anno, etsi mutet animum in medietate anni, demptis fructibus datis Vicario, alios sibi percipiat. Nam per dictum decretum non priuatur beneficio, nisi quando post integrum annum à die obtenti beneficij, & cessante omni legitimo impedimento non fit Sacerdos.

5. Conclusio. Episcopus dispensat cum parocho ratione studij, vt intra septennium non assumat Sacerdotium, dum tamen intra annum fiat diaconus. Ita *cap. cum ex eo, de electio. in* 6. Sed hæc dispensatio non prodest non eunti ad studium: *vt ait Siluest. Et nota, ex Concilio Tridentin.sess.* 23. *cap.*2. Quod promotus in Episcopum intra tres menses est consecrandus sub pœna amittendi fructus ipso facto, & intra

alios

alios tres sub pœna amittendi Episcopatum.

6. Conclusio. Clericus minorum Ordinum habens beneficium ducendo vxorem amittit illud. *Patet ex glossa cap. 1. 3. & 5. de cleric. coniug. & communiter*. Nec recuperat illud, etiamsi vxor, non consummato matrimonio, intret religionem. *De quo Nauar. in Manu. cap. 25. nu. 120.* Imò etsi alias matrimonium sit nullum ob consanguineitatem, aut affinitatem, &c. dum tamen interuenit consensus, *vt ait Lud. Lop. cum Panorm.* Secus sit de contrahente sponsalia de futuro, aut de initiato in sacris, qui si attentet contrahere matrimonium, non amittit beneficium, vt tenet glossa communiter recepta contra Panorm.

Dub. 8. *An Clerici teneantur deferre tonsuram, & habitum clericalem?*

1. Conclusio. Clerici minorum Ordinum sine beneficio, 10
solum peccant venialiter non deferendo tonsuram & habitum Clericalem, nec gaudent priuilegio capituli, si quis suadente diabolo, 17. quæstione. 4. benè tamen si illa deferant, etiam si aliàs sint vxorati, semel tamen, & cum Virgine. *Ita ex cap. clerici, de cleric. coniu. in 6. & Bannes 2. 2. q. 12. ar. 1. in fine.* Et vt prædicti potiantur priuilegio fori, cum habitu & tonsura debent seruire Ecclesiæ ex mandato Episcopi, aut ex eius licentia esse in seminario clericorum, seu scholis, aut vniuersitate, sicut in via ad sacros Ordines, aut saltem debent habere beneficium Ecclesiasticum, etsi habitum, & tonsuram non deferant. Ita in Conc. Tr. sess. 23. c. 6. vbi etiam innouatur pro clericis vxoratis constitutio dicti c. clerici, vbi istis datur frui priuilegio canon. & priuilegio fori, si cum habitu clericali, & tonsura seruitio Ecclesiæ per Episcopum deputentur. *Et nota,* quod si prædicti aliqua occasione habitum à se gestari solitum ad breue tempus deponunt, non amittunt priuilegium fori. *Ita Cong. Card. vt refert Far. deci. 144.* Vbi etiam declaratur pertinere ad iudicem Ecclesiasticũ declarare si habitus sit clericalis. Et deci. 148. refert dictam congreg. declarasse, habentem pensionem haberi per clerico beneficiato ad effectum priuilegij fori. Etsi idem Farinacius super Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. ex alia Cardinalium declaratione referat, quod vt pensionarius potiatur priuilegio fori debet deferre habitum, & tonsuram. Et ibi etiam refert congregationem declarasse, clericum etiam vxoratum, qui dimisso habitu, & tonsura, pro delicto in curia laicali citatus in contumaciam

damnatus fuerit, si deinde reassumpto habitu & tonsura, modò non in fraudem, Ecclesiæ inseruiat, iuxta decretum Concilij, non posse à iudice laico ob hoc delictum incarcerari. Et facit ad hoc, cap. si iudex laicus, de sentent. excomm. Oldrad. consf. 2. Et idem refert decis. 165. Item ibi refert aliam decisionem anni 1586. ex capite ad audientiam, de sentent. excommun. vbi sic dicitur *Clericus non beneficiatus, qui incedens in habitu, & tonsura seruit Ecclesia, si sit cum armis deprehensus, non caret priuilegio fori.*

11 2. Conclusio. Clericus, etiam primæ tonsuræ, habens præstimonia, pensionem, aut beneficium pingue (idest, excedens per se, aut cum alijs beneficijs, seu pensionibus sexaginta ducatos auri de camera, vt ait Sixtus V. in motu incipiente, Pastoralis, &c. pridie Kalend Februar. anni 1588.) tenetur deferre tonsuram & habitum clericalem, idest, vestes talares, sub peccato mortali, & priuatione beneficiorum, & pensionum, & ipso facto declaratur priuatus à Sixto V. in motu incipiente, Cum Sacro-sanctam, edito 5. idus Ianuar. anni 1588. *Et ita Bannes 2.2.q.12.a.3.& Led.c.9.de Ordine.* Et patet: nam iste alitur bonis Ecclesiæ. ergo tenetur sub mortali deferre eius insigia.

12 3. Conclusio Clericus maiorum Ordinum deferendo solam tonsuram sine habitu clericali, iuxta Caiet. solum peccat ven. secluso contemptu, & contumacia. At iuxta Victor. peccat mort. Nam ista est dimissio habitus sub grauissimis pœnis vetita in cap. præcipimus 21. qu 4.& in Clem. quoniam, de vit. & ho. cle. Et hæc sententia maximè est vera, quando istius status non potest nosci alio signo externo; nam si alio signo noscatur solum erit peccatum venial. *ait Bannes*. Sed quod sit signum sufficiens pensetur ex more patriæ. Et intelligitur conclusio per se nam si ob tuendam vitam, honorem, diuitias, etiam alienas, dimittas habitum, aut si dimittas per breue tempus ad ludum, aut repræsentationem, non peccas, saltem mort.

4. Conclusio. Clericus maiorum Ordinum, qui animo vagandi per vicos, & plateas ad malum dimittit: aut occultat habitum, ita vt à circunstantibus non possit nosci, etsi id faciat ad breue tempus peccat. mortaliter. *Ita Bannes*. Nam eadem ratio est in hoc de clerico, ac monacho: cum iura vtrumque obligent portare habitum sui status *Et vt ait Sil. verb. Apostasia*, ter monitus iste de hoc ab Episcopo amittit pri-

priuilegium capituli, si quis suadente. *Ita cap. contingit. 2. de sentent. ex comm.* Et si cum hoc se immiscet tyrannidi, & enormitatibus, idest, si sit seditiosus, etiam non monitus amittit dictum priuilegium. *Ita Siluest. ver. clericus. 3. ex capit. perpendimus, & cap. cum non ab homine, de sentent. excomm. & ibi gloss. Caiet. & Armi. verb. excommnnicatio.* Imò dimittendo habitum, & portando arma, si ter montius, etiam in generali, illa non deponit, amittit omne priuilegium clericale. *Ita ca. in audientia, de sentent. excommunic.* Item clericus publicus ioculator, mimus, aut histrio, ter monitus, aut per annum etiam non monitus, in his se exercens, priuatur omni priuilegio clericali in capit. clerici de vit. & hone cleric. in 6 de quo Silu. ver. clericus. 3. Item clericus gerens negotia sæcularia siuè administrationē rerum sæcularium, ter monitus, vt cesset, *ait Siluest. cum Innocent. & Hosti.* ammittit omne priuilegium clericale, *iuxta capit. ex litteris, de vit. & hon cleric. & c. Sacerdotibus, nec cleric. vel mon.* Etsi in summa Rosella, & alij citati à Siluest hoc melius intelligant de priuilegio rerum, & non personæ clerici, vt de solutione vectigalis. Item clerici personaliter, & publicè exercentes officium carnificum, seu macellariorum, aut tabernorum, si ter moniti nominatim, non desistunt, vel officium dimissum reassumunt, si sint vxorati amittunt omne priuilegium clericale. Et idem si non sint vxorati, si aliàs non incedunt vt clerici. At si non vxorati, & vt clerici incedunt, amittunt priuilegium in rebus quamdiu omnes prædicti istis intederint. *Ita Clement. 1. de vit. & hone. cleric. de quo Silu. verb. clericus, 3. Vide supra.*

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

D. Thom. in addit. q. 41. &c.

SVMARIVM.

Quid sit Matrimonium, num. 1.
Quomodo diuersis temporibus fuerit mutatum, num. 2.

1 MAtrimonium in ratione contractus naturalis diffinitur, quod sit coniunctio maritalis viri & fœminæ, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Sed in ratione Sacramenti diffinitur, quod sit Sacramentum nouæ legis significans essentialiter,& præcipuè gratiam coniūgentem coniuges ad inuicem inter se, & minus principaliter vnionem Verbi cum humanitate; & coniunctionem Christi cum Ecclesia. Nam sicut sponsa est subdita viro vt capiti, sic Ecclesia Christo: & sicut vir tenetur diligere vxorem, sic Christus ardentissimè dilexit Ecclesiam; iuxta illud ad Ephe. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiā.* Et sicut vir ob vxorem relinquit patrem, & matrem: sic verbum diuinum, relicta domo & delicijs paternis, adhæsit Ecclesiæ.

2 *Nota ex D. Thoma qu. 42. art.* 2. Matrimonium iuxta differentiam temporum esse variè institutum. Nam in statu innocentiæ fuit institutum in officium naturæ ad procreandos filios, & propagandam speciem In statu naturæ lapsæ, vltra hoc fuit institutum etiam in remedium concupiscentiæ. Sed in lege gratiæ fuit à Christo institutum in ratione Sacramenti, siue Ioan. 2. in nuptijs, siuè Matth. 19. dicendo. *Quod Deus coniungit homo non separet.* Ita diffinitur in Conc. Trid. sess. 24. can. 1. Ex his patet, esse probabilius *contra Caietanum opusc de Matr. q 1. Victor. in summa, num.* 144 *Cano.8. de locis, cap.* 5 Matrimonium celebratum inter baptizatos per procuratores coram parocho, & testibus esse Sacramentum. Itaque omne matrimonium baptizatorum firmum in ratione contractus naturalis, habet rationem Sacramenti: cum ista iam in lege gratiæ ex

congiun-

coniunctione Christi sint inseparabilia. Ita *D.Thom. in addit. q.42. art.1. & ibi Ledesm. & communiter Thomistæ, Soto d.27. q.1.art.3. Couar.in 4.decret.par.2.c.1.nu.5.* Et patet ex vsu Ecclesiæ sæpè celebrantis ista matrimonia, quæ tamen non celebrantur iterum in præsentia coniugum.

QVÆSTIO PRIMA,

De essentia Matrimonij.

D. Thomas quæst.42.

SVMMARIVM.

*Qua materia, & forma huius Sacramenti, num.*1.
*An causet gratiam, num.*2.
*An copula carnalis sit de illius integritate, num.*3.

DVB. 1. *Quæ sit materia, forma, & minister Sacramenti Matrimonij.* 1

1. Conclusio. Verba, aut signa contrahentium exprimentia consensus internos sunt materia, & forma pro matrimonio, secundùm quod ad inuicem se determinant. Ita *D. Thomas q.42. art.1. ad 1. & 2. & ferè communiter.* Itaque expressio vtriusque contrahentis respectu alterius habet se vt materia, & forma. Nam quilibet cùm exprimit suum consensum duo facit, & tradit se alteri, & acceptat alterius traditionem, & sic expressio consensus secundùm rationem traditionis est materia, & secundùm rationem acceptationis est forma. Ita *Ledesm. in addit. loco cit. & Soto, d.26 q.2. art.1.* Et patet. Nam quando Christus instituit hoc Sacramentum, nihil innouauit circa matrimonium, sed contractum matrimonij alias naturalem eleuauit ad rationem Sacramenti, dando ei virtutem causandi gratiam instrumentaliter, sed contractus matrimonij consistit essentialiter in solis verbis, aut signis explicantibus consensus contrahentium: ergo in solis istis consistit etiam essentia matrimonij in ratione Sacramenti.

2. Conclusio. *D. Thom. art. . ad* 1. Illa verba Sacerdotis: *Ego vos coniungo*, nec sunt materia, aut forma, vt patet ex dictis, nec de necessitate istius Sacramenti. Ita *in Concil. Trident. sess. 24. cap. 1.* Et patet. Nam ante Concil. Trident. erant va-

lida

lida matrimonia etiam in ratione Sacramenti sine parocho, vt diffinitur *in Concilio Tridentino cit.* Et licet Concilium irritauerit matrimonia celebrata sine parocho, & testibus, tamen nec mutauit, nec potuit mutare materiam, aut formam istius Sacramenti, cùm hoc pertineat ad potestatem excellentiæ soli Christo reseruatam.

3. Conclusio. Sensus illorum verborum Sacerdotis: *Ego vos coniungo*, non est, ego vos coniungo, alias non coniunctos, vt ex dictis patet, sed sensus est, Ego vos coniungo, id est, confirmo, & benedico vestram coniunctionem: aut sensus est, Ego vos coniungo in facie Ecclesiæ, vt pro veris coniugibus ab omnibus habeamini.

2 Dub. 2. *An hoc Sacramentum causet gratiam.*

1. Conclusio *D. Thom. art.* 3. affirmatiua, diffinita *in Conc. Trid sess.* 24. *can.* 1. vbi sic dicitur: *Si quis dixerit Sacramentum matrimonij non esse vnum ex septem Ecclesiæ à Christo institutum, sed ab hominibus inuentum nec gratiam conferre, anathema sit.* Maximè enim conuenit, vt detur gratia in hoc Sacramento ad bonum ita vniuersale, quale est finis matrimonij, vtpotè, ad propagationem speciei, ad educationem prolis, & ad bonum vsum matrimonij.

2. Conclusio. Sicut gratia aliorum Sacramentorum, v. g. Baptismi, proportionatur actioni Saccamentali, vtpotè ablutioni externæ, ita vt gratia Baptismi detur per modum abluentis animam à peccatis; sic gratia Sacramentalis matrimonij proportionatur vinculo naturali, qnod efficit matrimonium in ratione contractus ciuilis. Et sic gratia datur in hoc Sacramento per modum vinculi coniunctionis coniugum ordinatæ ad actum matrimonialem, vt debitè fiat, ad debitam procreationem, & educationem prolis in esse naturæ, & gratiæ.

Ex dictis patet, hoc Sacramentum, sicut & alia viuorum, esse recipiendum cum contritione saltem existimata, & cum intentione saltem virtuali faciendi quod facit Ecclesia, & suscipiendi hoc Sacramentum, non cum affectu libidinis, sed cum affectu suscipiendi prolem ad gloriam Dei.

3 Dub. 3. *An copula carnalis sit de integritate matrimonij.*

1. Conclusio. *D. Thom. artic.* 4. Copula carnalis actualis, nec est de essentia, nec de integritate matrimonij. Ita *cap. ex parte, & cap. veniens, de spons.* Nam de fide est inter Mariam, & Ioseph, fuisse verum, & integrnm matrimonium: cum Luc. 1. & Matth. 1. Ioseph dicatur vir Mariæ, & Maria coniux

iux Ioseph. Sed de fide est non fuisse inter eos copulam carnalem: ergo.

2. Conclusio. *D. Thoma ibi*. Copula carnalis actualis solùm est de perfectione accidentali matrimonij. Nam perfectio accidentalis cuiusuis rei stat in eius operatione, sed copula carnalis actualis est operatio, & vsus matrimonij, & ad quam datur potestas in matrimonio: ergo.

Si arguas, quod carnalis commixtio pertinet ad significationem matrimonij: cùm significet vnionem humanitatis cum Verbo, & coniunctionem Christi cum Ecclesia: ergo. Ad hoc dico, quod significatio gratiæ, vt supra dixi, est de essentia Sacramenti matrimonij; cum omnia Sacramenta sint signa practica rei sacræ sanctificantis nos. At significatio Verbi vniti humanitati, & coniunctionis Christi cum Ecclesia, solùm est de perfectione accidentali, sicut & ipsa carnis commixtio.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Sponsalibus.

D. Thomas q. 43.

SVMMARIVM.

Quid sint sponsalia, & an necessario implenda, num. 1.
An sint valida inter habentes impedimentum sub conditione, si Papa dispensat, num. 2.
Quibus de causis dirimuntur, num. 3.

DVB. 1. *An sponsalia de futuro sint mutua promissio futurarum nuptiarum.* 1

1. Conclusio *D. Thom in addit. quæst.* 43. *art.* 1. affirmatiua. Sic enim definiuntur sponsalia. Et vt istorum promissio obliget, requiritur in promittente intentio promittendi, & obligandi se, etsi non habeat animum seruandi promissum, vt dicitur de voto. Imò licet vir fictè promittat sponsalia, tenetur, non ex vi promissionis, sed ob iniuriam sponsæ illatam implere, aut aliter resarcire damna.

2. Conclusio. Sponsi tenentur sub mortali implere promissum, nisi obstet aliquod impedimentum ex dicendis *dub.* 3. Ita *cap. ex litteris, 2. de sponsa. Vbi nota* 1. Quod cum matrimonia sicut

ſicut & ſponſalia libera eſſe debeant ab omni coactione perſonæ, vel pecuniæ, ſi pœna in eis ponatur, non obligat, nec ſoluetur ab eo, qui contrauenerit. Ita *cap. Gemma, de ſponſ. Nota* 2. Quod ſi ſponſus ſine cauſa repudiet ſponſam, tenetur reſarcire damna ex hoc ſecuta, vtpotè, augendo dotem: nam fœmina repudiata non inueniet virum ſibi æqualem. Imò, *l.* 52. *Tauri*, Ioannæ Reginæ, ſponſa de futuro à ſponſo oſculata lucratur dimidiam partem rerum ſibi à ſponſo datarum ante copulam.

2 Dub. 2. *An mutua promiſſio nuptiarum inter habentes impedimentum dirimens cum conditione, ſi Papa diſpenſet, habeat vim ſponſaliorum. Si enim illa ſponſalia eſſent abſoluta, certum eſt nulla eſſe nullamque inducere obligationem, vt eſt communis ſententia. De quo Nauar. lib.* 4. *conſil.* 5. *de conſang.* Nam vt ait Petrus de Soto hic, non valet promiſſio rei, quæ iure impleri non poteſt.

1. Concluſio negatiua. Ita *Silueſt. Victoria, Soto, Innocent. Panor. & alij citati à Ledeſm. in addit q.* 57. *art.* 5. *dub.* 2. *contra Adrianum, Canò, Couar. & alios, quos refert, & ſequitur Ledeſm.* Et patet concluſio. Nam ſi tale impedimentum ſuperueniret ſponſalibus, dirimeret ea: ergo à fortiori, ſi antecedat impediet ea. Et huius ſignum eſt, iſtos non ſe poſſe oſculari, quod tamen licet ſponſis de futuro.

2. Concluſio. Si vir promiſit procurare diſpenſationem, & ob id interuenit copula, in omni ſententia tenetur ad illud ob reſarciendum illud damnum. Imò ſecluſa copula, ſola promiſſio obligat ad illud. Nam omnis licita promiſſio, alias acceptata, obligat in conſcientia.

3 Dub. 3. *An ſponſalia ſint dirimibilia.*

1. Concluſio. *D.Thom. art.* 5. Sponſalia, etiam iurata ex multis cauſis dirimuntur. Et primò, per ingreſſum Religionis alterius ſponſi. Nec tenetur iſte prius contrahere matrimonium vt ſeruet iuramentum. Ita *ex cap. commiſimus, de ſponſ. cum gloſ.* Niſi aliàs alteri ſponſo ſequatur vtilitas, vt ſi ſponſa manet infamata ob copulam etiam præſumptam, aut ſi ſponſus habet filium ex ſponſa, qui per ſequens matrimonium legitimatur, & ſponſa manet cum bona fama. Sic enim contrahendo prius matrimonium ſine conſummatione non impeditur ingreſſus Religionis, & alias reſarcitur damnum alteri datum. Sed ſecluſa vtilitate, impertinens eſt ſeruare ſponſalia ante Religionis ingreſſum. Et ſermo eſt in præſenti de ſolo ingreſſu Religionis ſine profeſſione, qui ſtatim dirimit ſponſalia,

salia, & sponsus manens in sæculo potest statim cum altero matrimonium contrahere. At si non contrahat illud, nec cedat iuri suo, & alter dimittat habitum, tenetur seruare sponsalia. 2. Votum simplex castitatis (etiam factum post sponsalia iurata, *contra Nauar. cap 22. num. 27. & Armil.*) dirimit illa. Ita *D. Thom. q. 53 art. 1. ad 1. & communiter, ex c. rursus, qui cler. vel vo.* Nam vinculum illius voti, *ait D. Thom.* fortius est, & incompatibile cum vinculo sponsaliorum. Et idem est de voto Religionis. 3. Subsequens matrimonium cum altera dirimit sponsalia. Ita *cap sicut, & cap. si inter virum, de sponsal.* At si qui contraxit matrimonium ab eo per mortem coniugis liberetur, tenetur si potest, & alias non sit senex, implere priora sponsalia, si alter sponsus velit. Nam antea excusabatur per matrimonium: ergo isto soluto consurgit prior obligatio. 4. Dirimit sponsalia affinitas superueniens, etiam ex copula illicita, aut aliud impediens matrimonium contrahendum. Imò & fama publica de tali impedimento, & scandalum. Ita *ex literis de eo, qui cog. & cap. cum in tua, de spons.* 5. Voluntas vtriusque coniugis: illi enim possunt renuntiare iuri suo. Ita *cap. præterea, de spons.* Et sic soluta sponsalia nullum inducunt impedimentum. Ita *declarauit Congreg. Card. vt refert Farin. decis. 275.* Sextò, grauis infirmitas, vt lepra, morbus gallicus. Ita *c. litt. de coniu. lepro* & insignis deformitas, vt orbitas oculorum. 7. Dirimit fornicatio alterius sponsi. Ita *cap. quemadmodum iureiurand.* De isto enim iustè creditur fore infidelem. Imò etsi fœmina sit violata. Ita *cap. raptor, 27. q. 2.* Et etiam si ante desponsationem mulier creditur virgo, & vt talis promittitur, & non est ita. Durum enim esset sponso, eam in vxorem ducere. 8. Si sponsus vagatur, & vadit longiùs. Ita *cap. de illis, de spons.* 9. Si in contractu sponsaliorum determinatur tempus pro contrahendo matrimonio, & illo impleto vnus non vult contrahere, alter tunc manet liber. Ita *cap. sicut, de spons.* 10. Si sponsalia sunt facta cum conditione, & illa non impletur, vt si promittitur tanta dos. Ita *c. de illis, de conditio. appos.* 11. Defectus ætatis, qui est tempus septennij, & sponsalia sunt nulla. Ita *cap. duo pueri, de despons. impub.* 12. Graues inimicitiæ ortæ inter sponsos, aut si alia vitia deteguntur, aut alia superueniunt, quæ si anteà scirentur, meritò non fierent sponsalia. Ita *Nauar. lib. 4. cons. 6. iuxta cap. quemadmodum, citat. cum glossa.*

2. Conclusio. Sponsalia occultè contracta non egent dissolui

per

per iudicem in dictis casibus. Nam occulta sponsalia non subiacent iudicio externo. Secus si sint publica, & causa dissoluens non ita notoria.

QVÆSTIO TERTIA.

De consensu Matrimonij.

D. Thomas quæst. 45.

SVMMARIVM.

Si vnus coniugum scit se, vel alium non consensisse, vel dubitet de valore matrimonij, an possit petere, vel reddere debitũ, n.1.
An consensus sint exprimendi signis, aut verbis de præsenti, n.2.
An consensus exterior sine interiori sufficiat, num.3.
An filij geniti ex tali matrimonio sint legitimi, num.4.
An matrimonia clandestina sint inualida, num.5.
Qualis præsentia parochi, & testium requiratur, num.6.
An debeat esse parochus contrahentium, vel alius de eius licentia, num.7.
An sint præmittenda denunciationes ante matrimonium, nu.8.
An consensus metu extortus sufficiat ad matrimonium, num.9.
An matrimonia conditionata sint valida, num.10.
An consensus matrimonij sint consensus in copulam, num.11.
An actus matrimonij sit semper licitus, num.12.

DVB. 1. *An consensus sit causa efficiens matrimonij.*

1. Conclusio *D. Thomæ q.45. art.* 1. affirmatiua. Ita *in Concil. Flor. & c. cum locum, & c. tua fraternitati, de sponsal.* Nec obstat; quod iudex solet cogere aliquos ad matrimonium. Nam hoc debet fieri medijs consensibus, & hoc præcipit iudex vt consentiant.

1 2. Conclusio *ex D. Thom. q.55 art.9. ad* 3. Si vnus coniux certò scit se, aut alterum coniugem non consensisse, aut aliter matrimonium fuisse nullum, nec potest petere, nec reddere debitum, vt clarum est. At si rationabiliter dubitet de prædictis, probabilius est contra Adrianum, quod tenetur reddere debitum, cum alter coniux per istius dubium non amiserit ius ad debitum. Sed non potest petere vt diffinitur *cap. inquisitioni, de sentent. excommun.* Nam petendo exponeret se peri-

periculo peccandi, & non reddendo faceret iniuriam alteri. Et intelligitur hoc, *ait Soto.4 de iustitia, q.5. ar. vlt. & Vict.* de sic dubitante ante sufficientem diligentiam in examinando veritatem. Nam ista iam præmissa, & adhuc etiam remanente rationabili dubio, potest iam iste petere debitum. Sicut qui cum eodem dubio possidet aliquid, facta sufficiente diligentia an sit suum, potest illud sibi retinere. Durum enim esset illum diu priuare iure petendi debitum. Si tamen dubium sit sine ratione, iudicio pastoris, aut confessoris deponatur, vt dicitur cap. cit. *Si arguas*: Si dubites, an reddere debitum noceat saluti, non teneris reddere: & si dubites, an iuridice interrogeris de crimine alterius, teneris tacere: ergo si dubites, an Maria sit vxor tua, non potes ei reddere debitum: *Ad hoc nego conf.* Nam in casibus antecedentis peior est infirmitas redditione debiti, & infamia alterius, quàm tacere tunc; & in dubiis maius malum est vitandum. At in casu conf. maior iniuria fit mulieri non reddendo ei debitum, quàm priori viro eius, v.gr. de quo dubitatur, an viuat, per hoc quod debitum reddatur. Et sic debitum reddatur tunc, sed non petatur. Ita *cap. dominus, de secundis nuptijs*, *Sed nota* quod dum vxor non certificatur de morte mariti etiam diu absentis, non potest alteri nubere. Ita *cap. in præsentia, de spons. & cap. dominus, citato.*

3. Conclusio. Si ambo coniuges probabiliter dubitent de valore matrimonij, & alter eorum petat debitum, etsi petendo peccet contra castitatem, non contra iustitiam, sed habet ius petendi, cum sit in possessione, & sic alter tenetur ex iustitia reddere. Sicut si vnus coniux vouet castitatem, & petat debitum, etsi in hoc peccet contra votum, alter tenetur reddere. Ita *communiter contra Arm. ver. debitum. De quo dicemus quæst. 6. dub. 2.*

Dub. 2. *An consensus sint exprimendi verbis aut signis.* 7

1. Conclus. D. Thom. art. 2. affirmatiua; diffinita in Concil. Florent. &c. tuæ fraternitati, de spon. Nam matrimonium, & est mutuus contractus inter coniuges, & est Sacramentum: ergo sicut alia Sacramenta, debet constare ex rebus sensibilibus, & sicut alii contractus, ex talibus signis, quibus mutuo se intelligant, & obligent contrahentes. Et licet ista signa regulariter debeant esse verba, vt dicitur in Conc. citat. at aliquando sat erunt alia signa. Imò si puella interrogata præ verecundia tacet, & astantes pro ea respondent, ipsa non contradicente, fit matrimonium. Nam illa puellæ taciturnitas, cū

alijs circunstantijs temporis, & respondentium pro ea, est sufficiens signum sensibile significans eius internum consensum. Ita *D. Thom ad* 3.

2. Conclusio. D. Tho. art. 3. Consensus explicatus verbis de futuro, vt si dicas, Habebo te, aut accipiam te in meam vxorem, non facit matrimonium: Requiruntur enim verba de præsenti saltem in sensu. Per ista enim verba, Contraho tecum pro anno futuro, non fit matrimonium, nam in sensu sunt de futuro. At per ista, Ex nunc habebo te in meam vxorem, fit matrimonium. Ita *cap. ex parte, de spon.* nam ista verba explicant consensum præsentem. Sed si verba in voce sint de præsenti, & in sensu ambigua, iudicetur de eis iuxta intentionem contrahentium. Ita *cap. intelligentia, de ver. sig.*

3 Dub. 3. *An exterior expressio consensus sine interiori consensu faciat matrimonium.*

1. Conclus. D. Tho. art. 4. negatiua. Ita *cap. sufficiat. 27. q. 2.* Et patet ex dub. 1. Sed qui fictè matrimonium contraxit, tenetur per se loquendo verè iterum cum coniuge defraudata cõtrahere illud, si interim non posuit impedimentum dirimens matrimonium; cum ei maximam irrogauerit iniuriam etiam seclusa copula, quæ aliter non resarcitur. Nec satisfacit dotando illam, si ipsa hoc non acceptet. Dixi per se loquendo, nam aliquando excusabitur, vt si mulier currupta decepit virum, dicendo se esse Virginem, aut si inter eos sit maxima inæqualitas, aut si ex tali matrimonio timetur malus exitus, aut graue damnum, vt si puella sit leuis. In his enim casibus vir recompensabit in pecunia illata damna. *Vide dicta à nobis in materia de restit. art. 2. dub. 4.*

4 2. Conclus. Filij geniti ex hoc ficto matrimonio sunt legitimi. Ita *cap. cum inter, & cap. pralatum, qui filij sint legit.* Vbi decernitur, quendam esse legitimum, eo quod sit genitus ex matrimonio celebrato in facie Ecclesiæ, etsi eius pater haberet primam vxorem viuam, sed secunda bona fide cum eo contraxit. Et idem est de parentum filiis, bona fide inter se matrimonium contrahentium ignorando inuincibiliter impedimentum dirimens. Ita *D. Thom. qu. 68. art. 2. ad 2.* Et sat est ignorantia inuincibilis ex parte vnius coniugis: etsi alter mala fide contraxerit matrimonium. Ita *Ledesma cap. vlt. de matrim.* Et clarè colligitur *ex cap. perlatum cita. & cap. ex tenore ibi.*

3. Concl. Qui cum vna contraxit fictè, & postea cum alia

verè contraxit, etsi ab Ecclesia iuxta allegata & probata cogatur censuris cum prima habitare, & reddere debitum, adhuc non potest, & oppositum magistri sententiarum est erroneum. Ita *in c.inquisitionis, de sent. excomm.* Nam illa debiti redditio esset fornicatio; cum sit accessus ad non suam. Per sententiam enim illam, etiam alias iustam in foro externo, non efficitur sua, *iuxta cap. lator, de sent. & re iud.* Nec est idem de occisione innocentis probati nocentis, qui licitè occiditur; nam occisio hominis non est intrinsecè mala: At fornicatio est intrinsecè mala, & sic nulla via honestabilis. In isto ergo casu, *ait D Tho. q.45. art.4. ad 3.* recedat vir longius ducendo secum si potest veram vxorem. Et si est mulier, & matrimonium non sit consummatum, intret religionem. Sin minus, patienter ferat excommunionem illi obediendo in foro externo quantum possit sine peccato, vtpotè, simul cohabitando sine accessu illicito. Et idem est quoties matrimonium ob aliud impedimentum occultum est nullum.

Dub. 4. *An matrimonia clandestina, idest, sine parocho, & testibus celebrata, sint valida.*

1. Conclusio D. Thom. art. 5. Ista matrimonia ante Conc. Trid. erant valida, etsi peccata mort. Dicitur enim in Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. quod Ecclesia semper detestata est illa matrimonia vt illicita. Nam ex eis regulariter sequebantur multa damna, infamia mulieris, discordiæ inter parentes, negatio fidei inter coniuges, ob quod contrahebant aliud matrimonium, & sic manebant in perpetuo concubinatu, & sæpè puellæ metu parentum negabant matrimonium etiam consummatum. Et ibi etiam definitur, non esse dubium matrimonia illa esse valida tunc; cum constarent ex legitimis consensibus. 5

2. Conclus. Matrimonia ista sine parocho, & duobus testibus celebrata irritantur iam in Concil. citat. Nam ibi cano. 4. diffinitur posse Ecclesiam statuere impedimenta irritantia matrimonium. Sicut etiam inhabilitauit consangnineos, & affines ad matrimonia inter se, alias iure naturæ valida. Nec sic mutat materiam aut formam matrimonij, sed præambula ad illud. Nam materia & forma pro matrimonio sunt consensus legitimarum personarum, & Ecclesia legitimat personas.

Si arguas, matrimonium celebratum coram parocho, & testibus, ob aliquod impedimentum nullum, obtenta dispen-

ſatione impedimenti, non eſt neceſſe, vt iterum coram parocho, & teſtibus, ſed clandeſtinè poteſt celebrari: ergo: *Ad hoc dico*: quod ſi non timetur ſcandalum aut aliud damnum graue, aut quod alter coniux cognito impedimento, aut defectu conſenſus, *ſe ſaldra a fuera*; obtenta diſpenſatione impedimenti, iterum coram parocho, & teſtibus celebrabitur. At ſi prædicta timeantur, ſat eſt, quod coniuges inter ſe renouent conſenſus ſic, cum vir ſit lætus, mulier, v. gr. dicat ita te diligo, quod ſi non eſſemus coniugati vellem de nouo tecum contrahere, & nunc dico tecum libenter matrimonium contrahere, & petat à viro vt in gratiam ſui eadem repetat verba. Et ſic manent coniugati ſine parocho, & teſtibus. Ita declarauit Pius V. *vt refert Nauarr. in manu. cap.* 12. *numer.* 70. Nec hoc matrimonium reputatur clandeſtinum; cùm iam præceſſerint ſolemnitates pro fine intento à concilio requiſitæ, qui eſt vitare dicta damna, ex matrimonijs clandeſtinis ſequi ſolita, quæ hic ſunt iam vitata. *Et nota*; quod contrahentes matrimonium ſine parocho, etſi conſumment illud, poſſunt, ſi non obſtet aliud impedimentum, ſine diſpenſatione de nouo contrahere in facie Eccleſiæ, illis tamen & teſtibus punitis. Nam illa verba Concilij, *ſint inhabiles ad ſic contrahendum*, intelligitur, id eſt; ac ſic clandeſtinè contrahendum. Ita *Farinac. in Concil. loco citato*.

6 3. Concl. Non ſat eſt pro matrimonio præſentia parochi & teſtium phyſica, qualem habet ſurdus, aut dormiens, ſed debet eſſe moralis, ita vt aſſiſtant cum actuali aduertentia, qua poſſint reddere fidem de tali contractu, etſi ad id non ſint vocati, & rogati. Imo etſi alias ſint coacti, vt declarauit Congregatio Cardin. Ediſcopo Salmantino, de quo *Farin. loco cit.* Nam Sacerdos non eſt miniſter matrimonij, ſed ipſi contrahentes: ergo non eſt neceſſe, vt ſit ibi voluntarius. Imò etſi parochus affectet non audire, obſtruendo aures: claudendo oculos, valet matrimonium. Ita *congregatio Cardin. ait Ledeſma. & Farin. loco citato*. Quia iam ſua culpa non audiuit. *Et nota* valere matrimonium celebratum coram parocho excommunicato, etiam non tolerato. Ita *congregatio Card. vt refert Farin. deciſ.* 89. Et etiam valet celebratum coram parocho, aut eius vicario: etſi Epiſcopo eos prohibuiſſet aliquos matrimonio iungere. Ita *refert Farin. ex declaratione Card. ſuper Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1.

4. Con-

4. Conclusio. Necessario debet assistere matrimonio parochus contrahentium. Patet ex Concil. citat. cum dicitur: 7
Denunciationes, fiant à proprio parocho, & ille dicat, Ego vos coniungo. Et de isto subditur, *Qui aliter quàm præsente parocho vel alio Sacerdote de parochi, vel Ordinarij licentia, &c. contrahere attentabunt, sancta Synodus eos ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus nullos esse decernit*. Et ex declaratione Cardin. patet, sat esse vt assistat parochus alicuius contrahentium, etsi matrimonium celebretur in aliena parochia. Ita *refert Nauar. lib. 4 conf. 4. de cland. desp*. Et licet ex illo Concilij, Parochus dicat illa verba: Ego vos coniungo, videatur sequi, parochum (& idem est de Episcopo, & eius Vicario) debere esse Sacerdotem cum dicta verba & benedictio non commode proferantur à non Sacerdote: vnde Nauar. cons. 9. & 10. ait Congregationem Card. inclinasse in hanc sententiam ponderando illa verba Concilij, parochus, vel alius Sacerdos: & iterum sine parocho, vel alio Sacerdote; tamen Farin. decis. 70. refert Congregationem Card. declarasse Episcopo Abulensi, matrimonium celebratum coram parocho non Sacerdote valere. Et meritò: Nam exhibere præsentiam matrimonio, nec requirit ordinem, nec verba prolata à Sacerdote sunt de essentia istius Sacramenti.

Nota, quod parochus, vel ordinarius, & istius Vicarius generalis possunt dare licentiam alteri alias Sacerdoti, vt notatur etiam à Nauarr. consil. 5. ex Concil. citat vt vice illorum assistat matrimonio. Et non requiritur licentia inscriptis, nea specialis ad istum actum, sed sat est verbalis generalis ad omnia requisita pro officio parochi. *vt ait Nauarr. lib. 3. conf. 12. & 13. despon. Et communiter*. Non tamen sat est licentia præsumpta, sed debet esse expressa. Ita *refert Farin. loco citat. ex declaratione Cardin. & Ledes. cap. 6 de matrimon.* Et si Sacerdos sine dicta licentia aliquos matrimonio iungit, aut benedicit, suspensus manet quandiu Ordinario coniugum placuerit; & matrimonium est nullum. Ita *in Concilio citato*.

5. Conclusio. Ad matrimonia sufficiunt duo testes rationis compotes, quicunque illi sint, etsi in iure ad alias causas non admittantur, quales sunt infames, consanguinei, fœminæ, religiosi, &c. Ita *communiter cum Couarr in 4. decret. 2. par. c. 8.*

6. Conclus. In dicto Concil. præcipiuntur alia circa matri- 8

 mo.

monium facienda. 1. Vt ante matrimonium ter fiant à proprio parocho denunciationes publicè in Ecclesia inter Missarum solemnia in tribus festis, vt impedimenta à scientibus detegantur. 2. Quod si sit probabilis suspicio matrimonium posse impediri malitiose, si tot præcedant denuntiationes, tunc vna sola fiat denuntiatio, aut saltem parocho, & duobus aut tribus testibus astantibus matrimonium celebretur. Dum tamen ante matrimonij consummationem denuntiationes fiant in Ecclesia, nisi Ordinarius iudicet expedire, vt omnino omittantur. *Et nota*, esse peccatum mort. omittere denuntiationes sine rationabili causa, ob damna quæ regulariter timeri possunt. Et filij geniti à parentibus habentibus impedimentum dirimens, omissis denuntiationibus, & examine impedimentorum, sunt spurii. Ita *cap. cum inhibitio, de clandest. despon.* Secus si examinarunt, & bona fide eos genuerunt ignorando inuincibiliter tale impedimentum. Ita *Ledesm. cap. vlt. de matrim.* 3. Exhortantur, non mandantur, coniuges confiteri, & Eucharistiam sumere ante matrimonium. Et quod matrimonio contracto iu eadem domo non cohabitent ante benedictionem in Ecclesia à parocho, aut istius licentia ab alio Sacerdote recipiendam 4. Præcipitur hoc decretum publicari in singulis parochiis, & quod incipiat habere robur post triginta dies à die primæ publicationis in quauis parochia. Ex quo patet, adhuc valere matrimonia clandestinè celebrata in aliquibus partibus Galliæ, vbi hoc decretum, etiam malitia parochorum, & Episcoporum, & Papa permittente, non est publicatum. Imò & extraneus illic clandestinè contrahens matrimonium, etsi peccet, validè contrahit, vt declarauit Congregatio Card. anno 1588. vt refert Farin. super *Concil. Trident sess. 24. c.* 1. Possumus enim vti priuilegiis regionis vbi sumus.

9 Dub. 5. *An consensus metu extortus faciat matrimonium? Et sermo est de metu cadente in virum constantem orto non à causa naturali, vt si metu mortis naturalis turbatus ducas vxorem tuam concubinam. Nec de metu iustè orto à causa libera, vt si captus cum virgine cogaris eam in vxorem ducere. Dicti enim metus non tollunt matrimonium. Sermo est de metu cadente in virum constantem orto à causa libera iniustè extorquente consensum.*

1. Conclus. Stando in iure naturæ metus iste non tollit matrimonium, cum non tollat voluntarium simpliciter ex natura rei sufficiens pro omni contractu. At stando in iure

Ec-

Ecclesiastico, in quo loquitur D. Th. q. 47. ar. 3. iste metus tollit matrimonium. *Ita cap. veniens*, 1. *& ca. consultationi, de spon.* Et meritò. Nam ex istis matrimonijs regulariter non consequitur finis matrimonij, vtpotè mutuus amor coniugum ad procreationem prolis necessarius, ergo oportuit vt ista matrimonia etiam iurata, ab Ecclesia irritarentur. Nec obstat, quod multi contractus alias nulli, ob Religionē iuramenti sunt validi, vt patet in sponsalibus iuratis, & in promissione iurata extorta per metum à latrone; Quia licet isti contractus validi sint, possunt à iudice rescindi, at matrimonium semel validum est insolubile, & sic oportuit vt à principio irritaretur ab Ecclesia.

2. Concl. Iste sic contrahens non potest accedere ad istam mulierem, etsi super hoc sibi mors immineat; cum non sit sua. Sed cum sibi minatur mors, potest ad eam accedere affectu maritali, vt mortem euadat, & tunc verum fit matrimonium in sententia probabili. Nec erit necessaria tunc alia parochi, & testium præsentia, vt dixi dub. 4. in simili casu. Quia non est intentio legis annullantis matrimonia coacta, impedire istum tunc cum ista contrahere, si velit. Nam lex illa lata est in fauorem contrahentium coactè. Sed cum reduceris ad istas angustias, quod aut debes mori, aut peccare mort. est maximus fauor, vt tale matrimonium sit validum: ergo.

De matrimonijs conditionatis nil dicam, cum ista iam post Conc. Trident. rarò celebrentur, maximè cum conditionibus turpibus aut impossibilibus. Eo quod iam matrimonia coram parocho, & testibus necessario celebrantur. Sola nota, Esse declaratum à congreg. Card. quod si quis coram parocho, & testibus contraxit matrimonium cum aliqua conditione, v. g. si patri placuerit; & non expectato conditionis euentu, accessit ad eam affectu maritali, fit tunc matrimonium, nec opus est noua præsentia parochi, & testium. *Ita refert Fari. decis.* 41. Et idem censet Nauar. *lib. 4. con. 1. de condis appo.* de matrimonio celebrato coram parocho, & testibus sub conditione licita, si antequam voluntas mutetur impletur conditio, perficitur matrimonium tunc sine parocho, & testibus. Sed oppositum alijs videtur verius. 10

Dub. 6. *An consensus matrimonij sit consensus in copulam.* 11

1. Concl. D. Th. q. 48. ar. 1. Consensus pro matrimonio est consensus in essentiam matrimonij, idest, in societatem

coniugalem, & mutuam corporum traditionem: nam ista sunt de essentia matrimonij.

2. Concl. Ad matrimonium sat est consensus implicitus & virtualis in copulam carnalem. Nam copula carnalis sumpta pro potestate ad copulam actualem continetur virtualiter in essentia matrimonij, vt eius propria passio: ergo qui consentit in essentiam consentit etiam in potentiam ibi inclusam. Imò, & consentit proportionabiliter in actum talis copulæ.

12 Dub. 7. *An actus matrimonij sit semper bonus.*

1. Concl. Actus iste est bonus, si in eo virtualiter saltem intendatur proles, aut fides; vt si vnus coniux petat debitum saltem virtualiter. Et erit peccatum ven. si fit ob solam delectationem, aut sanitatem, *ait D. Thom. quæst.* 49. *ar.* 5. *ad* 4. *& art.* 6. aut si fit ob vitandam fornicationem in se ipso, *ait D. Thom. ad* 2. quidquid alij probabiliter dicant; licet tamen petere debitum ob vitandam alterius coniugis fornicationem *ait D. Th.* Imò si vir sentit tale periculum in vxore, tenetur ex fidelitate matrimonij petere debitum, vt sic prouideat bono spirituali vxoris, ad quod ex iustitia tenetur quoties commodè possit. Ex quo patet, quod etsi senes, steriles, prægnantes peccent venialiter petendo debitum: tamen ex fidelitate matrimonii tenentur illud reddere.

2. Conclusio. Peccant mort. coniuges voluntariè seminando extra vas, nisi sit parua distillatio: Et quoties voluntariè impediunt conceptum; cum agant contra finem illius actus qui est concipere. Et ob id tactus, & amplexus coniugum si ex eis regulariter sequitur pollutio extra vas, erunt peccata mortalia. Sed si mulier ponatur supra virum, solum peccabunt venialiter, non mort. nisi sit morale periculum effundendi semen extra vas, quod regulariter non contingit, cum semen non intret locum conceptionis per proiectionem, & descensum, sed media virtute naturali attractiua fœminæ.

3. Conclusio. Si vir habens copulam cum vxore non seminet, cum possit, peccat mort. Nam tenetur perficere opus suum. *Ita Caiet.* 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 1. *& Ledesm. c.* 9. *de matrimon.* At si non seminet, quia valde debilitatur, probabile est non peccare. *Ita Ledesm. Soto. d.* 43. *quæst.* 1. *art. & Nauarr. cap.* 22. *numr* 60. Nam ista copula, etsi non assequatur finem principalem, qui est generatio, vitat tamen fornicationem, quæ est finis secundus. Imò Armilla, *verbo debi-*

debitum coniugale, ait non esse peccatum mort. in coniugibus, si incœpto coitu inter eos, vnus de alterius consensu desistat ab actu, sine periculo tamen pollutionis extra vas.

QVÆSTIO QVARTA.

De impedimentis matrimonij in communi.

D. Thom. q. 50.

SVMARIVM.

Impedimenta matrimonium impedientia, num. 1.
Impedimenta dirimentia, num. 2.
An testimonium vnius de aliquo impedimento, impediat contractionem matrimonij, num. 3.

INter ista, quædam impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum, *ait Caiet. verb. matrimonium*. Et ista sunt, 1. Interdictum. *Ita in ca 1. & 2. de matrim contra interdictum* Vt si ab ordinario aut curato interdicaris contrahere matrimonium interim dum constet non esse impedimentũ, aut ob aliam causam. 2. Sponsalitium, idest, desponsatio cum alia per verba de futuro. 3. Votum simplex castitatis, aut religionis. 4. Incestus cum propria affine. *Ita cap. ex litteris, de eo qui cong. cons.* Etsi contrahat, non potest petere debitum. *Ita c. transmisso ibi.* Imò *ut ait Nau. cum alijs, l. 4. cons. 1. de eo qui cog. cons.* incestus cum consanguinea impedit contrahere cum omni fœmina sed hoc est contra D. Th D. Anto, Soto, Silu. & Cou. citatos a Nau. 5. Contrahere matrimonium cum moniali. *Ita ca. hi ergo. & ca si quis 25. qu. 1. 6. Præsbytericidium. Ita c. qui Presbyterum, de pœniten & remis.* 7. Occisio propriæ vxoris adulteræ propria authoritate facta. *Ita c. admonere 33. q. 2.* 8 Qui malitiosè baptizat filium suum vt fiat cognatus suæ vxoris *Ita cap. de eo. 30. q. 1.* 9. Raptus alienæ sponsæ. 10. Solemnis pœnitentia. 11. Catechismus. *Ita c per catechismum, de cogn spir in 6.* 1

2 Alia impedimenta etiam dirimunt matrimonium. Et horum quædam ex iure naturæ, vt error, professio solemnis, mattrimonium factum cum alia, impotentia perfecta, & perpe-

perpetua ad opera maritalia. Alia dirimunt ex iure diuino, vt conuersio vnius coniugis ad fidem. Alia ex iure canonico, vt consanguinitas, affinitas, cognatio spiritualis. Definitur enim in Concilio Tridentino sessio. 24. can. 4. posse Ecclesiam statuere impedimenta dirimentia matrimonium. Item in capit. 6. decernitur non posse stare matrimonium inter raptorem & raptam, dum ista est in potestate raptoris. Et dicitur rapta, quando rapitur vi ad matrimonium, non si rapitur etiam vi ob aliam causam, nec si ipsa iuuenem insequitur amore illius tacta, etsi ab eo violetur, vt dixi in 6.
3 præcepto. *Nota*, impediri matrimonium ad dictum vnius, maximè matris, *iuxta cap. super eo. 2. de testimon.* deponentis de aliquo impedimento, nisi interueniat iuramentum in oppositum. *Ita capit. præterea*, 2. *de spon* Et etiam impeditur ad dictum vnius personæ grauis cui fides debetur, & quæ de fama vel scandalo docet, etsi in oppositum interueniat iuramentum parentum, *iuxta capit. cum in tua, de spon.* Et notat. Nauar. *lib. 4. conf. 2. de consanguin.* quod si vnus testis declaret audisse ab vno ex suis maioribus, duos esse in 4. gradu consanguinitatis, non impeditur matrimonium inter eos. Nam vnus testis maximè de auditu nil probat. Secus, si plures graues audissent à pluribus fide dignis, *iuxta cap. licet, 2. de testimon. &c.* At matrimonium contractum non dissoluitur sine plurium iuramento. *Ita capit. super eo. 2. de testib. cum glossa.* In nulla enim causa sat est dictum vnius. Nec admittitur testis, qui ex confessione scit impedimentum pro matrimonio. Nam quæ sic scit confessor, non scit vt homo, sed vt Deus. *Ita Diu. Thomas in addition quæst. 11 articul. 1. ad 1.* Et sic si iste sit parochus, & petitur eius assistentia pro isto matrimonio, assistat si non habet aliud remedium. Nam maius malum est reuelatio confessionis, quàm permissio talis matrimonij inualidi. *Ita Ledesm. cap. 15. de matrimonio.* De dictis impedimentis dicemus sigillatim.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

De impedimento erroris.

D. Thomas quæst. 51.

SVMMARIVM.

Error personæ, vel conditionis seruitutis irritat matrimonium, num 1.
Sed non error circa qualitatem personæ, num. 2.

DVB. 1. *An omnis error dirimat matrimonium.* 1
1. Conclusio. *D. Thomæ q. 1. art 1.* Error essentialium matrimonij tollit matrimonium, cum tollat sensum requisitum pro matrimonio.

2. Concl. *D. Tho. art. 2.* Solus error personæ, & error conditionis seruitutis tollũt matrimonium. Nam matrimonium includit duo, & personas, quæ coniunguntur, & mutuam potestatem ad inuicem, in qua matrimonium consistit, sed primũ tollitur per errorẽ personæ, & secũdum per seruitutem: cùm seruus non possit suum corpus alteri tradere sine licentia domini: ergo. *Si arguas,* si baptizes Petrum censens esse Paulum, verè baptizas: ergo si contrahis cum Maria censens esse Ioannam, manes vxoratus. *Ad hoc nego conseq.* Nam baptizans debet habere intentionem baptizandi puerum sibi oblatum, quicumque ille sit; & si eius intentio determinetur ad Paulum, erit sacrilegus, & baptismus nullus. At qui contrahit matrimonium, non tenetur habere intentionem contrahendi cum hac præsenti, sed cum aliqua determinatè. Et si alia supponatur, non erit matrimonium, vt patet, in matrimonio Iacob cum Lia, Genes. 29.

3. Conclusio. Error circa personæ qualitatem, vel bonæ fortunæ, vt si contrahis cum aliqua censens esse virginem, aut diuitem, aut nobilem, quo motus es ad hoc, non irritat matrimonium, cùm ista non pertineant ad essentiam matrimonij. 2
Nisi aliàs, *vt ait D. Thom. ad 5.* error iste refundatur in personam, vt si taliter intendas contrahere cum ista, quod si non sit virgo, aut diues, aut etiam nobilis, non vis contrahere. Nam error tunc tollit consensum, quo intendis contrahere cum istis conditionibus.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

De impedimento seruitutis.

D. Thomas quæst. 52.

SVMMARIVM.

Quo iure conditio seruitutis tollat matrimonium, num. 1.
An seruus possit contrahere matrimonium inuito domino, num. 2.

1 DVB. 2. *An conditio seruitutis tollat matrimonium.*

1. Conclusio. *D. Thoma q.* 52. *art.* 1. Seruitus ignorata ab alio coniuge solo iure canonico tollit matrimonium. Ita *cap.* 2. *& vltimo, de coniug. seru.* Nam seruitus ex natura rei non contrariatur matrimonio, aliàs siue ignorata, siue cognita tolleret matrimonium. Sed stando in iure naturæ, id solùm tollit matrimonium, quod ei contrariatur: ergo non iure naturæ, sed solo iure humano est nullum, etsi fundetur in iure naturæ, eo quod proles non educatur commodè, nec seruus potest concedere plenam sui corporis facultatem suo coniugi. Et intelligitur conclusio, quando libera contrahit cum seruo, ignorando esse seruum. Nam si seruus contrahat cum ancilla censens esse liberam, valet matrimonium, *vt ait D. Thom. artic.* 1. *ad* 1. Nam *in capit. si quis liber, & cap. si ingenuus,* 29. *quæst.* 2. semper est sermo de matrimonio inter liberum, & ancillam, & sic communiter intelligitur. Nam iura intendunt tollere iniuriam alicuius sic contrahentium, sed ambo sunt eiusdem conditionis, & sic nulli fiat iniuria: ergo.

2. Conclusio. *D. Thoma ibi.* Seruitus nota ab alio coniuge libero non tollit matrimonium. Nam iam iste liber cedit iuri suo. Ita *locis citatis.*

2 Dub. 3. *An seruus possit contrahere matrimonium inuito domino.*

1. Conclusio. *D. Thoma art.* 2. affirmatiua. Ita *cap.* 1. *de coniugio seru.* Vbi dicitur ista matrimonia non esse vetanda. 2. Omnis homo, etiam seruus, habet ius à natura circa naturalia, & ad disponendum de se in ordine ad illa, cum

sit

sit sui custos circa naturalia, & ad conseruationem indiuidui per sumptionem cibi, & ad conseruationem speciei per matrimonium. Sed ius humanum non potest derogare iuri naturali: ergo cum seruitus sit de iure humano, non potest tollere ius naturale conseruandi speciem per generationem, magis quam conseruandi indiuiduum per cibum. Seruus enim non subditur domino circa naturalia, sed circa ciuilia.

2. Conclusio *Diui Thomæ ad* 3. Seruus contrahens matrimonium volente domino, omittet seruitium domini, vt reddat debitum vxori. Nam concedente domino matrimonium, concessit omnia ei annexa. Secus de seruo contrahente inuito, aut inscio domino. Ita *cap.* 1. *citato*. Sed in his, *ait Diu. Thom.* pensentur circumstantiæ, vt periculum castitatis in vxore ex negatione debiti, & damnum domini, vt iudices, cui magis seruus obedire teneatur, domino, aut vxori.

3. Conclusio. *Ex D. Thom. ad* 4. *contra Nauarrum capite* 22. *num.* 34. Peccat mortaliter contra iustitiam dominus vendendo seruum in terras remotas, vbi vxor non potest eum commodè sequi; cùm priuet eos vsu matrimonij, ad quod habent ius ex iustitia. Excusabitur tamen dominus, si id facit necessitate coactus.

4. Conclusio. *D. Thom. art.* 3. Maritus potest se vendere vxore inuita, non è contra. Nam vir est caput mulieris, & solùm subditur ei in pertinentibus ad vsum matrimonij, in quo sunt pares. Sed peccabit vir si id faciat sine necessitate: Sicut & diu discedendo à cohabitatione cum vxore. Tum, ob periculum castitatis in vxore: tum, quia priuat eam facultate petendi debitum.

AR-

ARTICVLVS TERTIVS.

De impedimento Voti.

D. Thomas quæst. 53.

SVMMARIVM.

An votum simplex castitatis dirimat matrimonium, num. 1.
An qui cum tali voto contraxit matrimonium teneatur intrare religionem ante consummationem, num 2.
An votum solemne religionis iure diuino dirimat matrimonium, num. 3.
An Sacer ordo illud dirimat, num. 4.

1 DVB. 4. *An votum simplex castitatis dirimat matrimonium.*

1. Conclusio. D. *Thomæ quæst.* 53. *art.* 1. Votum hoc impedit matrimonium, sed non dirimit illud ex natura sua. Ita *capit. meminimus, & cap. rursus, qui clerici, &c.* Nam matrimonium est fortius vinculum, cum in eo fiat actualis traditio corporum, & per votum simplex solùm fit promissio; quæ non transfert dominium rei promissæ. Et idem est de voto religionis, vt habetur *cap. meminimus citato*. Dixi ex natura sua. Nam secus fit ex Ecclesiæ statuto, sicut de facto Gregor. XIII. Bull. 26. relata in Bullario Manuelis Rodrig. statuit votum simplex castitatis patrum Societatis dirimere matrimonium, & istos cum tali voto verè, & propriè Religiosos esse declarat.

2. Conclusio. Cum voto simplici castitatis, sicut & Religionis licet contrahere matrimonium, animo tamen non consummandi illud, sed intrandi Religionem intra duos menses induciarum coniugibus in iure concessos ad deliberandum, an sibi expediat Religio. Nam vota ista non repugnant matrimonio, sed solùm eius consummationi. Ita *Caietan. & Ledesma, cap.* 13. *de matrimonio, contra Siluest. verb. matrim.* 2. *Soto.* 38. *q.* 2. *art.* 1. *& Nauar. cap.* 22. *num.* 73. Et hoc maximè est verum si ex hoc matrimonio sequitur sponsæ aliqua vtilitas; iuxta dicta *quæst.* 2. *dub.* 3.

2 *An verò qui vouit castitatem, & contraxit matrimonium, tenea-*

teneatur intrare Religionem ante matrimonij consummationem.

3. Conclusio. Si isti suppetit aliud medium pro seruando castitatem, vt si alter coniux ob adulterium, aut aliter amittat ius ad debitum, non tenetur intrare Religionem. Et idem si sit ineptus Religioni, sed potest iste ineptus, etiam interpretatiuè petitus reddere debitum, non tamen petere. Ita *communiter cum D.Thom. ad* 4 Sed peccauit mortaliter à principio, si cognoscendo istam ineptitudinem duxit vxorem; cum tunc illam duxerit animo consummandi matrimonium.

4. Conclusio. Si isti non suppetit aliud medium pro castitate seruanda, & aliàs est aptus Religioni, probabilius est teneri illam intrare. Ita *ex D. Thom. ad* 3. *& Palud. d* 38. *q*. 3. *art*. 5 *Siluest. verb. matrimonium*, 2. *Caiet. verb. matrimonium, & Ledesma loco citato*. Nam iste tenetur seruare castitatem medio moraliter possibili, sed tunc non habet ad hoc aliud medium nisi ingressum Religionis: ergo.

Dub. 5. *An votum solemne Religionis dirimat matrimonium*. 3

1. Conclusio. *D. Thomæ art*. 2. Votum hoc ex sua natura, & ex iure diuino dirimit matrimonium cum eo contractum. Ita *communiter Thomistæ, & Enriq. tom. 2. lib. 12. c. 5. num. 2. 3. & 7. contra Sotum, Palud. Duran. Manu. Rodrig. in quæst. regul. to.* 3. *q*. 71. *art*. 1. Et contra Scholam Patrum Societatis asserentium habere illam vim ex solo iure Ecclesiastico. Sed conclusio patet: Nam hoc votum habet dirimere matrimonium à tempore Apostolorum, nec extat lex Ecclesiæ, quæ ei tribuat istam vim: ergo ex sua natura habet illam. 2. Hoc votum dissoluit matrimonium tantùm ratum aliàs iure diuino, & naturali insolubile: Sed non potuit Ecclesia conferre ei istam vim supra ius diuinum: ergo illam habet ex iure diuino, & ex sua natura. Et sic à fortiori, *ait Enriquez*, ex iure diuino habebit vim irritandi matrimonium cum illo contractum. Vide infra *q*. 5. *dub*. 3. *Si obijcias*, Voto solemni ob solemnitatem conuenit dirimere matrimonium, sed solemnitas conuenit voto accidentaliter ex iure canonico *in cap*. 1. *de voto, & vo. red. in* 6. ergo. *Ad hoc dico*, Minorem esse veram de solemnitate accidentali, quæ consistit in externa benedictione cum conditionibus ab Ecclesia statutis, vt quod fiat professio in Religione elapso anno probationis, &c. & de ista loquitur dicta decretalis. Secus est de solemnitate substantiali consistente in interna

conse-

consecratione, & traditione totali sui ad Deum per tria vota. Ista enim conuenit voto solemni ex sua natura, iuxta illud *cap. cum ad monasterium, de statu monac.* Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Papa possit licentiam indulgere. Et sic qui tenent posse Papam, ex iure scilicet diuino, dispensare cum Religioso ad nuptias, debent asserere, quod iam tunc non manet Religiosus. Aliàs si manet Religiosus, cùm amiserit potestatem sui corporis tradendo se eo ad perpetuam continentiam, *vt ait D. Thom* non potest illud tradere vxori. *Si instes*; quòd *in dicto cap. de voto* insinuatur, quod ratione solemnitatis inuentæ ex Ecclesiæ statuto, votum monachale dirimit matrimonium, nam quæsitus Papa quid sit votum solemne pro dirimendo matrimonio, ait, & quod voti solemnitas est ex Ecclesiæ statuto, & quod votum solemnizatur per professionem in Religione ab Ecclesia approbata. *Ad hoc dico*, quod cum votum monachale sit traditio, debet acceptari, & Ecclesia ex Dei commissione illud acceptat cum dictis conditionibus. Vnde cum istius voti solemnitas substantialis non stet sine tali Ecclesiæ acceptatione, & accidentali solemnitate, ista solemnitas datur ibi veluti pro signo, quo noscatur quando votum monachale dirimit matrimonium: cùm tamen id habeat ex solemnitate substantiali, seu ex sua natura, quæ constat ex Christi institutione, ac sic de iure diuino. *Si arguas*, Cum voto simplici castitatis stat matrimonium; ergo & cum solemni, cum sint eiusdem speciei, & obiecti. *Ad hoc dico ex D. Thom. ad 3.* quod votum simplex est promissio sola, at votum solemne est promissio, & datio, seu traditio, quæ transfert dominium: & sic non valet consequentia.

4 Dub. 6. *An Ordo Sacer dirimat matrimonium.*

1. Conclusio. *D. Thom. art. 3.* Ordo Sacer ex sua natura nec dirimit, nec impedit matrimonium, sed ex statuto Ecclesię Latinæ, *in cap. 1. & 2. qui cleri. vel vo. & in Clem. 1. de consang. & in Concil Trid sess. 24. ca. 9.* vbi clerici inhabilitantur ad matrimonium. Et si attentent contrahere, excommunicantur, & fiunt irregulares. Congruum enim est, vt accedentes ad altare sanctificentur per munditiam carnis, & spiritus.

2. Conclusio. *D. Thom. art. 4.* Si maritus reclamante vxore, etiam non consummato matrimonio, ordinetur, manet irregularis, etiam mortua vxore, & peccat mortaliter. Ita *in extrauа.*

trava. antiqua, de voto. Et intelligitur, etiamsi matrimonio non consummato habeat animum intrandi statim religionem. Nam ius citatum videtur intendere, quod matrimonium, & Ordo Sacer non sint simul: cum inhabilitet iam ordinatum ad matrimonium contrahendum. Et si non dissoluit contractum, facit quod potest vetando tales ordines reclamante vxore, habente aliàs ius reclamandi. Nam si dedit causam diuortij, amisit ius ad virum,& tunc ea inuita, licitè ordinatur. Iste autem, de quo in 2. Conc. tenetur in sententia veriori, ait Ledesm.c. 13. de matri. intrare Religionem ante consummatum matrimonium. Et si nolit, tenetur post duos menses induciarum consummare illud petitus; & deinceps tenetur reddere debitum. Ita *in extrau.cit. & D Tho. ad* 1. Ipse vero non potest petere;& si petat, ait D.Thomas, non tenetur vxor reddere;nam recipiendo ordines,cessit iuri petendi.

1. Conclusio. D.Thom. artic.4. Vir ordinatus de licentia vxoris,etiam matrimonio consummato, non priuatur vsu ordinum. Ita cap.seriatim d.32. vbi dicitur,non licere ascendere ad sacros Ordines, nisi de licentia vxoris. Et quod si vxor consentit, priuatur iure petendi debitum, & tenetur vouere castitatem. Imò si sit iuuencula, cuius castitas periclitatur, tenetur intrare Religionem. Ita *ex D. Thom ad* 2.*Vide infra qu.* 5. *dub*.3. 10

ARTICVLVS QVARTVS.

De impedimento consanguinitatis.

D. Thomas quæst. 54.

SVMMARIVM.

*Quid sit consanguinitas,& diuersi illius gradus.n.*1.
*In quo gradu dirimat matrimonium.n.*2.

DVB.7. *An consanguinitas dirimat matrimonium.*

1. Conclus. D.Tho.quæst.54.art.1.Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Ita *communiter* diffinitur. *Et nota ex Diu. Thom.artic*.2.esse tres lineas consanguinitatis 1 est linea recta descendentium à Patre in filios, nepotes, &c. 2. Linea recta 11

ascendentium à filijs in patrem, auum, &c. 3. Est linea transuersalis sumpta per comparationem plurium ab eodem stipite descendentium, sicut plures fratres sunt in ista linea. *Et pro linea recta, nota* quod si inter personas istius lineæ non mediat alia persona, sunt in primo gradu, sicut pater & filius: Et si mediat, tot erunt gradus, quot personæ mediæ numerando vnum extremum, sicut auus & nepos sunt in 2. gradu. *Et pro linea transuersali, nota* quod si duo sunt in ista linea, in gradu quo distant à stipite, distant inter se, vt duo fratres sunt in primo gradu: & si distant inæqualiter à stipite, in gradu quo remotior eorum distat à stipite, distant inter se. Ita *cap. vir. qui, de consang.* Et sic filius & nepos Petri sunt in 2. gradu. Vnde qui distat à stipite in quinto gradu, licitè contrahit matrimonium cum eo qui distat ab eodem stipite in 4. 3. 2. vel primo gradu. Ita ibi cum glossa.

2 2. Conc. D. Tho. art. 3. Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ iure naturæ tollit matrimonium. Nam ex natura matrimonij oritur æqualitas inter coniuges, sed inter patrem & filiam, v.g. iure naturæ est inæqualitas, subiectio, & dominatus: ergo. Et ex hoc patet esse probabilius, quod non solùm in primo gradu, sed & in alijs lineæ rectæ iure naturæ est nullum matrimonium. Ita vt si Adam esset in mundo, nullam fœminam posset in vxorem ducere. Cum omnes ei vt principio debeant naturalem subiectionem.

3. Conclusio. D. Thom. artic. 4. Matrimonium in 2. 3. & 4. gradu lineæ transuersalis, est nullum ex solo iure ecclesiastico c. non debet, de consang. & sic solos obligat baptizatos. Nec infideles sic coniugati separentur si baptizentur. Ita *cap. de infidelibus, de consanguinit.* Et istorum filij sunt legitimi. Ita *cap. gaudemus, qui filij sint legi.* At consanguinitas istius lineæ in primo gradu, vt inter duos fratres, iure naturæ tollit matrimonium. Et sic Papa in nullo casu potest dispensare cum istis: & oppositum *Caiet. 2. 2. q. 54. artic. 9. & Barto. de Ledesm. diff. 27. de matrimon. & Man. Rod c.* 224. est improbabile, *ait Ledesm. c.* 14. *de matri.* cum sit contra communem sententiam. Et patet ex vsu Ecclesiæ, quæ nunquam in hoc dispensauit. Solus enim Deus dispensauit cum duobus primis fratribus filijs Adæ.

AR-

ARTICVLVS QVINTVS.

De impedimento affinitatis.

D. Thom. quæst. 55.

SVMMARIVM.

DVB.8. *Quid sit affinitas, & ex quo causetur.*

1. Conclusio D. Thom. qu.55. art.1. & 3. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula, aut ex eius potestate proueniens. Et in ista vltima particula denotatur affinitatem causari etiam ex matrimonio non consummato; etsi Canonistæ vocent hoc impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium intra quartum gradum. Et à Congregat. Cardin. declaratur non oriri affinitatem ex matrimonio non consummato, *vt refert Farinac. super Conc. Trident. sess.24. c.3. & Nauar. lib 4. cons.11. de spon.* At D.Thom. & communiter Theologi vocant hoc impedimentum, affinitatem. Sed quæstio est de nomine; parum refert, an affinitas, aut aliter vocetur. I

2. Conclusio. D.Thom. art.3. Affinitas etiam causatur ex copula illicita. *Ita cap. neque eam, & ca. super eo. 35. q.3.* Nam per istam copulam efficiuntur coeuntes vna caro iuxta illud 1. Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Et nota,* quod sola copula, ex qua ex se nata est sequi generatio, etsi de facto non sequatur, causat affinitatem. Ita communiter, & sic etsi apertione, aut penetratione fœminei claustri per copulam carnalem consummetur matrimonium, at affinitas proueniens ex copula sola non causatur vsque ad seminationem in vase legitimo, etsi claustra non rumpantur. Nam vsque ad seminationem non efficiuntur

coeuntes vna caro, & vnum principium generationis. Ex-
sat est seminatio ex parte viri; nam semen fœminæ, *ait Ari-
stoteles libr. de generatione animalium capit. 20. & lib. 2. cap.*
4. est impertinens ad generationem. Nec fuit in sacratissi-
ma Virgine cum genuit Christum, vt ostenditur cum Diu.
Thom. 3. part. quæst. 32. articul. 4. Et quando Diu. Thom.
articul. 3. ait quod ad affinitatem requiritur commixtio se-
minum viri, & fœminæ, per semen fœminæ intelligitur,
aut verum semen, aut sanguis menstruus tenens se loco se-
minis.

3. Conclus. D. Tho. art. 7. & 8. Gradus affinitatis desumun-
tur iuxta gradus consanguinitatis. Itaque vir est in eo gradu
affinitatis cum altero, in quo iste est cum sua coniuge in gra
du consanguinitatis. Ex eo enim quod vir & vxor fiunt vna
caro, communicant in parentela.

3 4. Conclusio. Affinitas orta ex matrimonio extenditur ad
quartum gradum. At affinitas orta ex copula illicita non ex-
cedit secundum gradum. Ita in Conc. Tridentin. sess. 24. cap. 4.
Et hoc magis declaratur à Pio V. in motu incipiente, Ad Ro-
manum spectat Pontif. 4. Kalend. Decembr. anni 1566. vbi
dicitur, quod affinitas tertij, aut quarti gradus, orta ex copu-
la illicita, nec impedit, nec dirimit matrimonium. Ex quo
patet contra aliquos, quod maritus accedens ad consangui-
neam vxoris in tertio gradu, nec commisit incestum, nec pri-
uatur iure petendi debitum à sua vxore, siquidem si ista co-
pula antecederet matrimonium, non impediret illud, & pos-
set petere debitum. Ita etiam declarauit Gregorius XIII.
ex sententia congregatio. Cardinal. vt refert. Farinac. su-
per Concil. Trident. session. 24. capit. 4. Et decis. 182. volum.
4. refert aliam declarationem Cardinalium, quod in affini-
tate orta ex fornicatione attendatur gradus remotior, si, quod
possunt contrahere matrimonium, qui simul secundo & ter-
tio gradibus, idest, tertio cum secundo gradu affinitatis ex
fornicatione inductæ coniunguntur, vt si coisti. cum Maria,
potes ducere in vxorem Ioannam filiam priuigni Mariæ, aut
è contra.

4 5. Conclusio. Diu. Thomæ articul. 4. Ex sponsalibus
de futuro causatur iustitia publicæ honestatis dirimens
matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, & transuer-
salis. Ita Concil. Tridentin. session. 24. capit. 3. Nam ex
promissione nuptiarum fit quædam vnio, licet inchoatiuè,
inter

inter sponsos: ergo consanguinei vnius sponsi alteri vniuntur, ratione cuius sponsus accedens ad matrem, aut sororem suæ sponsæ committit incestum, etsi imperfectum; sed explicandum in confessione. Et intelligitur conclusio. ait Nauarr. capit. 22. numer. 58. si aliàs sponsalia fuere legitima, non si fuere nulla ex quauis causa, vt declaratur in Concil. citat. moderando in hoc caput ex sponsalibus, de spon. in 6. Item sponsalia conditionata suspendentia consensum in futurum, vt si dicas promitto te in vxorem ducere, si factis denuntiationibus non sit impedimentum, non causant hoc impedimentum. Ita *congregat. Cardin. vt refert Farinacius super Conc. Trid. sess. 24. caprt.* 3. Item cap. ex sponsalibus citat. dicitur, quod si sponsalia fuere pura, id est absoluta, & non sub conditione, contrahitur hoc impedimentum.

Dub. 9. *An affinitas dirimat matrimonium.*

1. Conclusio. D. Thom. quæst. 55. artic. 6. Affinitas dirimit matrimonium cum ea contractum ex iure Ecclesiastico, in capite non debet 35. quæstion. 3. & sic solum impedit baptizatus. Ita *Nauarrus lib. 4. consil. 12. de consanguinitate*. Et sic dispensat Papa in omni gradu affinitatis, sicut dispensauit cum Henrico Rege Angliæ, vt cum Catharina vxore fratris sui matrimonium iniret *Nota quod in Clement. vni. de consanguinit.* excommunicantur consanguinei, affines, religiosi, moniales, & sacris ordinibus initiati, attentantes scienter contrahere matrimonium. Ex quo patet 1. quod fictè contrahens, & sine vero consensu, non intendit conrrahere; & qui omittit aliquod necessarium pro matrimonio, non contrahit matrimonium. Exigitur enim in dicto decreto, quod quantum est ex parte sua intendat contrahere matrimonium, quod aliàs non obstante consanguinitate, affinitate, &c. esset verum matrimonium. 2. Patet, quod non sola ignorantia facti, sed & ignorautia etiam vincibilis istius legis excusat ab ista excommunicatione. Nam dicitur ibi, quod qui scienter, &c. vbi absolutè requiritur scienter: ergo non est restringendum ad solam scientiam facti, maximè quia scientia absolutè opponitur omni ignorantiæ iuris, & facti, vincibili, & inuincibili, dum non sit affectata, quæ reddit actum in naturam suæ formæ. *Et ita sentit Diuus Antonin. Caietan. Siluester, Nauarrus relati à Ledesma cap. 15. de ma-trim.* 4

2. Conclusio. Diu. Thomæ ibi. Affinitas matrimonio su-
5 perueniens non dirimit illud; cum sit insolubile. At qui culpabiliter dedit causam affinitati, priuatur iure petendi debitum, sed tenetur ex iustitia reddere, etiam interpretatiuè petitum. Ita *c. tuæ fraternitatis, de eo qui cogn. consang. vxor.* quia alter coniux ob istius malitiam non debet suo iure priuari. Nec tenetur ille, etsi nondum consummasset matrimonium, religionem intrare. Ita *communiter contra Siluest. verb. matrimonium.* 8. Dixi culpabiliter: Nam si inculpabilitet accessit ad consanguineum viri sui, non priuatur iure petendi debitum, vtpotè si cum ignorantia inuincibili: Nam cum sic non sit incestuosa, excusatur à pena incestus. Ita *Enriquez cum alijs, tom. 2. lib. 12. capitul. 2. numer. 2. ex cap. discretionem, titul. citat.* Nam vt ibi dicitur, sine culpa non debet quis priuari iure suo. Et idem est, vt ibi dicitur, si coacta illud fecit. *Si arguas*, si talis affinitas coacta aut ignorata, antecederet matrimonium, dirimeret illud: ergo post matrimonium causata priuat saltem iure petendi debitum: *Ad hoc nego consequentiam.* Nam ante matrimonium non habes ius contrahendi cum consanguinea alterius à te vi aut ignoranter cognitæ: at post matrimonium habes ius petendi debitum ab ea, quo sine culpa priuari nequis.

3. Conclus. Si ambo coniuges dederunt culpabiliter causam affinitati, priuantur iure petendi debitum. Patet ex 2. conclus. Nec est idem de vouente castitatem ante matrimonium, qui etsi peccet contra votum petendo debitum, non tamen contra iustitiam. Et sic alter non potest negare debitum ab isto petitum.

AR.

ARTICVLVLVS SEXTVS.

De impedi. cognatio. ſpiritalis, & legalis.

D. Thomas quæſt. 56.

SVMMARIVM.

Vnde & inter quos contrahatur cognatio ſpiritualis, num. 1.
An patrini per procuratores & non tangentes puerum, illam contrahant. num. 2.
An tenentes puerum in neceſſitate, num. 3.
An non baptizati, num. 4.
Quid ſit cognatio legalis & inter quos contrahatur, num. 5.
An hæ cognationes dirimant matrimonium, num. 6.

DVB. 10. *Ex quibus cauſis iſta oriantur.* 1
1. Conc. D.Th. q. 56. art. 2. Cognatio ſpiritualis contrahitur ſolo Baptiſmo, & Confirmatione. *Ita c. quamuis, de cogn. ſpiri. & in Conc. Trid. ſeſs.* 24. *c.* 2. & nullibi habetur, quod contrahatur per alia Sacramenta. Ex hoc patet, quod etſi iuxta aliquos Thomiſtas ſit explicandus in confeſſione acceſſus ad filiam confeſsionis, & D. Th. ad 8. videatur hoc inſinuare, dum ait, quod tantum in illo acceſſu peccat, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia; cuius etiam ſignum eſt, quod in c. omnes, &c. ſi quis, 30. q. 1. ponitur pœna iſti delicto; tamen alij Thomiſtæ tenent oppoſitum. Nam in iure non habetur, quod per confeſſionem contrahatur aliquod vinculũ, vt etiam ait D.Th. ibi. Sed vtraque ſententia, ait Led. c. 17. de matrim. eſt probabilis.

2. Concluſio. Iſta cognatio contrahitur inter baptizantem, ſeu confirmantem, cum baptizato, ſeu confirmato, ac patribus eius: & inter patrinum baptizati, ſeu confirmati, cum baptizato, ſeu confirmato, ac patribus eius. *Ita in . Concilio Trid. ſeſs.* 24. *c.* 2. vbi tollitur ius vetus, in quo extendebatur iſta cognatio ad filios baptizati, & patrini. Inter patrinos ad inuicem non etiam contrahitur iſta cognatio, vt declarauit Pius V. in motu incipiente, Cum nullus vicem.

Et nota 1. quod vt patrini contrahant iſtam cognationem debent realiter tangere puerum quando actualiter bapti- 2

 zatur,

zatur, vt declarauit congregatio Card. Episcopo Abulensi circa matrinam, quæ solum induit puerum iam baptizatum. Ex quo patet, magnates, qui sunt patrini per procuratores nõ contrahere istam cognationem, sed solos procuratores tangentes puerum. Ita communiter Theologi, & Canonistæ, quos sequitur Nau. l. 4. conf. 6. de cogna. spiri. contra Marsi. & alios: licet ibi referat congregationem Car. declarasse istam cognationem non à procuratoribus, sed à magnatibus contrahi. Et ita tenet Sà, ver. matrimonij Impedim.

3 Nota 2. Tenentes puerum in baptismo necessitatis, non contrahere istam cognationem. *Ita Ledesm. cap. 17. de matr. & Manuel Rod. 1. par. ca. 224.* Nam Concilium solum loquitur de patrinis in baptismo solemnitatis, dum ait, quod parochus interroget qui sint patrini. *Vbi nota*, quod si ex negligentia parochi non designetur patrini, omnes & soli tangentes puerum contrahunt istam cognationem. *Ita Nau. cap. 22. n. 39. Ledes. & alij contra Man. Rod.* Et si designentur aliqui, & acceptentur à parocho, etiam plures quam petit Concilium, soli designati, non alij etiam tangentes, contrahunt cognationem, *vt dicitur in Conc. cit. de quo Nauar. lib. 4. conf. 7. de cogna. spiri.*

4 *Nota 3. ex D. Tho. art. 3. ad 3.* Non baptizatum, cum non sit membrum Ecclesiæ, non posse esse patrinum in Baptismo, & si de facto sit, non contrahere istam cognationem, etiamsi postea baptizetur. Nam cum tunc sit expers vitæ spiritualis, non potest spiritualem cognationem contrahere. Et ob id non contrahitur cognatio cum patre baptizati non baptizato. Et idem est de non baptizato baptizante. Secus de baptizato non confirmato baptizante, aut tenente baptizandum, aut confirmandum. Nam iste iam habet vitam spiritualem. *Ita Nau. conf. 1. Sil. ver. matrimonium. 8.* Item infans non doli capax si sit patrinus non contrahit istam cognationem. *Ita Nauar. conf. 2. & 3.*

5 3. Conc. ex D. Th. q. 57. art. 1. Cognatio legalis contrahitur ex adoptione perfecta, facta cum solemnitatibus iuris ciuilis, vtpotè, auctoritate Principis, & ex consensu adoptantis & adoptati, & per quam adoptatus traducitur in potestatem adoptantis, & succedit intestato in hæreditate, nec adoptans potest eum sine culpa priuare quarta parte hæreditatis, *vt ait D. Thom. ad 1.*

4. Concl. D. Tho. art. 3. Ista cognatio contrahitur. 1. Inter

adoptan-

adoptantem & adoptatum, & filios adoptati vſque ad quartum gradum. 2. inter adoptantem, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis. 3. inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis. Sed iſta tertia ſpecies non eſt perpetua, ſicut aliæ duæ, ſed durat dum alter eorum non emancipatur. *Ita inſti. de nuptijs*, §. *ergo &c. de cong. legali*.

Dub. 11. *An dicta cognationes dirimant. matrimonium.*

1. Concluſio D. Thom. art. 2. Adoptio perfecta dirimit matrimonium, cum ea contractum. *Patet ex cap. ita diligere 30 q. 1.* Et idem eſt de cognatione ſpirituali antecedente matrimonium, etiam contracta in extrema neceſsitate, vt ſi baptizes filium Mariæ, tunc non potes cum ea matrimonium contrahere. *Ita D. Thom. q. 56. art. 1. ex c. veniens. de cogn. ſpirit.* 6

2. Concluſio D. Thom. loco cita. Cognatio ſpiritualis ſequens matrimonium, non tollit ipſum, ſed priuat dantem cauſam illius culpabiliter iure petendi debitum ſicut dixi de affinitate. Et intelligitur *ait D. Thomas* 1. Extra neceſſitatem. Nam ſi pater baptizet filium ſuæ vxoris in extrema neceſſitate, quando non eſt alius qui baptizet, non priuatur iure petendi debitum, cum ſine culpa non debeat ſuo iure priuari. *Ita cap. ad limita 30. qu. 1.* Ex quo non ſequitur patrem baptizantem filium ex fornicatione ſuſceptum poſſe poſt hoc contrahere matrimonium cum matre iſtius, cum ad id non habeat ius, iuxta dicta dub. 92. Intelligitur, *ait D. Thom.* ſecluſa ignorantia inculpabili iuris, & facti, *vt explicat Soto, d. 42. q. 1. ar. 1. & Ledeſma cap. 7. de matrimon.* Si enim pater baptizet filium ignorando inculpabiliter dictam legem, aut illum eſſe filium ſuæ vxoris, poteſt petere debitum ab vxore. Ita cap. ſi vir, de cogna. ſpirit. Et dictorum eſt ratio. Nam ſine culpa non debet ſuo iure priuari, vt etiam dicitur cap. diſcretione, de affinitate.

DE

DE DISPENSATIONE IN dictis impedimentis.

SVMMARIVM.

1 DVB. 12. *Quis dispenset in dictis impedimentis.*

1. Conclusio. Si impedimenta dirimentia antecedant matrimonium, solus Papa dispensat pro matrimonio contrahendo de lege ordinaria. Patet ex vsu, *de quo Sil. verb. matrimonium* 6. *& Nau. in man c.* 22. *n.* 84. Sed in casu raro, quando matrimonium est iam publicè celebratum cum impedimento occulto, & bona fide, si alias non patet facilis aditus ad Papam ob paupertatem contrahentium, aut ob aliud simile, nec possit fieri separatio sine magno scandalo, tunc probabile est posse Ordinarium in foro occulto conscientiæ dispensare cum consanguineis, affinibus, &c. vt de nouo in secreto inter se renouando consensus contrahant matrimonium. *Ita Nau. l.* 4. *conf.* 14. *de consang. Ange. Armi. ver. dispensatio. n.* 20 *Sil. n.* 15. *Sota Enriq. tom.* 2. *lib.* 12. *c.* 3. *n.* 2.

2 2. Conclusio, Commissario Cruciatæ in Bulla plumbea, alijs commissarijs subdelegatis singularim diœcesum per *Clem. VIII.* concessum est, posse in foro conscientiæ dispensare cum eo, qui bona fide cum affinitate ex fornicatione orta contraxit matrimonium publicè, vt iterum in occulto sine parocho & testibus valide contrahat. Triplici tamen limitatione. 1. Quod illud impedimentum affinitatis sit omnino occultum. 2. Quod vnus saltem contrahentium ignarus talis impedimenti bona fide contraxerit. 3. Quod iste sic ignarus, antequam secretè contrahant, de nullitate prioris consensus certificetur: tacita tamen causa nullitatis, si videbi-

si videbitur, ob vitanda scandala. Et vt ista dispensatio fiat, requiritur, quod sequatur scandalum ex eo, quod matrimonium dissoluitur, quod regulariter continget. *Vbi nota*, quod ambo tenentur repetere consensus, cum priores ob impedimentum fuerint nulli. Nec iterum sint reualidabiles etiam à Papa sicut nec absolutio, quæ ex defectu iurisdictionis fuit nulla. Ita *D. Thom. & communiter in 4. dist. 35. & Nauar. lib. 4. consf. 12. 13. & 14. de sponsf.* Imò & quando prius matrimonium fuit nullum ex defectu consensus vnius contrahentium, securius repetuntur ambo consensus, vt sic saluetur simultas inter materiam, & formam istius Sacramenti; quod saltem videtur necesse pro matrimonio, postquam inter Christianos habet rationem Sacramenti. Etsi possit dici, sat esse, si qui fictè contraxit repetat suum consensum, & quod consensus alterius aliàs legitimus, semper durat dum non retractatur.

3. Conclusio. Circa impedimenta affinitatis superuenientia matrimonio, conceditur dictis commissarijs loco citato, dispensare cum istis incestuosis in petitione debiti. Et idem possunt Religiosi ab ordinario approbati, ex commissione suorum Prouincialium. Ita concessit Pius V. inter viua ora. relata à Man. Rodrig. in compendio. Imò & idem potest Episcopus in sententia satis probabili. *D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 16. § 4. Paludan. in 4. dist. quæst. 1. art. 2. Siluest. verb. matrimonium, 7. contra Couar. Epitom. de sponsf. 2. part. cap. 7. § 2.*

4. Conclusio. Ordinarij, & Legati Papæ in suis legatijs possunt dispensare in impedimentis non dirimentibus, exceptis impedimentis interdicti, sponsalitij, voti castitatis, & Religionis. Ita *Caiet. verb. matrimonium, Nauar. c. 22. num. 85. & Ledesm. c. 27. de matrim.* Nam Episcopus in hoc non est restrictus. Et hoc ipsum, sicut & alia supra dicta, potest Episcopus alijs delegare, *vt ait Ledesm.*

5. Conclusio. Ad dispensandum in prædictis requiritur causa rationabilis, *vt ait Nauarr. num. 21. 86. & 87. Ledesm. & Enriq. tom 2. lib. 12. cap. 3. num. 9.* Et inter istas, prima sit parentum concordia, & sedatio litium, & inimicitiarum. 2. Scandalum, quod timetur ex separatione matrimonij ex ignorantia celebrati inter consanguineos, aut affines. 3. Si quis habuit prolem ex consanguinea, aut affine, aut de hoc sit præsumptio, aut scandalum. 4. Defectus dotis competentis cum extraneo sibi æquali, ita vt in suo oppido (quid-

quid

quid sit de vicino) non inuenit virum sibi æqualem, qui eam velit cum illa dote. 5. Ob conseruandam illustrem familiam in eodem sanguine, aut successionem Regni. 6. Si cognatus dotat cognatam pauperem, hoc enim pertinet ad causam piam; aut si diues, & nobilis petat cognatam pauperem, quia sic implicitè auget dotem. 7. Si maior pars populi est sibi consanguinea, ita vt difficilè cum extraneo contrahere possit, erit iusta causa pro dispensando in quarto, & aliquando in tertio gradu. Et quanto gradus sit maior, requiritur maior causa pro dispensando. Et sic *in Concilio Tridentino sess.24. cap.6.* statuitur, quod in secundo gradu consanguinitatis non dispensetur, nisi cum magnis Principibus, & ob publicam causam. Et nomine Principum intelligunt *Enriq. & Molin. lib. 1. de primog. cap.2. num.24.* principales personas, seu diuites. Et ita est vsus dispensandi cum istis. *Et nota*, quod si obtenta dispensatione, dubites de eius valore, an testes dixerint verum, si matrimonium sit celebratum, depone scrupulum; cùm in dubio melior sit conditio possidentis: at si non sit celebratum, non celebretur.

6. Conclusio. Papa scienter sine causa dispensans, etsi peccet mortaliter, & etiam petentes, & vtentes scienter tali dispensatione, tamen dispensatio valet. Nam Papa est supra ius canonicum. Ita *Ledesm. cap 23. de matrim.*

4 Dub. 13. *An in petitione dispensationis debeat fieri mentio omnium impedimentorum.*

1. Conclusio. Omnia impedimenta, etiam implicata intra eandem speciem, & gradum, vt si duo sint consanguinei, & affines, aut habent cognationem spiritualem, & legalem, aut sint consanguinei, siue affines ex vtroque parente, sunt declaranda in litteris petitionis, taliter quod Papa sciat illa impedimenta concurrere in eadem persona, alias si petantur seorsum dispensationes super singula impedimenta, neutra dispensatio valebit. Ita *Ledesma cap.23. de matrimonio. Enriq. lib.12. cap.1. num 3. Soto, d.41. art.2. & communiter contra Nauar. cum Panormit. & alijs lib.4. consf.7. de consang. & Manu. Rodrig. cap.237. & contra alios. Et nota,* quod si putans te esse cum Maria in secundo gradu, obtenta dispensatione scis esse cum ea in tertio, non eges alia dispensatione. Ita *Manuel. Rodrig.* Item si vnus contrahentium distet à trunco in secundo gradu, & alter in tertio, valet dispensatio obtenta, etsi in petitione dispensationis solùm fiat mentio de tertio gradu, impetran-

petrando postea litteras declaratorias super secundum gradum, dum tamen primum gradum non attingant. Ita declarauit Pius V. in motu incipiente, *Attendens*, 20. Augusti, anni 1566. Itaque primæ litteræ non sunt subreptitiæ, eo quod in eis non fit mentio proximioris gradus in dicto casu.

2. Conclusio. Qui scienter cum impedimento dirimente attentauit contrahere matrimonium, & à fortiori si illud consnmmauit, tenetur omnia ista declarare in petitione dispensationis impedimenti, alias dispensatio erit nulla. Ita *Ledesm. cum alijs in addit. quæst.* 56. *art.* 4. Nam in tali petitione tacetur aliquid de iure manifestandum. Dicitur enim *in Concil. Trid. sess.* 14 *c.* 5 quod scienter contrahens in gradu vetito careat spe dispensationis. Imò si ignorando tale impedimentum, matrimonium contraxerunt omissis publicis denuntiationibus in Ecclesia, aut si contraxerunt sine parocho, & testibus, & id non declararunt in litteris petitionis dispensationis, etiam erit nulla dispensatio, vt patet *ex Concil. cit.* Nam non est dignus Ecclesiæ benignitate, qui eius præcepta contemnit.

An verò quæuis expressio falsi in litteris petentibus dispensationem, annullet dispensationem. Ad hoc dico primo: 5
Expressio falsi maximè ex ignorantia petentis, si per hoc Papa non fit promptior ad dispensandum, non vitiat dispensationem obtentam. Ita *Enriquez tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 7. *cum Nauar. lib.* 3. *conf* 78. *de regul.* Imò nec tacitis, quæ retardarent concessionem dispensationis ex praxi, & stylo curiæ, vitiant dispensationem in conscientia, quando expresso iure non iubentur explicari. Ita *Nauar. & alij citati, & Couar.* 2. *par. cap.* 6. § 7. *num.* 1.

Dico 2. Expressio falsi, quæ est causa sine qua non, & principalis, vt Princeps ad concessionem dispensationis moueatur, inualidat eam in vtroque foro, vt si vt allicias Papam ad dispensandum, dicas mendaciter interuenisse copulam, aut prolem. Ita Doctores citati. Secus si fuit motiuum secundarium, vt facilius Papa dispensaret. Ita *Couar.* 1. *variar.* 20. *num.* 1. *cum Felin. cap. super litteris, & alij*.

Dico 3. Si iura iubent exprimi, quæ solent magnam ingerere difficultatem Principi ad dispensandum, & occultentur, non valet dispensatio obtenta. Ita *Nauar. cap.* 22. *num.* 86. *cum Rota noua. Enriq. tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 7. *cum Felin. Cordub. Sarmient. & alijs*.

Dub. 14.

Dub. 14. *An in litteris petentibus dispensationem pro consanguineis, aut affinibus, &c. facienda sit mentio copulæ incestuosæ habitæ inter eos.*

6 Et non est sermo de copula habita obtenta dispensatione, & licentia contrahendi. Ista enim non irritat dispensationem obtentam, cùm iam sint habiles ad contrahendum. Ita *declarauit Congregatio Cardin. vt refert Farinac. super Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. & Cord. in sum. q. 45.* Nec est sermo de copula habita inter istos antequam intenderent contrahere. Ista etiam non irritat dispensationem posteà obtentam, etsi occultetur. Ita *Ludou. Lop. 1. par. cap. 296. Manuel. Rodrig. 1. par. cap. 246. & Nauar. cap. 22. num. 86.* Et licet Farinac. referat declarationem Cardin. in oppositum, sed potest explicari, aut de copula habita post tractatum de contrahendo, quidquid aliter intelligat Farinac. ibi, aut pro tempore Pij V. sic explicantis mentem suam. Sermo est de copula habita inter prædictos, postquam tractarũt de contrahendo, & cum intentione facilius obtinendi dispensationem, quæ communiter vocatur copula malitiosa. An debeat fieri mentio istius copulæ, & cum ista intentione habitæ.

1. Conclusio. Si Papa committit ordinario, vt dispenset cum aliquibus, dum tamen copulam non habuerint, non valet dispensatio occultata copula, sicut & in tempore Pij V. non valebat: ipse enim declarauit non esse mentem suam dispensare cum occultante talem copulam, *vt refert Nauar. lib. 4. consil. 8. de consang.* Et ita etiam censuit pro tempore Pij V. Congregatio Cardin *vt refert Ioan. Gutier. in quæst. canon. cap. 15. num. 23.* Non tamen reputo verum, quod *ait Enriq. tom. 2. lib. 12. cap. 2. num. 7. in gloss.* quod dicta conditio nunquam solet addi per modum conditionis, sed vt modus, & onus, & quod hoc debet examinare commissarius.

2. Conclusio. Seclusa prædicta conditione valet in foro conscientiæ dicta dispensatio, etiam dolosè occultata copula incestuosa. Quia non habetur in iure, vt exprimatur. *Ita consulti Romæ, & Hispaniæ graues Doctores, & Nauar. lib. 5. cons. 1. & 2. de consang. & cons. 2. de spons. Enriquez, num. 6. littera P. cum Moia, Ver, Meneses, Sarmiento.* Et est receptum in praxi in diœcesi Salmantina, Palentina, & alijs. Vide *Enriq. cap. 13. num. 8. lit. T. X.* Ex dictis patet à fortiori decisio casus, qui contingit in oppido de Yepes an-

no

no 1604. circa festum Purificationis, vbi duo consanguinei post commissionem factam Ordinario ad dispensandum cum eis, & antequam talis commissio Ordinario præsentaretur habuerunt copulam. Et adhuc ista copula non irritauit dispensationem, sed præceptum est parocho sub certa pœna à consiliarijs Archiepiscopi, vt non obstante ista copula, eos matrimonio iungeret. Et hanc doctrinam in eorum fauorem ego semper contra alios defensaui. De quo etiam *vide Nauar. lib. 4. cons. 10. & 11. Ludou. Lop. Enriq. lib. 12. cap. 2. num. 5. tom. 2. Ledesm. & Man Rodrig. 1. par. cap. 137. conclus. 8.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De frigiditate, maleficio, amentia, &c.

D. Thomas quæst. 58.

SVMMARIVM.

Qua impotentia viri dirimat matrimonium, num. 1.
Qua impotentia fœminæ, num. 2.
An maleficium illud dirimat, num. 3.
An amentia, num. 4.
An defectus ætatis, num. 5.

DVB. 15. *An frigiditas, seu impotentia naturalis dirimat matrimonium.* 1

1. Conclusio. *D. Thom. quæst. 58. artic. 1.* Impotentia ista perpetua, & perfecta, vtpotè quando nec potes seminare in vase legitimo, nec erigere, & immittere membrum in vuluam mulieris, dirimit matrimonium cum ea contractum, etiamsi talis impotentia, *ait D. Thom. cum Porrecta ad 4.* sit nota coniugibus, *contra D. Anton. & Palud. Ita cap. quod sedem, & cap. ex litteris, de frigid. & malef.* Nam in contractu matrimonij obligantur coniuges reddere debitum, sed habenti talem impotentiam est impossibilis debiti redditio: ergo. Nec possunt coniuges cedere iuri suo, cum matrimonium non solùm ordinetur in bonum contrahentium, sed & in bonum naturæ. Dixi, impotentia perfecta perpetua: Nam si sit temporalis, quæ processu ætatis, aut arte humana, & sine periculo mortis tolli potest, non tollit matrimonium: *vt ait*

Diuus

Diuus Thomas, etsi ignoretur à coniugibus, *contra Soto*. *Ita communiter*, *& habetur capit. fraternitatis*, *titulo citato*. Et intelligitur conclusio, de perpetua, & perfecta impotentia cum omni fœmina. Nam si cum vna sis impotens, & non cum alia, probabilius est *contra Siluest. & alios multos relatos à Ledesma cap. 20. de matrimonio*, valere matrimonium, etiam cum illa, cum qua es impotens. *Ita D. Thomas*, & videtur colligi *ex cap. laudabilem*, *& ex cap. fraternitatis*, *de frigid. & malef.* vbi dicitur: *Si quis separato priori matrimonio inuenitur habilis ad aliam fœminam*, *redeat ad priora connubia*.

2 2. Conclusio. Impotentia generandi non tollit matrimonium. Matrimonia enim senum, & sterilium valida sunt, vt patet ex vsu. Nam etsi isti non possint habere filios, qui est finis vltimus matrimonij: saluatur tamen in eis finis proximus, vtpotè vsus matrimonij, *ait Diuus Thomas ad* 3. quo concupiscentia sedatur. Et est inter eos copula, & vera traditio corporum, & obligatio ad actus matrimoniales, & emittunt semen ex natura sua prolificum, etsi ineptum generationi ex accidentali frigiditate. Secus de spadonibus, qui etsi penetrent vas fœminæ, quia tamen non emittunt semen ex sua natura prolificum, sunt inhabiles ad matrimonium. Et sic est declaratum à Sixto V. in motu incipiente, *Venerabilis frater*, 27. Iunij, anni 1587. vbi spadones vxorati iubentur etiam separari.

3. Conclusio. *D. Thom. ad* 6. Quod dixi de impotentia viri, dic etiam de impotentia fœminæ, quæ si sit ita arcta, vt sine miraculo, aut arte magica, aut sine mortis periculo non possit aperiri, est inhabilis ad matrimonium, *iuxta cap. ex litteris cit.* Secus sit, *vt dicitur in cap. fraternitatis*, si per artem medicam aperiri potest, ad quod ipsa tenetur, *vt ait Soto*, etiam cum graui dolore, etsi non cum grauissimo. Illa autem fœmina, quæ bene recipit semen viri, etsi non possit illud retinere, erit habilis ad matrimonium, nec ipsa, nec vir accedens ad eam cum isto periculo, peccant mortaliter. Nam illa sola impotentia, vt dixi, dirimit matrimonium, quæ impedit coitum, & seminationem in vase fœminæ, cùm per hoc consummetur matrimonium, & contrahatur affinitas. Isti enim, sicut & steriles, faciunt quod in se est, ponendo semen in vase legitimo, etsi ex aliquo accidentali impedimento effundatur, & non sequatur generatio.

4. Con-

4. Conclus. D. Thom. art. 1. Impotenti seminare in vase legitimo, quia mulier est arcta, aut ob aliam causam, conceduntur in ca. laudabilem, de frig. & malef. tres anni, quibus possit uti uxore, & spe niti ad seminandum. Et Caiet. 2. 2. qu. 154. art. 1. refert, quod quidam post sex annos sic nitens ex consilio bonorum habuit filios. At si isti essent alias certi de impotentia, non possent ad illud niti. Nam si impotentia præcessit matrimonium, fuit nullum. Et si successit post validum matrimonium, talis copula suo fine frustraretur, & sic esset illicita. Poterunt tamen isti ultimi libidinosè se tangere, & osculari, sine periculo tamen pollutionis. 2

Dub. 16. *An maleficium dirimat matrimonium.* 3

1. Conclus. Diu. Thom. artic. 2. Impotentia coeundi orta ex maleficio, & ligamine dœmonis, si sit perpetua & antecedat matrimonium, dirimit illud: sicut dixi de frigiditate. Secus, si sit temporalis, ad quod experiendum, sicut dixi de frigiditate, conceditur tempus trium annorum in ca. laudabilem cit.

2. Conclusio. Si maleficium sanetur per remedia posita in capitul. fin. 30. quæstion. prim. utpotè per confessionem cum lachrymis, eleemosynis, orationibus, & exorcismis Ecclesiæ, signum est matrimonium valuisse; cum impedimentum sit ablatum per media ordinaria contra incursus dœmonum. At si maleficium sit ablatum per miraculum, aut arte dœmonis, signum est matrimonium non valuisse, & sic isti possunt cum aliis contrahere matrimonium, *ut ait D. Thom.*

3. Conclu. Licet petere à malefico dissolutionem maleficij si possit dissolui medio licito; nam iam petitur, quod licitè præstari potest. Secùs si non possit dissolui medio licito; nam esset cooperari peccato alterius, etsi sit paratus. Nam si paratus non sit, dupliciter peccas petendo maleficium, & quia maleficum scandalizas, & quia uteris illo medio illicito pro dissoluendo maleficio.

Dub. 17. *An amentia tollat matrimonium.*

1. Concl. D. Thomæ art. 3. negatiua de amentia sequente matrimonium. Ita cap. hi qui, 32. quæst. 7. cum matrimonium sit ex sua natura insolubile. Secùs de amentia tollente omnino usum rationis, & antecedente matrimonium. Ita ca. dilectus, de spon. cum tollat consensum pro matrimonio requisitum. 4

2. Conclusio. D. Thom. art. ibi. Si coniux cum lucidis internallis contrahat, quando habet vsum rationis, valet matrimonium; sed erit peccatum mortal. si ambo sic amentes matrimonium contrahant. Imò si sola fœmina sic amens sit, nec alias sit sterilis. Et interdicendi sunt ab vsu matrimonij ob periculum aborsus, & educationis prolis. Et ob hoc erit etiam peccatum mortal. coniungere carnaliter duos amentes.

Dub. 8. *An defectus ætatis impediat matrimonium.*

Conclus. Ex Diu. Thom artic. 5. Matrimonium puerorum ante 14 annum, & puellarum ante duodecimum, regulariter est nullum, ex defectu vsus rationis pro matrimonio requisiti. Et sic prædictum tempus insinuatur taxatum in capit. continebantur, & cap. attestationes, de despon. impuber. At si ante illud tempus in aliquo acceleretur vsus rationis, & vigor naturæ: *iuxta Soto, dist. 35. quæst. 1. articul. 5. Couarr. in 4. decret. par. 2. cap. 5. numer. 1. Siluest. verbo, matrimon. 5. & Ledesma, capitul. 23. de matrimon.* matrimonium ab istis celebratum; saltem sine licentia Papæ, adhuc est nullum. Sed iuxta Diu. Thom. & dicta iura, & capit. de illis, oppositum dices. Imò vt ait glossa, & iuxta cap. puberes, de despons. impuber. in matrimonio contrahendo non debet attendi tempus, sed an coniuges generare, & concipere possint. Et si qui ante annos dictos pubertatis habent sufficientem vsum rationis, & contrahunt, valet matrimonium sine Papæ dispensatione, *iuxta caput tua nobis, de despon. impub. & caput si infantes, eodem titu in 6.* Etiamsi pro tunc non habeant actualem potentiam coeundi, sed processu temporis habebunt. Nam potentia actualis coeundi non est essentia matrimonij. Vide Nauarr. lib. 4. cons. 4. & 5. de despon. impub.

ARTICVLVLVS OCTAVVS.

De vxoricidio.

D. Thomas quæst. 60.

SVMMARIVM.

An occisio propria vxoris dirimat matrimonium, num. 1.
Quomodo occisio mariti alterius ad illud inhabilitet. num. 2.
Quid si viuente vxore contrahat quis cum alia, vel ei promittat nuptias, num. 3.

DVB. 19. *An vxoricidium dirimat matrimonium.* 1
1. Conclusio. D. Thom. q. 60. art. 2. Occisio propriæ vxoris ob adulterium, aut odium, non dirimit, sed impedit matrimonium. *Ita Silu. verb. matrim. 7. Nau. in Man. c. 22. num. 46.* Sed iuxta Caiet. verbo, matrim. non erit peccatum mort. imò nec ven. iuxta alios, contrahere matrimonium cum isto impedimento. *Et nota ex D. Thom. art. 1* quod etsi per leges non puniatur vir occidens vxorem in adulterio captam ob maximum incitamentum tunc viri ad vxoris occisionem: certum tamen est peccare mort. nisi alias deposito odio, & determinata causa eam occidat ex commissione iudicis; nam tunc habet se vt minister iustitiæ; & tunc fit eam occidendo fit dominus dotis, & arrarum. *Ita Sot. dist. 37. q. 1. art. 3. & lege 82. Tauri, & Couar. in 4. decre. par. 2. c. 7. §. 7. n. 6. & 7.*
2. Conclusio. Vxoricidium dirimit matrimonium, si occidisti v. g. virum Mariæ, istius machinatione, vtpote vt tecum matrimonium contrahat, non valet matrimonium si fit: non si occidisti sine ista machinatione. *Ita cap. laudabilem, de conuers. infide.* Et idem si viua tua vxore cognouisti Mariam, & vt ambo matrimonio copulemini, tu aut illa, etiam per alium, eius virum occidisse notemini, non si casu, aut aliter. *Ita capit. super hoc. de eo qui duxit quam po. cum glosa, & clarius, capit si quis. 31. qu. 1. cum glosa.* Et licet dicta decreta solum loquantur de occisione mariti adulteræ; tamen idem dic de occisione vxoris adulteri. 2

Nam pœna extendenda est ad correlatiua. Ita *Enriq. tom.2. lib.12.c.2.n.1.cum Caiet. Palu. & Sot.* Sed Ledes. probabiliter illud limitat ad casum in iure expressum, quod maximè habet verum in odiosis, *iuxta dicta in nostra Epito. de statu reli. lib.2. c.2. dub.3. reg.3.*

3. Conclusio. Qui viua sua vxore etiam quoad thorum, ab ea separatus, contraxit matrimonium cum alia, & matrimonium est nullum, & manent isti inhabiles ad contrahendum inter se in posterum, si alias præcessit copula inter eos & mulier sciebat virum illum esse vxoratum. Ita *cap.1. & 2. cap. ex litterarum, cap. veniens, & cap. si quis, de eo qui duxit quam pollu.*

3 4. Conclus. Si viuente tuo coniuge promittis nuptias cui carnaliter adhæsisti post datam fidem. (aut etiam ante fidem datam contra Ledes. sed iuxta cap. si quis citat.) non valet matrimonium si fit. Ita *cap. significasti titulo citato & cap. relatum 31. quæst.1.* Et intelligitur conclusio. quod vterque istorum sciat interesse matrimonium. Nam si vnus eorum id ignoret, in eius arbitrio positum est contrahere matrimonium, aut non. Ita *cap. propositum, tit. citat. Nauarr. & Siluest. Secundo*, etsi Soto, *dist.37. quæst.1. articul. 5.* dicat sat esse si cum dicta copula detur fides & promissio iurata ex parte vnius eorum solum iuxta caput relatum citat. alijs tamen verius videtur, requiri promissionem, etiam sine iuramento ex parte vnius, & acceptationem saltem virtualem ex parte alterius, & insuper repromissionem ex parte istius. Ita *Enriq. cum Palud. Siluest. Rosc. August. & iuxta Diu. Thom. in addit. quæstion. 46. articul. 1.* Et colligitur ex cap. significasti cum glossa, dum dicitur, vel ea viuente sibi ad inuicem fidem dederint. Itaque promissio debet esse mutua, & sufficiens ad sponsalia de futuro, si non obstaret præsens matrimonium. Ex quo patet, non sat esse promissionem fictam, cum ista non sufficiat ad sponsalia. Ita *Enriq. num.3. litter. G. contra Specu.*

QVAE-

QVÆSTIO QVINTA.

De dissoluentibus matrimonium.

D. Thom. quæst. 67.

SVMMARIVM.

DVB. 1. *An inseparabilitas matrimonij sit de lege naturæ.* 1

1. Conclusio *Diui Thomæ quæst. 67. artic. 1.* affirmatiua; & oppositum sapit hæresim. Patet ex illo Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo, &c. & erunt duo in carne vna.* Et subdit Christus, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet*, idest, non est ab homine separabile. Et hæc testimonia referuntur à Sanctis, & Concilijs, ad probandum insolubilitatem matrimonij maximè consummati, etiam loquendo de eo quantum ad id, quod habet ex natura sua in statu innocentiæ, & antequam à Christo eleuaretur ad esse Sacramenti, licet ex hoc habeat maiorem insolubilitatem, ex eo quod iam in lege gratiæ significat coniunctionem Christi cum Ecclesia.

2. Conclusio. Separatio matrimonij non est intrinsecè mala, sed tamen à solo Deo fieri potest. Patet Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* 2. Insolubilitas conuenit matrimonio iure naturali, & diuino: ergo solus Deus, qui solus est supra ius diuinum, & naturale, potest in eo dispensare. *Si arguas*, quod Papa sæpè dispensauit in matrimonio non consummato, vt testatur vidisse *D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 21. §. 3. Et Nauar. in manu. cap. 22. num. 21.* ait ad sui petitionem esse factas plus quàm quatuor dispensationes,

Ad hoc dico, Papam id facere in sententia probabili ex auctoritate diuina in matrimonio non consummato, in quo, *vt ait D.Thom. q.65. art.2. ad* 1. non est tanta insolubilitas, nec coniuges sunt ita perfectè vna caro repræsentantes coniunctionem Christi cum Ecclesia, sicut in matrimonio consummato; sicut ex auctoritate diuina dispensat in votis, quorum tamen obligatio est de iure diuino, & naturali.

2 Dub. 2. *An infidelitas dissoluat matrimonium*. Et non est sermo de matrimonio catholici cum hæretica baptizata. Hoc enim valet, *ait D.Thom. q.59. art.1. ad 5. ex c. quanto, de diuor.* etsi sit peccatum mortale sic contrahere, cùm vetetur *in Concil. Calced. cap.* 13. nisi fortè promittat se venire ad veram fidem. Ita etiam *in cap. caue, & cap. non oportet, 28. quæst.* 1. Sermo est de matrimonio inter dispares in Religione.

1. Conclusio. *D. Thoma art.* 1. Disparitas Religionis dirimit matrimonium cum ea contractum. Ita est vsus, & creditur esse Apostolicam traditionem, cum non constet eius initium ex aliqua lege Ecclesiæ. Et ratio *D.Thom.* id suadet. Nam proles non posset educari in cultu Dei, quod est principalius bonum matrimonij, si parentes sint diuersæ fidei, vnus Christianus, & alter mahometanus.

2. Conclusio *D.Tho. art.3*. Non soluitur matrimonium paganorum per hoc solùm, quod alter coniux ad fidem conuertatur. Ita *cap. gaudemus, de diuort.* Et sic potest coniux conuersus habitare cum non conuerso, si sic speretur eius conuersio. Et hoc consulit Paul. 1. Cor. 7. dum ait: *Si quis uxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo*, vtpotè, sine iniuria creatoris, *non dimittat illam*. Et subdit: *Vnde scis vir si mulierem saluam facies?* At si non sit talis conuersionis spes, non potest cum ea manere ob periculum fidei. In quo sensu dicitur 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Et quia iam post tempora Apostolorum regulariter imminet tale periculum, & nulla regulariter speratur vtilitas, præcipitur *in Concil. Tolet. 4. cap.* 61. quod conuersus statim separetur à coniuge non conuerso. Et obligat ista lex, nisi in breui speretur alterius conuersio, aut nisi conuersus sine periculo mortis non possit separari. Ita *Ledesm. cap. 24. de matrim.*

3. Conclusio. *D.Thom. art.5*. Si coniux non conuersus nolit habitare cum conuerso, nisi cum iniuria creatoris, vtpotè, illum blasphemando, & eius laudes audire renuendo, scandalizando, & seducendo coniugem conuersum, dissoluitur

matri-

matrimonium, etiam consummatum, ex priuilegio Christi in fauorem fidei. Ita colligitur *D. Th. art. 4. ex illo 1. Cor. 7.* vbi ait Pau. *Ego dico non Dominus, si quis vxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo non dimittat illum.* Vbi insinuat Apostolus hoc esse consilium suum non præceptum Domini: & quod si non consentit habitare cum illo sine iniuria creatoris, est dimittenda, & fidelis potest aliam ducere in vxorem. Et idem est, si coniux infidelis discedit nolens habitare cum coniuge conuerso: vt patet ex illo 1. Cor. *7. quod si infidelis discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater*: id est manet liber à iugo & seruitute matrimonij vt communiter explicatur.

4. Conclusio. Prædictum matrimonium secundum aliquos dissoluitur statim ac infidelis discedit, aut non vult cohabitare cum alio sine iniuria creatoris. At iuxta *D. Thom. art. 5. ad 1. & 2. D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 6 Siluest. verbo, matrimonium. 8. & communiter.* non dissoluitur quousque fiat aliud matrimonium. Cuius signum est, quod si infidelis resipiscat, & conuertatur, fidelis conuersus nondum vxoratus tenetur ad eum redire, & potest id facere sine nouo consensu. *Ita cap. gaudemus, de diuor.*

Dub. 3. *An matrimonium dissoluatur per votum solemne Religionis.* 3

1. Conclusio. D. Thom. quæst. 61. artic. 1. negatiua de matrimonio consummato. Patet ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Et oppositum cederet in maximam iniuriam prolis & vxoris. Et dicitur matrimonium consummari, aut per penetrationem vasis fœminei etiam sine seminatione, contra Soto & Siluest. aut per solam seminationem in vase fœminæ absque vasis penetratione. *Et nota*, quod etsi matrimonium vi, aut metu consummatum (vtpotè intra duos menses induciarum à iure concessos coniugibus pro deliberando circa ingressum Religionis) sit omnino insolubile; tamen oppressus oppressore inuito, vt recuperet ius quod habebat intrandi Religionem, potest tunc religionem intrare, contra Soto, d. 27. q. 1. art. 4. asserentem oppositum, vt sic vitetur iniuria prolis fortè conceptæ. Nec hoc est mirum; nam etiam quoties coniuges per diuortium separantur, potest innocens altero inuito, intrare religionem matrimonio consummato manente insoluto: & isto etiam insoluto, possunt coniuges pacisci de intrando simul religionem. *Ita cap. sunt qui dicunt, 27. q. 2.*

& si tunc coeant, non peccant contra castitatem, sed contra votum: cum ille non sit accessus ad non suam. Per professionem enim, sicut nec per susceptionem sacri Ordinis, non desinit esse sua. *Ita Led. c. 5. de voto, & Caie. 2. 2. q. 88. art. 5.* Imò altero coniuge in sæculo manente, si sit senex, & sine periculo incontinentiæ, & cum voto castitatis, potest alter de illius licentia religionem intrare, & in religionem sacris initiari ordinibus. *Ita Ledes. cap. 28. de matrimonio. ex c. cum sis, & cap. ad Apostolicam, & cap. significauit, de conuers. coniu. Si arguas.* Matrimonium consummatum, cum sit insolubile repugnat statui religionis: ergo non possunt stare simul *Ad hoc dico*, quod matrimonium quoad vinculum non repugnat totali traditioni religionis: benè tamen matrimonium cum obligatione cohabitandi, & reddendi debitum.

2. Conclusio. D. Thom. artic. 1. Matrimonium non consummatum dissoluitur per professionem solemnem in religione approbata. *Ita cap. verum de conuer. coniug. & in Conc. Tr. sess. 24. cap. 6.* Et patet ex vsu Ecclesiæ à tempore Christi: Ioannes enim Euangelista de nuptijs, quibus Christus affuit, fuit ab eo vocatus ad Apostolatum; & votum solemne religionis, vt D. Tho. refert ex D. Hier. & B. Tecla fuit per Paulum à coniugio separata: iuxta Epiph. hære. 78. Ex quo patet, votum hoc non dissoluere matrimonium istud, alias iure diuino, & naturali insolubile, vt dixi dub. 1. ex lege Ecclesiæ, cum à tempore Apostolorum habeat istam vim; & alias quos Deus coniunxit homo non separet, Matt. 19. Sed dissoluitur auctoritate Christi, qui cum sit auctor naturæ & gratiæ, potuit dispensare, etiam per modum legis in insolubilitate matrimonij ob bonum altius religionis. Ex quo patet, quod alter coniux manens in sæculo post alterius professionem, & non ante, potest cum altero matrimonium contrahere. *Ita D. Th. art. 3. ad 2.*

4 Dub. 4. *An dissoluatur matrimonium per fornicationem vnius coniugum.*

1. Concl. D Th. qu. 62. art. 5. negatiua, diffinita in Con. Trid. sess. 24. can. 7. Et illud. Matth. 19. *qui dimiserit vxorem & aliam duxerit, excepta fornicationis causa, mœchatur*, intelligitur, ait D. Th. ad 4. ita vt illa exceptio in verbis Domini referatur ad dimissionem vxoris.

2. Conc. D. Th. art. 1. & 4. Vir potest dimittere vxorem & vxor virum ob fornicationem. Patet 1. ex illo Matth. 19.

Omnis

Omnis quid dimiserit vxorem, excepta fornicationis causa 2. Vbi sunt duo mutua fide obligati inter se, ratio naturalis dictat, vt non seruetur fides frangenti fidem. Et sic, vt ait D. Th. artic. 3. si vnus coniux scit etiam in secreto alterum adulteratum esse, potest, etiamsi excommunicatione compellatur, ei debitum denegare, etsi non possint sine iudicio Ecclesiæ ab inuicem separari quoad cohabitationem, vt habetur in cap. porro, de diuor. nisi aliàs adulterium, aut alia causa sufficiens pro diuortio, sit notissima.

3. Concl. D. Thom. art. 1. Non licet viro vxorem adulteram dimittere in septem casibus. 1. Si ipse ante diuortium, etiam inscia vxore, similiter fornicatus est, etiam post vxorem. *Ita cap. significasti, & cap. ex litteris, de diuortijs, & D. Thom. art. 6. ad* 5. 2. Si vir vxorem prostituit. 3 Si vxor probabiliter credens virum suum obijsse, alteri nupsit. 4. Si latenter est ab alio cognita sub specie viri. 5. Si fuit vi oppressa. 6. Si vir illam reconciliauit, eam carnaliter cognoscendo. 7. Si in matrimonio contracto in infidelitate vtriusque vir dedit vxori libellum repudij, & mulier alteri nupsit, tunc si vterque conuertitur ad fidem, tenetur vir vxorem recipere. *Ita cap. gaudemus, de diuor.* Et dictorum casuum assignantur textus à Silu. ver. diuortium. Et in omnibus illis, ait D. Thom. vel vxor est sine culpa, vel ambo coniuges sunt æqualiter in culpa.

4. Concl. Præter fornicationem sunt aliæ causæ pro diuortio. 1. Sodomia. Ita D. Th. ad 4. Secundò, sæuitia mariti, cap. litteras, de resti. spo. 3. Si vnus coniux tentauit alterum occidere veneno 4. Furia alterius coniugis. 5. Hæresis, c. fin. de conuer. coniu. 6. Vxor potest recedere à viro eam inducente ad quoduis peccatum mortal. & à viro fure nolēte desistere Ita Nau. cap. 22. n. 22. Et quoties vxor licite à viro recedit, reddetur ei post diuortium tota dos, & medietas bonorum communium. *Ita cap* 1 *& 2. de dona inter vir. & vxor.* 5

Dub. 5. *An maritus teneatur dimittere vxorem fornicantem.*

1. Conc. D. Th. art. 2. Vir tenetur dimittere vxorem fornicantem aliàs non pœnitentem, ne peccato eius consentire videatur. *Ita c. si vir. de adulterijs.* Aliàs si esset tale commercium viro, & adultero, cum adultera, vt sit incertitudo prolis, fit iniuria matrimonio, quam vir condonare non potest 2. Si illam non dimittat, sequitur scandalum regulariter, & dimis- 6

sio

sio eius sæpe proderit vt corrigatur, ad quod tenetur vir, cum sit caput. Et intelligitur concl. regulariter. Nam si ex dimissione vxoris subtrahantur viro pauperi & infirmo necessaria subsidia, aut subeat periculum incontinentiæ, & alias non sequitur incertitudo prolis, aut scandalum, etsi viro sequatur infamia, non diminuitatur cum tanto damno.

2. Concl. Vir post diuortium rite celebratum non tenetur recipere vxorem etiam correctam & suppliciter veniam petentem. *Ita cap. admonere 33. q. 2. & cap. gaudemus, de conuers. coniug.* cum iam vxor amiserit ius, etiamsi vir post diuortium fornicatus esset, vt ait D. Thom. *art. 6. ad 4. contra Nau. l. 4. cons. 1. de diuort.* Potest tamen vir, ait D. Thom. vxorem recipere. Imò si diuortium sit factum in fauorem viri v. g. & vir vxorem reuocet, tenetur ipsa cum eo redire, ait D. Th. ad 3. nisi religionem intrasset, aut de licentia viri castitatem vouisset. Imò etsi eam vouisset sine expressa licentia viri, *ait Led. c. 29. de matri.* Nam eo ipso quòd vir fecit diuortium, videtur dedisse licentiam ad illud votum.

QVÆSTIO SEXTA.

De annexis matrimonio, & redditione debiti.

D. Thom. q. 64.

SVMARIVM.

Quando coniuges teneantur reddere debitum vel ab eo excusentur, num. 1.

An coniuges possint vouere castitatem, num. 2.

An liceat petere debitum in diebus & locis sacris, num. 3.

An sit licita pluralitas vxorum, num. 4.

1 DVB. 1. *An coniuges teneantur ad inuicem reddere debitum.*

1. Conclusio. D. Thom. quæst. 64. art. 1. & 2. Per se loquendo vnus coniux tenetur reddere debitum alteri, etiam interpretatiue petenti. Nam ista debiti redditio est necessaria ad prolis procreationem, ad quod per matrimonium iunguntur.

2. Concl. Aliquando excusantur coniuges à reddendo debitum.

bitum. 1. Ob periculum salutis. Ita *D. Thom. ad* 2. Et intelligitur de infirmitate superueniente matrimonio, aut de antecedente, sed ignorata ab alio coniuge. Nam si vir habet morbum Gallicum, aut aliam infirmitatem contagiosam, & id sciens vxor voluit cum eo nubere, tenetur reddere debitum etiam cum periculo infectionis. Nam à principio cum eo nubendo cessit iuri suo. Nec obstat, quod ex tali coitu generatur infirma proles, quia si coniugis infirmitas est perpetua, non sunt coniuges perpetuò priuandi iure petendi, & reddendi debitum ob prolis infirmitatem. Imò si infirmitas aliàs leuis sit temporalis, vt si vxor sit cum menstruos, tenetur ex iustitia sub mortali reddere debitum petitum, *contra Sot. d.* 32. *& Nauar. in manu c.* 16. *num* 32. asserentes esse tunc peccatum mortale petere, & reddere debitum; & *contra Siluest. verb. debitum coniug.* tenentem esse peccatum mortale, petere tunc debitum. Sed *iuxta Caiet. verb. matrimonium. Sot. in* 4. *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *Victor. in summa, dub.* 276. solùm peccat venialiter, qui tunc petit debitum. 2. Excusaris à reddendo debitum, si imminet proli conceptæ periculum aborsus, aut salutis, vt si fœmina sit grauida, siue filium lactet, & si imprægnetur, extinguitur lac, nec habet quo tradat puerum nutrici. 3. Excusantur si habent multos filios, nec eos alere possunt, & tunc potest vir iussu Regis ad bellum pergere. 4. Excusantur ob vitandum damnum notabile in temporalibus, siue ob acquirendum insigne commodum in bonis fortunæ. Sed in his attendatur breuitas temporis, in quo debitum negatur, & periculum incontinentiæ imminens coniugi petenti. 5. Non erit peccatum mortale negare debitum coniugi remissè petenti, aut tacente, rogato, aut si coniux nimis frequenter petit, secluso periculo pollutionis. 6. Non teneris reddere debitum intra duos menses induciarum, nec ante benedictiones nuptiales.

Dub. 2. *An coniuges possint vouere castitatem.*

1. Conclusio *D. Thom. art.* 4. Si vnus coniux vouet castitatem tenentur reddere debitum petitum, etiam interpretatiuè; sed non potest petere. Ita *cap. quidam, & cap. placet, de conuer. coniug.* Nam votum debet fieri de his, quæ sunt in potestate vouentis: Sed non reddere debitum non est in potestate coniugum, benè tamen petere: ergo.

2. Conclusio. Si ambo coniuges conueniant in vouendo castitatem, probabile est, quod si vnus petat debitum, alter non possit reddere: cum vterque tunc renunciaret iuri petendi.

tendi. Sed etiam est probabile, quod si vnus petat tunc, etiam interpretatiuè, alter teneatur ei debitum reddere; cùm per votum etiam amborum sic inconuenientia factum, neuter amiserit ius ex iustitia, etsi peccet contra votum petitor. Et idem est si vnus coniux de alterius licentia emisit votum de non reddendo debitum. Vide dicta à nobis *dub.* 10. *de voto*.

3. Conclusio. In nulla opinione dictarum est probabilis sententia *Manuelis Rodrig. in summa* 2. *par. cap.* 9.1. *ex mente Panor. Innoc. & Hostien.* asserentis quod filij à prædictis geniti sunt spurij. Ita *Ledesma cap. vltimo, de matrimonio*. Et alij ab eo, & à Manuele Rodrig. citati loquuntur, quando ambo coniuges, aut alter eorum iuxta dicta *q.* 5. *dub.* 3. vouent solemniter castitatem in religione, vt habetur *cap.* 1. *de filijs Presbyt.* Et idem est de mente istorum Doctorum, *contra Palud dist.* 41. *q.* 3. *art.* 1. de filijs vxorati genitis, quando de licentia vxoris est iam maioribus ordinibus initiatus, *iuxta cap. litteras, de filijs presbyteror.*

3 Dub. 3. *An liceat petere debitum in diebus, & locis sacris.*

1. Conclusio. Indecens est, etsi non sit peccatum, petere debitum in diebus sacris, & maximè in die communionis, cùm sic inepti reddamini ad spiritualia, quibus tunc vacandum est. Et quando *D. Thom. quæst.* 64. *art.* 5. ait, non licere tunc petere debitum, loquitur quando ex tali copula redditur homo valdè ineptus, & distractus ad festa celebranda, & Missam audiendam, vt ibi patet.

2. Conclusio. Peccat mortaliter petens debitum in loco sacro sine magna necessitate, cum per coitum aliàs publicum violetur Ecclesia, & fiat ei iniuria. Secus si coniuges sint in Ecclesia, sicut in domo ob necessitatem aliquot diebus, nec extra Ecclesiam coire possint, tunc non erit peccatum petere, aut reddere debitum, nec violatur Ecclesia. Vide supra *quæst.* 3. *de Sacrificio Missæ dub* 2.

4 Dub 4. *An sit licita pluralitas vxorum.*

1. Conclusio. *D Thoma quæst.* 65. *art.* 1. & 2. Non est intrinsecè malum habere plures vxores, cum ex Dei dispensatione Abraham, Iacob, Dauid, & alij Sancti habuerint plures vxores. Cùm enim Deus sit Auctor naturæ, & gratiæ, potest dispensare in præceptis naturalibus, & diuinis, aliàs non vetantibus intrinsecè mala.

2. Conclusio. *D. Thoma art.* 1. Nunquam licuit accedere ad concubinam non matrimonio iunctam. Nam ille accessus

esset

esset fornicatio, & sic intrinsecè malus. Vnde concubinæ Abrahæ, & Iacob erant veræ vxores matrimonio iunctæ, *iuxta D. Thom. ad 2.* etsi non tanta solemnitate, quanta aliæ, quæ dicebantur simpliciter vxores, ratione cuius illæ appellabantur concubinæ.

TRACTATVS DE CENSVRIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Censuris in communi.

SVMMARIVM.

Quid sit censura, & an Ecclesia possit eam ferre, num. 1.
Quot sint censuræ, & quomodo differant, num. 2.
Quis possit ferre censuras, num. 3.
An peccata interna possint puniri censuris, num. 4.
An peccata venialia, num. 5.

DVB. 1. *An Ecclesia possit ferre censuras.*

Conclusio affirmatiua *in Concilio Constant. sess. 8.* ex 1
illo Matth. 16. *Quodcumque ligaueris, &c.* Vbi iuxta communem Ecclesiæ sensum explicatur etiam potestas Prælatorum ad ligandum subditos spiritualiter, censuris. 2. Quæuis Respublica perfecta, qualis est Ecclesia, potest punire suos subditos delinquentes priuando eos suis bonis, vt sic Respublica conseruetur. Ex quo colligitur diffinitio censuræ in communi sic: *Censura est pœna Ecclesiastica, qua iudex Ecclesiasticus punit baptizatos priuando eos bonis supernaturalibus, vtpote Sacramentis, indulgentijs, suffragijs, & alijs etiam temporalibus ad finem supernaturalem ordinatis, vt sepultura, & ingressu Ecclesiæ.*

Dub. 2. *Quot sint censuræ, & quomodo differant.* 2

1. Conclusio. Tres sunt species censuræ iuxta Canonistas, vtpotè, excommunicatio, suspensio, interdictum, ad quod reducitur cessatio à diuinis. Nam interrogatus Papa quid intelligat per censuram, solùm numerat *in cap. quærenti, de verb. signific.* dictas tres censuras. Sed *Soto, d. 22. q. 3. art. 1.* & com-
muniter

muniter Theologi inter censuras numerant irregularitatem, non in tota sua latitudine, sed cum habet rationem pœnæ.

2. Conclusio. Istæ censuræ differunt essentialiter. Nam etsi per omnes censuras arceamur ab ordinibus, sed diuersimodè. Nam per irregularitatem arcemur immediatè, & directè ab ordinibus, vt ordines sunt, sed non vt Sacramenta sunt. Et sic licet peccet mortaliter irregularis celebrando, non tamen incurrit aliam irregularitatem, *vt ait Nauar. cap 27. num. 194.* At per excommunicationem arcemur immediatè, & directè ab ordinibus, vt sunt Sacramenta, sicut & ab aliorum Sacramentorum administratione, & receptione. Et per suspensionem arcemur directè ab Ordinibus, *vt sunt officia ecclesiastica*, & mediatè in quantum Ordines sunt.

3 Dub. 3. *Quis possit ferre censuras.*

1. Conclusio. Mulier iure diuino est incapax ferendi censuras; cùm sit incapax iurisdictionis spiritualis, etiam ex commissione. *Ita communiter cum D. Thom. in addit. quæst. 19. art. 3. ad 4.*

2. Conclusio. Vir carens prima tonsura ex solo iure ecclesiastico est incapax ferendi censuras. Ita *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* Et idem est de vxorato, etiam minoribus ordinibus initiato. Ita *cap. 2. de cleri. coniug. & Ledesm. cap. 4. de censuris in commum*. Et sic istis à solo Papa potest committi facultas ferendi censuras.

3. Conclusio. Soli habentes iurisdictionem ordinariam Ecclesiasticam in foro externo possunt ex officio, & propria auctoritate ferre censuras, siue istam iurisdictionem habeant à iure, siue ex priuilegio, siue ex consuetudine, siue à Papa immediatè. Cuiusmodi sunt Episcopi, & istorum Vicarij generales, *vt ait Ludou. Lop. 1. par. cap. 204.* & alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Prælati regulares, etiam religionum militarium, etsi non sint Sacerdotes. Et prædicti possunt delegare suam auctoritatem ad ferendum censuras subiectis aliàs de iure capacibus, vtpotè initiatis prima tonsura aliàs non vxoratis.

4 Dub. 4. *An peccata interna possint censuris puniri.*

1. Conclusio. Peccata externa, etiam secreta, possunt puniri censuris latis per modum legis. Percussor enim clerici occultus; & hæreticus, qui verbo, scripto, aut alio signo sufficienti, etiam occultissimo protulit suam hæresim, sunt excommunicati. Dixi, censuris latis per modum legis. Nam

pecca-

peccator, etiam externus, sed occultus, & sine testibus, non potest in particulari, & nominatim puniri censuris latis ab homine. Quia Ecclesia non iudicat de occultis, vt dicitur *cap. erubescant, dist. 32. & cap. tua nos, de simonia*. 2. Quia reus sic occultus non potest censuris obligari, vt reuelet crimen suum: esset enim hoc contra ius naturale.

2. Conclusio. Ecclesia non potest punire peccata purè interna. Ita *communiter Theologi, de quo Ledesma, cap. 3. de censuris, dub. 2.* Nam ista non cadunt sub hominis cognitione, vt sic puniantur. Nec obstat quod *in cap. ad abolendam, de haer.* excommunicatur qui aliter quam Ecclesia, sentit de Sacramentis, tamen sentire est actus purè internus. Et *in Concilio Toletano 1. capit. 21.* excommunicantur credentes mundum non esse à Deo. Et Ecclesia excommunicat simoniacos mentales. Et *in Clement. 2. de statu monac.* excommunicantur euntes Romam, animo nocendi suis Praelatis, & *cap. 1. de haer.* excommunicantur Inquisitores odio, amore, aut alia affectione vexantes non haereticos, aut non procedentes contra haereticos. Nam istae, & similes censurae non incurruntur solo opere interno, nisi opere externo, etiam occultissimo manifestetur, vt dixi de haeresi. Nec etiam obstat, quod Praelati possunt reseruare peccata purè interna; nam reseruare peccata, pertinet ad forum internum, & ferre censuras pertinet ad forum externum Ecclesiae.

Dub. 5. *An peccata venialia possint censuris puniri.* 5

1. Conclusio negatiua. Nam censurae sunt poenae grauissimae: ergo ob culpam grauissimam, qualis est peccatum mortale sunt infligendae, vt poena culpae correspondeat.

2. Conclusio. Quoties ob ignorantiam, aut aliter excusamur à culpa mortali, aut à circumstantia cui est imposita aliqua censura, excusamur etiam à tali censura. Patet ex prima conclusione. Nam vbi non est culpa, non iustè infligitur poena. Vt si occidisti hominem ignorando inuincibiliter esse clericum, non manes excommunicatus. Ita *cap. si verò, de sent. excommunicat.*

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Excommunicatione.

D. Thomas in Supplemento quæst. 21. &c.

SVMMARIVM.

Quibus priuet excommunicatio minor, num. 1.
Quando incurritur excommunicatio maior propter communicationem cum excommunicato, num. 2.
Quis absoluat ab excommunicatione minori, num. 3.
Quid sit excommunicatio maior, & quotuplex, num. 4.
Qui sint eius effectus, num 5.
An excommunicatus validè recipiat Sacramentum pœnitentiæ, num. 6.
Quando liceat communicare cum excommunicato, num. 7.
An pro solo peccato mortali inobedientiæ possit ferri excommunicatio, num. 8.
An ignorantia iuris, vel facti excuset ab excommunicatione, num. 9.
An excommunicatio iniusta liget, num. 10.
Quis possit ferre excommunicationem, num. 11.
Quis possit ab ea absoluere, num. 12.

1 EXcommunicatio, alia est minor; & hæc priuat sub peccato veniali administratione Sacramentorum. Ita *communiter contra Siluest. verb. Excommunicatio. 4.* & sub mortali priuat sumptione Sacramentorum. Ita *communiter cum D. Thom. in addit. q. 21. art. 1.* Et colligitur *ex c. si celebrat. de cleri. excommun. minist.* Qui si celebret, vt ibi dicitur, etsi non sit irregularis, peccat tamen grauiter. Et nomine peccati grauis intelligitur peccatum mortale. Item ista excommunicatio priuat electione passiua, seu collatione, aut præsentatione ad dignitatem, seu beneficium Ecclesiasticum; ita quod ille sic excommunicatus scienter acceptans electionem, & scienter illum eligentes peccant mortaliter. Ita communiter. De quo *Med. in sum. § 3.* Et licèt talis electio non sit ipso facto irrita, quidquid dicant Canonistæ, est tamen irritanda. Ita *cap. si celebrat. cit.*

Et nota 1. Quod excommunicatio minor incurritur ob

quamuis

quamuis communicationem vetitam cum excommunicato non tolerato. Et in solis casibus sequentibus incurritur excommunicatio maior, communicando cum isto. 1. Si præsumis scienter sepelire publicè excommunicatū. *Ita Clem, 1. de sepul. & cap. quicumque de haret in 6.* Et licet Caie. hoc intelligat de quouis excommunicato: tamen iam post Concil. Constant. intelligitur de solo excommunicato non tolerato, & de solo sciente, & præsumptuosè sepeliente, non de iubente, consulente, aut fauente, nec de ignoranter etiam vincibiliter id faciente: cum lex illa, vtpotè pœnalis non sit extendēda, sed potius restringenda. *Ita Ledesm. ca. 7. de exco.* 2. Clericus scienter & spontè participans recipiendo in diuinis officij à Papa excommunicatos, scilicet nominatim, *vt ait Caiet. verb. excõmunicatio* 38. incurrit excommunicationē Papæ reseruatam. *Ita cap significatit, de sent. excom.* 2. Si participes in crimine excommunicationis cum iam excommunicato, scilicet nominatim, vt ex iure colligitur, vt si Maria sit excommunicata ob concubinatum cum Petro, Petrus cum ea fornicando eadē excommunicatione innodatur. *Ita cap. nuper, & c. si concubina, de sent. excom. Et D. Th. cum Porreta, in addi. q. 23. art. 2. 2.* Et idem est de fauentibus, auxiliantibus, aut consulentibus pro tali crimine, vt ibi habetur. 4. Si excommunicatur, v. g. Petrus ob aliquod crimen. cum participantibus cum eo, incurritur excommunicatio maior participando cum eo in illo crimine, aut dando ei consilium, auxilium aut fauorem in eodem crimine. Secus si participes cum eo in alio crimine, loquela, mensa, & c. *Ita D. Thom. & iura cit. cum glossis, & iusta ca. statuimus, de sen. excom. in 6.*

Nota 2. Solum Sacerdotem expositum pro confessionibus posse absoluere ab excommunicatione minori. *Ita Gaiet. ver. excom. minor. Soto, d. 22. q. 2. ar. 6. Silu. ver. absolutio 1. & Armi. ibi.* Sed sententia Nauarri in man. c. 27. num. 25. quod omnis Sacerdos potest absoluere ab ista excommunicatione, est satis probabilis. Et videtur colligi ex D. Thom. in addi. qu. 24. art. 1. vbi ait: Qui potest absoluere à peccato participationi, potest absoluere à minori excommunicatione. Sed peccatū participationis solet esse veniale, à quo quiuis Sacerdos absoluit: ergo. Et sic qui iuxta istam sententiam absoluit: non incurrit excommunicationem Clementinæ Religiosi, de priuilegij, contra Religio- 3

 sos

sos non expositos ad confessiones, absoluentes ab excommunicatione. *Ita Silu ver. excõm 7. Tabie. ver. excõm. 5. & Man. Rod. in q. regul. to. 1. q. 61. ar. 11. cõtra Gemini. c. vnico; de his qui vi, &c.* Maximè quia nomine excommunicationis absolutè intelligitur excommunicatio maior, iuxta cap. si quem, de sent. excom. Hæc de excom. minori.

4 Alia est excommunicatio maior. Et hæc est censura Ecclesiastica separans ab externa communicatione fidelium tam in ciuilibus, quam in diuinis, & communibus Ecclesiæ suffragijs. Non tamen priuat priuatis fidelium satisfactionibus, & orationibus. *Et nota* 1. quod excommunicatus maiori excõmunicatione, alius dicitur toleratus, alius non toleratus. Nam in extrauag. insuper ad euitãdam *Marti. V.* in Conc. Constan. relata à Caieta. verb. *excomm. minor.* ob frequentiam excommunicatorum, & difficultatem vitandi eos, statuitur quod solum teneamur vitare in diuinis, aut alijs, notorios clericorum percussores, ita vt hoc factum nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo suffragio excusari, & nominatim, & publicè excommunicatos seu denuntiatos nomine proprio, aut sui officij. Et non sat est si in secreto sint nominatim excommunicati. Et isti appellantur excommunicati non tolerati: cæteri verò præter dictos, appellantur tolerati. At quia ista constitutio facta est non in fauorem excommunicatorum toleratorum, sed fidelium, vt declaratur in Concil. Basi. ses. 20. non possunt excommunicati isti tolerati vltrò se ingerere cõmunioni fidelium, sed à fidelibus inuitati. Et istis etiam extra necessitatem licet cum excommunicatis toleratis communicare in ciuilibus, & diuinis. *Ita Soto contra Ledesm. c. 6 de paniter.* Cum in Concil. Constantin. absoluè concedatur fidelibus communicare cũ excommunicatis toleratis. Et isti tũc licitè ministrant Sacramenta fidelibus petentibus; *vt ait Soto, d. 1. q. 5. ar. 6 & d. 22. q. 1. ar. 4. & alij contra Adrian. in 4. quæst. 6. de Baptismo.* Aliàs Concilium Constan. nil concederet fidelibus. Si quidem petendo quod excommunicatus iste sine peccato non potest præstare, inducerent eum ad peccatum, & sic peccarent

5 *Nota* 2. quod excommunicatio maior habet plures effectus 1. Priuat suffragijs communibus Ecclesiæ, *in c. vlt. 3. quæst. 4.*

2 Excommunicatus ministrando in Ordine maiori sus-

cepto

cepto, seu de nouo illum recipiendo, fit irregularis *in c. cū illorū de sēt. excom. & c. 1. 2. & 3. de eo qui Ordi. furti.* Nō si ministret, aut recipiat Ordines minores. *Ita Soto. d. 5. q. 1. ar. 3. contra Nau. c 25. nu. 77.* Et ministratio hic vetita, est consecrare, baptizare solemniter, & dicere solemniter ex officio Epistolam, aut Euangelium, dicere collectas in choro ex officio vt hebdomadarius, benedicere solemniter aquam, &c. Non tamen baptizare sine solemnitate, aut canere litanias, responsoria, aut alia in choro.

3. Excommunicatus priuatur audire officia diuina, cōmunicare in oratione aut processione, etiam extra Ecclesiam. *Ita cap. alma, mater. de senten. excom.* Et intelligitur de orationibus cōmunibus. Nam benè potest excommunicatus etiam in Ecclesia priuatim orare cum alijs priuatim orantibus. *Ita Soto d. 22 q. 1. art. 4.* Item intelligitur de existentia excommunicati, vt audiat sacrum, non si ibi sit exercendo suam artem, aut sedens, aut dormiens in angulo Ecclesiæ. *Ita Soto.* Ex dictis patet, quod si dum Missa celebratur intret excommunicatus non toleratus; & nolit exire, astantes Missæ tenentur sub mort. exire, ne cum eo communicent, vt communiter dicitur contra Duran. Et Sacerdos cessare tenetur, si non incœpit canonem. *De quo Soto, & Nauar. c. 27. n. 34.*

4. Excommunicatus nec potest eligere, nec eligi ad dignitatem ecclesiasticam. *Ita c. cum dilectus, de consue.* Et Med. in sum. id intelligit de electione actiua excommunicati non tolerati. Sed Couar. de omni excommunicato etiam occulto saltem post declarationem, non sustinebitur, ait, eius electio in foro externo, benè tamen in foro conscientiæ, *iuxta Ludouic. Lopez. ca. 17. de excommunica.* *Et nota*, quod etsi electus ante excommunicationem peccet acceptando electionem in excommunicatione, valet tamē acceptatio. Nam iura solum irritant electionem, & collationem factam excommunicato, sed non acceptationem, quæ nulli ius nouum confert. *Ita Nauar; cap. si quando; de rescript. Couar. 3. variar. 16. num 4. Ledes. c. 6 de pœnit. dub. vlt. & cōmuniter. Thomistæ contra aliquos Theologos.*

5. Excommunicato non potest conferri beneficium, aut pensio quæ sit beneficium, vtpotè concessa ob spirituale ministerium, & collatio si fit, est nulla. *Ita c. postulasti, de cler. excommun. minist.* Et hoc etiamsi excommunicatio

inculpabiliter ignoretur ab electo, aut eligente.

6 Excommunicatus non potest conferre beneficium ecclesiasticum. *Ita cap. tanta, de exce. Prala.* Ex quo colligit Silu. *ver. Clericus* 4. *& iuxta c.1. de offi. Vicarij in* 6. Quod cum iste sit priuatus executione suæ iurisdictionis, non potest ligare, aut soluere etiam a censuris per se aut per alterum, delegando tūc alteri iurisdictionem ad hoc. Secus de iurisdictione data ante excommunicationem, quæ tunc non spirat. *Ita Enriq. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 6. Et patet ex vsu. Et prædicta taliter sunt vera de excommunicato non tolerato, vt opposita sententia *Palud. d.* 23. *quæst.* 2. *artic.* 2. *& Silu. verb. vnctio*, sit improbabilis, *vt ait Ledesm. cap.* 6. *de pœnitent. dub.* 6. Nisi aliàs excommunicatus iste non toleratus sit occultus. Nam tunc dicitur 2.2.q.67. articul. 1. sententia ab isto lata, & collatio per eum facta valet ex dispositione Ecclesiæ, ita pro bono communis ordinantis. Dixi de excommunicato non tolerato: Nam si sit toleratus etiam publicè excommunicatus, omnia quæ operatur ex iurisdictione ecclesiastica, aut seculari, vt collatio, & electio ad beneficium, valida sunt, cum isti excommunicati ob bonum fidelium in nullo sint ab istis vitandi, iuxta dicta supra.

7. Si excommunicatus impetrat aliquam gratiam à Papa, impetratio est nulla. *Ita cap.* 1. *de rescript in* 6.

8. Excommunicatus durante excommuniiatione suspensus est ab officio, & beneficio, *in c. postulastis. de appellatione*. Et sic si sua culpa non absoluitur, restituet omnes fructus beneficij: At si non stet per eum quin absoluatur, potest sibi de fructibus, necessaria ad victum referuare *Ita Siluest. verb. clericus* 4. *& Nauar. capit.* 25. *num.* 124. *contra Led. ca* 6. *de pœnitent dub.* 8.

9. Excommunicatus peccat mort. ministrando, & recipiendo Sacramenta. *Ita capit. vltimo* 3. *quæst.* 1. Et intelligitur extra extremam necessitatem. Nam in necessitate extrema quiuis excommunicatus etiam nō toleratus tenetur ministrare Baptismum, & Pœnitentiam. Imò est valde probabile, licere tūc recipere ab isto etiam nō tolerato Eucharistiam, *vt ait Ledesma, c.* 6. *de excommunicat.* dum absit periculū contra auctoritatem Ecclesiæ, & reuerentiā istius Sacramēti. Et si excōmunicatus toleretur ab Ecclesia, potest ministrare Sacramēta à fidelibus petita, vt dixi.

An

An verò excommunicatus recipiat aliquando validè Sacramentum Pœnitentiæ? Ad hoc dico quod sic in duobus casibus. Primò, Si pœnitens confitetur peccata & excommunicationem, & confessor ex obliuione, aut aliter solùm absoluit à peccatis. *Ita communiter contra Adrian, & Paludan.* Secundo, Si pœnitens, *ait Soto, d.22. quæst.1.artic.1. cum Adrian.* ex ignorantia, aut inaduertentia inculpabili iuris, aut facti non confitetur excommunicationem. In his duobus casibus, *ait Med. in sum.* §. 3. *cum Caiet. verb. absolutio, & Ledesm. cap.6. de pœnitent.* excommunicatus recipit Sacramentum, & gratiam. Et sic in gratia positus, & excommunicatus participabit fructus aliorum membrorum mysticorum in charitate existentium; non verò participabit suffragia Ecclesiæ, & manebit priuatus sacris, vt antea. *Ita communiter Theologi contra Canonistas citatos à Ledesma, cap 6. de excommunicat.* imò si excommunicatus ex ignorantia, seu inaduertentia iuris, aut facti culpabili, alias non crassa, obliuiscitur confiteri excommunicationem, peccat mort. ob negligentiam, nec recipit gratiam, recipit tamen Sacramentum Pœnitentiæ informe: Et sic non tenetur repetere postea confessionem, sed censuram, & negligentiam confitendi illam, & sic absolutus à tali censura & negligentia recipiet effectum præcedentis Sacramenti informis. *Ita Caiet. verb. absolutio. Nau. in man cap. 9. num.3. Couarr. relect. de excommun. 1.p.§.6. Medin. in summ.* §. 3. *Et communiter contra Soto, Palud. Silu. & Adrian.* Et patet exemplo eius, qui cum tali ignorantia, seu inaduertentia omittit confiteri aliquod peccatum mortal. qui iuxta Theologos, maximè Thomistas in addit. quæst 9. art.1. recipit Sacramentum Pœnitentiæ informe.

10. Excommunicatus durans pertinaciter per annum in excommunicatione, habetur vt suspectus in fide. *Ita in Conc. Trid sess.23. c.3.*

11. Excommunicato morienti in excommunicatione negatur sepoltura Ecclesiastica in c. sacris, de sepul. Et Nauar. cap. 27. num. 36. intelligit hoc de excommunicato denuntiato, aut notorio.

12. Subditi non tenentur seruare excommunicato fidem etiam iuratam. *Ita cap. iuratos, 15. q.6.*

13. Excommunicatus, vtpotè non toleratus, & alias non

occultus, iuxta dicta, impeditur ab actionibus fori iudicialis, etiam secularis; & si ferat sententiam etiam alias iustã, est nulla. *Ita ca. audimus, 24. quæst. 1.* Nec potest esse actor, accusator, aduocatus, procurator, testis, nec instituere procuratorem, nisi in causa propria. *Ita cap. intelleximus, de iudicijs.* Et potest iudex secularis cogi censuris, ne istos in iudicio admittat. *Ita cap. decernimus, de sentent. excommunication.*

7 14. Communicatio ciuilis, vtpotè *os*, id est, loquela, etiam scripto, aut signis, *orare, vale, communio, mẽsa negatur* excõmunicato *in c. nuper, de sent. excom.* Itaque tam excommunicatus, quam cum illo aliàs non tolerato in ciuilibus communicantes peccant ven. *Ita D. Thom. q. 23. art. 3. Caietan. ver. excommuni. Nauar. c. 27. n. 28.* Ista enim cõmunicatio leuis materia cõmuniter reputatur, eo quod sit frequens, & difficilè vitabilis. Imò ista communicatio, *ait D. Thom. art 1. & communiter*, erit licita etiam cum excõmunicato non tolerato in casibus contentis in illo versu, *vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*. Per *vtile* intelligitur omnis vtilitas spiritualis, & temporalis: licet enim cõmunicare cum isto excommunicato, dando ei victum, consilium, & recipiendo ab eo, etsi alia verba misceantur vrbanitatis causa. *Ita c. cum voluntate, de sentent. excom.* Et sic licet admittere excommunicatum etiam non toleratum ad concionandum. *lex*, intelligitur lex matrimonij: licet enim coniugibus inter se inuicem communicare, *vt est cõmunis sententia cum D. Thom. contra Silu. ver. excommunicatio. 5.* Cuius sententia solũ est vera, quando excommunicatio lata est in causa matrimoniali. Per *humile*, intelligitur communicatio inter patres, & filios, dominos & seruos. Per *res ignorata*, intellige quod ignorantia excusat à peccato excõmunicationis. Imò si dubito an Petrus sit excommunicatus, possum cum eo communicare; nam in dubio melior est conditio possidentis. Per *necesse*, intellige licere communicare etiam in spiritualibus cum excommunicato non tolerato, ob vitandum mortem, infamiam, aut aliud damnum temporale proprium, aut excommunicati, aut alterius; dum tamen absit scandalum. Nam si quis in contemptum excõmunicationis, seu potestatis ecclesiasticæ minetur mihi mortem, si non communico cum isto excõmunicato, potius teneor subire mortem, quam sic communica-

municare, vt est communis sententia. Tenemur enim exponere vitam pro bono communi Fidei, & Ecclesiæ.

Dubium 1. *An pro omni peccato possimus excommunicari.* 8

1. Cōc. Nullus potest excommunicari excommunicatione maiori pro peccato ven. *Ita cõmuniter cum D. Thom q. 21, art.* 3. Et colligitur ex Conc. Trid. sess. 25. cap 3. Et patet: nam per istam excommunicationem excludimur vt indigni ab Ecclesia & gloria, sed per peccatum ven. non sumus indigni gloria: ergo.

2. Conc. D. Thomæ, ibi. Vt quis excommunicetur maiori excommunicatione, non sat est quoduis peccatum mortale, sed requiritur quod adsit contumacia, seu specialis inobedientia. Aliàs excommunicatio erit nulla, *vt ait Soto d. 22. q. 1. art. 2. iuxta cap. in præsentia de sent. exco. & cap. Romana, eodem tit. in 6 contra glo. in cap. statuimus tit. & contra Ledes. cum alijs cap. 3 de excomm. dub.* 3. Et patet ex cap. omnes decimæ, 16. q. 7. & cap. de Presbytorum, 17. q. 4. vbi trina admonitio cum tribus interuallis tẽporis præexigitur regulariter ante excommunicationem. Et Matth. 16. vbi fundatur potestas excommunicandi, supponitur quod excommunicandus non audiat. *Et nota*, sat esse aliquando vnam monitionem, iuxta cap. constitutionem, de sent. excom. in 6. vt cũ statuitur per legem, qui tale fecerit, sit ipso facto excommunicatus. Et cum in casu raro vrget necessitas cogendi aliquem statim per excommunicationem, ne, v. g. reus iniustè ab Ecclesia extractus subitò rapiatur ad supplicium.

Si obijcias quòd excommunicatio solet ferri pro recompensando damno temporali alteri illato; *Adhoc dico*, quod immediata materia excommunicationis est inobedientia contra Ecclesiam præcipientem sub excommunicatione restitui alienum. Ex quo patet, quod si ablatum erat auferentis, aut sibi aliter debitum, non incurrit excommunicationem illud retinendo, sicut nec est tũc inobediens. Item qui nõ est soluendo, non tenetur respondere excommunicationi nec eam incurrit, *ait Soto, & Naua. c. 25. n.* 40. Nec restituet cum damno victus, aut vestitus contra Soto: Et qui scit Petrum aliquid furatum esse, ob quod excommunicatio fulminatur, etiam contra id scientes, & non manifestantes, non tenetur respondere: *ait Man. Rod. 1. p. c* 79. si scit Pe-

trum nō posse in toto, aut in parte restituere. Nam si possit partem restituere, ad id tenetur sub excomunicatione. Et si modò quando excommunicatur non possit restituere, & postea possit, ad id sub priori excommunicatione tenetur, quæ, vt ait Soto, semper durat, etsi pro tempore quo non potuit soluere, ipsum non ligauit.

6 Dub. 2. *An ignorantia facti aut iuris, excuset ab excommunicatione.*

1. Conc. Ignorantia inuincibilis facti, seu culpæ, aut circunstantiæ, cui est imposita excommunicatio, sicut excusat à culpa, sic & à pœna illius, vt dixi supra. Imò & ignorantia vincibilis culpæ excusat ab eius excōmunicatione, maximè lata hoc tenore, Qui scienter hoc fecerit, aut præsumpserit facere, aut audet temerariè facere, sit excommunicatus. *Ita D. Anton. 3. p. tit. 24 ca. 36. § 13. Silu. ver. ignorantia, Med. in sum c. 11. §. 2. & communiter Thomistæ, in addit. q. 21. art. 2.* Et patet: Nam Ecclesia intendit punire formalem inobedientiam, & formaliter volitam: sed illa inobedientia cum ignorantia vincibili, etsi sit peccatum mort. non tamen est directè & formaliter volita: ergo.

Maius dubium est de ignorantia iuris, vt in rustico, v. g. ignorante legem excommunicantem percussorem clerici. Ad hoc sit

2. Conc. Probabilius est, ignorantiam inuincibilem iuris excusare ab excōmunicatione posita in iure existente peccato etiā alias contra ius naturale. *Ita D. Anto. 3 p. ti. 24. c. 33. Silu. ver. ignorantia. Rose. Nau. cap. 23 nu. 45. & ca. 27. num. 16, Victor. & Soto, d. 22. qu. 1. art. 2. dub. vlt. contra Adrian q. 3. de claui. Cano. in addit. q. 21. art. 2. Couar. loco citato.* §. 10. Patet ex cap. si vero, de sent. excomm. 2. Nam etsi iste sit Deo inobediens violando legem naturalem, non tamen est inobediens Ecclesiæ, cum ignoret eius statutum vetans sub excommuuicatione, verbi gratia, furtum: Sed excommunicatio intendit punire inobedientiam contra Ecclesiam: ergo. Ex quo patet, idem esse, etsi ignorantia talis statuti sit culpabilis. *Ita Lud. Lop. cap. 13. de excomm. cum Silu.* Et patet etiam; Quia in cap. vt animarum peri. de cōsti. in 6. statuitur omnem ignorantiam citra supinam & crassam, excusare à sentētijs latis in statutis ordinariorum; sed eadem videtur ratio, siue statutum sit de re cōtraria iuri naturali, siue de re mala quia vetita: cum excommunicatio non

tio non

tio non incurratur ob violationem præcepti naturalis, sed ob inobedientiam contra legem Ecclesiæ vetantem sub excommunicatione illum actũ, etiam alias malum: ergo. Et idem ait Lud. Lop. cum Silu. de excõmunicationibus iuris communis, cum sit eadem ratio, *Si arguas*: Nõ est de ratione pœnæ quod sit voluntaria, *& nota, vt ait D.Th.* 1.*p. q.* 48.*art.*5. ergo incurritur excommunicatio, etsi ignoretur: *Ad hoc dico*, quod etsi non requiratur pœnæ cognitio, benè tamen quod cognoscatur lex, cuius violationi est annexa illa pœna.

Dub. 3. *An excommunicatio iniuste lata liget.* 10

1. Concl. D.Thom. q 24. art. 4. Excommunicatio iniusta ex parte excommunicantis, vt si ex ira, aut odio excommunicat, sed in causa iusta, ligat, vt certum est.

2. Conclusio D. Thom. ibi Excommunicatio iniusta ex parte excommunicationis, est nulla, verbi gratia, si fertur à non iudice, aut à iudice suspenso, seu excommunicatio non toleratis, iuxta dicta supra. Aut si fertur post legitimã appellationem, vel contra priuilegia Papæ. Aut si continet intolerabilem errorem, vt si sit contra innocentem, etiam probatum nocentem. Aut pro solo peccato ven. Aut si alias defficit ordo essentialis iuris. *Ita cõmuniter Thomistæ cum D.Tho.* Aut si fertur contra Collegium, vel Vniuersitatem. *Ita cap. Romana, de sentent. excõmun. in* 6 Nec fit irregularis, qui celebrat cum ista excommunicatione, sicut nec qui in solo foro conscientiæ est absolutus ab excommunicatione. *Ita Caiet.* 2. 2. *quæst.* 76. *artic.* 4. *ad* 2. *Soto, d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 3. *contra Couarru. in c. alma mater n.* 5. 6. *&* 7. Verum est, quod ad vitandum scandalum debent isti segerere, ac si essent excommunicati iuxta illud cap. quibus, 11. quest. 3. *Sententia pastoris etiam iniusta timenda est.*

Dub. 4. *Qui possint excommunicare.*

1. Concl. D. Thomæ, qu. 22. art. 1. & 2. Soli habentes in foro contentioso Ecclesiæ, iurisdictionem ordinariam, etsi non sint Sacerdotes possunt propria auctoritate excommunicare, & id delegare personis de iure capacibus, iuxta dicta de censuris in communi. Dum tamen isti Ordinarij, seu delegari, *vt ait D. Thom.* non sint excommunicati, aut à iurisdictione suspensi, alias non tolerati, nec occulti. Nam sic impediuntur ab excommunicando alios, iuxta dicta supra. 1

2. Con-

2. Conclusio. Prælati regulares possunt excommunicare subditos vbicunque sint, & ob delictũ vbique commissum, cum nullibi sint exempti ab eorum iurisdictione. At alij Prælati possunt excommunicare subditos delinquentes in suo territorio, etsi discedant extra illud, vt patet ex vsu. Imò, & possunt eos excommunicare delinquentes in territorio Prælati non valētis eos excommunicare, vt in monasterijs, cum vbique debeant habere iudicem ordinarium, ne delicta maneant impunita. Nō tamen potest Episcopus excommunicare subditum delinquentē extra suam diœcesim, nec obligare eum, vt ad se reuertatur; sed tunc excommunicari potest ab ordinario loci, vbi deliquit. Ita c. vt animarum, de consti. vbi dicitur, quod excōmunicatio extra proprium territorium ne extendatur. Et subditur ratio; Quia Episcopus non habet iurisdictionem extra suum territoriũ.

3. Concl. Excommunicatio ligat iuxta mentem excommunicantis. Et si fertur ad instantiam alterius, intentio excommunicantis intelligitur iuxta illius mentem. *Ita Silu. ver. excomm. 2.* Et sic in excommunicatione contra retinētes aliqua bona, non comprehenduntur regulariter vxor, filij, aut alij sic coniuncti, dum aliud non constat de intentione petentis excommunicationem. Item si ad instantiã creditoris fertur excommunicatio contra aliquem, nisi soluat intra certum tempus, si iste creditor ante impletum tempus prorogauit illud, non incurritur excommunicatio, etsi non soluatur debitum intra tempus prius taxatum. Imò nec transacto tempore prorogato, nisi alias fiat prorogatio de consensu Prælati saltem tacito: cum hoc sit iurisdictionis, quam pars non potest tribuere. *Ita Nauar. cap. 25. nu. 15. Decius, & Couar. de quo Manu. Rodriq. in sum. 1. p. cap. 84.*

12 Dub. 5. *Quis absoluat ab excōmunicatione. Et nota*, quod censurarum absolutio vi aut metu extorta, non valet. Et extortor excommunicatur, cap. 1. de his qui vi, &c. in 6.

1. Concl. In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus etsi sit hæreticus & præcisus, absoluit ab excommunicatione. *Ita Silu. ver. absolutio, 8 & 9. Angel. ver. absolutio, 1. Ledesm. cap. 8. de excomm. dub. 4. contra Soto, d. 18. q. 4. art. 4. & Couar. in c. alma mater, 1 p. §. 11. n 9. & contra alios ab eo citatos.* Sed patet 1. Nam stando in iure diuino vir baptizatus est capax iurisdictionis necessariè pro absoluendo ab excommunicatione: ergo piè credendum est, *vt ait*

Armi.

Armi.ver.absolutio. Ecclesiam cõcedere illam tunc sicut in simili casu cõcedit omnibus Sacerdotibus absoluere ab omnibus peccatis: quia sunt capaces illius. 2. Omnes concedũt clerico primæ tonsuræ posse tunc absoluere ab excommunicatione: ergo idem dicẽdum de viro solum baptizato, cum stando in iure diuino vterque sit capax talis iurisdictionis.

2. Concl. Ab excommunicatione lata ab homine in particulari, & nominatim contra aliquem, ille solus, qui eam tulit, aut eius successor, aut superior, aut alius ex istorũ cõmissione potest absoluere regulariter, vt patet. At si ex iusta causa sit difficile excommunicato ad excommunicatorem accedere, conceditur cap. nuper de sentent. excom. vt præstita iuxta formam ecclesiæ cautione, quod excommunicationis mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel à proprio Sacerdote. *Et nota,* quod qui ex officio, aut commissione potest excommunicare, potest etsi nõ sit Sacerdos absoluere ab excommunicatione à se lata: cum vtriusque sit eadem ratio. *Ita Ledesm. cap. 8. de excomm dub* 1. Nisi in solis quatuor casibus. 1. Excommunicatio lata ab Episcopo contra incendiarios reseruatur Papæ in cap. tua nos, de sentent. excommun. Et intelligitur, *ait Ledesma,* de omnibus incendiarijs, & nõ de solis incẽdiarijs Ecclesiæ, cõtra alios relatos à Siluest. verbo, excommun. 2. Secundò, si quis alterum excommunicauit, & ipse incidit in excommunicationem non toleratam, dum sic est excommunicatus, nõ potest etiam per alium eũ absoluere, iuxta dicta supra. 3. Excommunicatus à legato Papæ, transacto anno, à solo Papa absoluitur. *Ita cap conquerenti, de offic. deleg.* Et hoc aliqui Canonistæ extendunt ad delegatos etiam inferiorum Prelatorum, sed hoc non habetur in iure, & sic non est certum. 4. Si Papa confirmat excommunicationem latam ab inferiore, solus Papa potest ab ea absoluere, vt patet ex vsu. Nam confirmare sententiam tunc, idem est ac si Papa ferret eam.

3. Concl. Confessor expositus absoluit ab excommunicatione generali lata ab homine, qualis est quæ fertur in visitationibus si alias non reseruatur. *Ita Cou. in ca. alma mater, 1. p. § 22. n. 5. Nauar. cap. 27. n. 44 & Ledes. c. 8. de excommu. contra alios* Et patet; nam aliquando isti superiores reseruant istas excommunicationes. Ergo ex se non sunt reseruatæ. Et ex hoc patet, posse dictos confessores absoluere etiam ab excommunicatione lata à iure, aliàs non

reser-

reseruata. *Ita communiter cum D. Tho. in addit. q. 24. art. 2. D. Bonau. d. 18. q. vlt. Soto, d. 22. q 1. art. 3. contra Durau. d. 15. q 4. Palud. q. 5. art. 1. & alios.*

4. Conclusio. Qui ex commissione absoluit ab excommunicatione, debet seruare formam suę commissionis, aliàs absolutio erit nulla, vt si tibi committitur absoluere satisfacta parte, aut cum tali pœnitentia; seu præmissa confessione Sacramentali. Aliàs, si nihil istorum iubetur in commissione, absolutio valet sine eis: cum ex se ista non annectantur absolutioni à censuris, sed extra Sacramentum & sine satisfactione sunt absolubiles. *Ita Couar. in cap. alma mater, 2. p. §. 11. n. 16. Nauar. cap. 16. nu. 31. Ledesma, cap. 9. de excommun. dub. 3.* Erit tamen peccatum, absoluere ab excommunicatione, omissa satisfactione. Nam stando in iure naturali & diuino, realis satisfactio est præmittenda, si sit possibilis, sin minus, detur cautio modo dicto q. 5. de pœnitent. dub. 10.

Et nota, quod in Bulla Cruciatæ, vel alio simili indulto non petitur quod absolutio excommunicationis fiat in Sacramento Pœnitentiæ, sed quia confessio est præuia ad absolutionem peccatorum, conceditur ibi vt possit eligi confessor approbatus pro peccatis, qui etiam possit absoluere ab excommunicatione, & alijs censuris. *Ita Enriq. tom. 1. lib. 7. c. 13. n. 2. cum alijs ab eo relatis, & Ledes. contra alios.* Et valet etiam pro foro externo satisfacta parte, & cessante contumacia, absolutio censurarum facta virtute bullæ aut alterius similis indulti. *Ita Medina in summa, lib. 2. cap. 12. contra Nauar. lib. 5. consi. 47. de sentent. excomm. & Couar. in Epit. cap 6. de impedim. & contra Gutierrez in qq. canonic. capite 5. num. 29.* Et constat ex declaratione *Pij Quinti* in quodam iubileo ab eo concesso relato in nostra Epitome de statu Religionis, lib. 2 cap. 7. dub. 1. vbi ait, concessiones illius iubilei, & similium, & dissimilium indulgentiarum à se, & prædecessoribus emanatas, & emanandas, Christi fidelibus ad earum effectum in foro conscientiæ consequendum, non in foro contentioso, nisi satisfecerint, suffragari. Vbi duo insinuantur, & quod satisfacta parte possunt absolui, etiam à censuris ab homine latis in foro contentioso, & quod in foro conscientiæ possunt absolui sine satisfactione, maximè cum cautione de satisfaciendo cum commodè fieri possit. Et ex his patet, non esse necessariam

riam realem satisfactionem, quando non est possibilis, vt potiaris in foro conscientiæ absolutione censurarum concessa in bulla, aut alibi, non obstante quod ibi petatur. Nam hoc debet intelligi, aut pro foro contentioso iuxta declarationem *Pij V.* aut quando alias est possibili. *Ita Caietan. Medina. Nauar. cap. 27. num. 27. Enriq. tom. 1. lib. 7. cap. 13. num. 2. Silu ver. absolutio, 3. contra Soto, d. 22. qu. 2. art. 3. Armil. verb. absolutio, & Gutierez in qq. canon. cap. 5. nu. 29.* Imò, quoties satisfactio non est liquida, interim ac liquidatur potest absolui cum cautione, etiam seclusio priuilegio. Item si offenso offertur condigna satisfactio ad arbitrium prudentum, & noli acceptare, aut differt acceptationem, absoluatur pœnitens.

Nota 1. Non posse excommunicatum absolui ad reincidentiam de consensu soli us partis, & sine consensu saltem tacito excommunicantis, cum absolutio ad reincidentiam requirat iurisdictionem. *Ita Nauar. cap. 27. numer. 14.* Et absolutus per bullam ad aliquem effectum cum reincidentia, non reincidit, nisi in solo foro externo si res sit manifesta: aliàs in omnibus potest se gerere vt absolutum. Ita declarauit *Gregorius XIII.* vt refert Sà, verbo, absolutio. *Nota* 2. Quod per absolutionem generalem censurarum tollitur omnis censura, etiam culpabiliter oblita; si alias confessor poterat ab ea absoluere, etiam si non maneat absolutus à peccato censuræ, sed sit postea confitendum. *Nota* 3. *ex D. Thoma, quæst. 24. art. 2.* Posse excommunicatum inuitum absolui. Et si est pluribus excommunicationibus ligatus à pluribus iudicibus, aut ob plures causas, potest ab vna absolui, manente alia excommunicatione ligato, *vt ait D. Tho. articul. 3. & cap. cum pro causa, de sentent. excommunic.* Et potest absolui ab excommunicatione, aut ab alijs censuris, in absentia, aut per litteras siue per procuratorem. Et tunc manet absolutus, quando litteræ sibi notificantur. *Ita cap. quanto, 11. qu. 5. & Ledesma capit. 8. de excommunicat. dub 3.* Et sic Prælati Religionum in festis præcipuis in suis capitolis absoluunt à censuris subditos, etiam absentes. Imò & mortui, si constet eos pœnituisse, absoluendi sunt ab excommunicatione, vt pro eis offerantur suffragia. Ad quod cogantur hæredes. *Ita c. à nobis, de sentent. excomm.*

ARTI-

ARTICVLVS III. DE SVSPENSIONE.

SVMMARIVM.

Quid & quotuplex suspensio. n.1.
Suspensiones latæ in iure. n.2.
Violator suspensionis quam pœnam incurrat. n.3.
Quis possit absoluere à suspensione. n.4.

1 S*Vspensio est censura Ecclesiastica, qua aliquod officium aut beneficium competens certæ personæ Ecclesiasticæ interdicitur in totum, aut in partem ad certum tempus, aut in perpetuum quoad partem ob culpam.* Nam perpetua prohibitio totius exercitij, officij, aut beneficij, potius est depositio, & priuatio, quam suspensio, *vt ait Panor. in cap. at si clerici, de iudi.* Dicitur ob culpam. Nam cum suspensio sit pœna, incurrenda est ob culpam saltem ven. quæ iuxta *Caiet. ver. suspensio,* sat est, sicut & ad incurrendam excommunicationem minorem, quæ à maximis excludit iuxta dicta art.2 in princ. Suspensio enim ob lepram, senectutem, & similia non est propriè suspensio: *vt ait Nauar. cap.27. num.151.*

Ex dictis patet, quod suspensio, alia est officij solum aut partis eius, alia est beneficij solum, aut rei pertinentis ad illud, alia est suspensio officij, & beneficij simul. Item suspēsio alia est lata ab homine, vtpotè habente iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo Ecclesiæ Et hæc in scriptis, & præuia monitione est ferenda, si imponatur ob contumaciam Et hæc suspensio, sicut & excommunicatio, & interdictum, non suspenditur sequenti appellatione. *Ita cap. ad hæc 5 de appel. & cap. is cui, de sent. excom. in 6.* Etsi sit nulla, sicut & excommunicatio, & interdictum, si imponatur post legitimam appellationem. *Ita communiter Canonistæ in cap.1. de sent. excomm. in 6. & Nauar. cap.27. n.*
2 165. Alia est suspensio lata à iure; vbi primò suspenditur sacris initiatus, notorius concubinarius, *in cap. nullus, & cap. præter, dist 32.* Sed vt ait Med. *in sum §.8 de suspen.* ista suspensio non est in vsu in Hispania, & sic iste celebrando non fit irregularis. 1. Qui recipit Ordinem sacrum sine licentia, sine ætate, vel extra tempora, manet suspensus,

quan-

quandiu suo Ordinario videbitur Ita in extrau. cum ex sa-crorum, & est Bulla 8. *Pij II.* in compend. Manualis Rodr. *Et nota*, quod si iste bona fide putans se habere ætatem .. ; ordinetur, durante bona fide non est suspensus, & sic nec fit irregularis celebrando. Imò nec comperta veritate peccat celebrando, *vt ait Naua. citatus à Ledesm. cap 7. de ordine:* nec manet suspensus, nec irregularis. Nam etsi loco citato, *& in Concilio Trident. sess. 23. cap. 12.* habeatur, quod carens ætate non ordinetur, at si bona fide ordinetur, non vetatur exercere Ordines. Imò supposito, quod sit iam absque culpa ob bonam fidem ordinatus, habet ius exercendi suum ministerium. Et de ordinato scienter sine ætate post absolutionem à suspensione, celebrando, ait Ledesma, *cum Siluest. & Armil. verbo irregularitas*, non manere irregularem; cum non sit iam suspensus, sed peccare mortaliter. 3. Suspenditur, ait *Silu.* ordinatus per saltum, aut in excommunicatione, aut in apostasia; aut post contractum matrimonium, aut per Episcopum excommunicatum, suspensum, aut degradatum. Et Episcopus ordinans scienter non subditum sine licentia, suspenditur per annum à collatione Ordinum in cap. eos, de tempo. ordi. in 6. Et suspenditur etiam ordinans alterum sine ætate, in cap. vel non, de tempor. ordi.

4. Suspenditur clericus prouocans ad duellum, aut illud acceptans, aut in arenam descendens, in cap. 1. de cleri. pug. in du. Ita Sil. Etsi Nau. sentit oppositum, eo quod ibi dicitur esse deponendum. 5. Qui excommunicat sine legitima monitione, iuxta dicta dub 1. de excommu. suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, in cap. sacro, de sentent. excomm. 6. Qui alterum excommunicat, interdicit, aut suspendit solo verbo sine scripto, aut sine expressa causa illius, aut si intra mensem non dat transumptum istius scripturæ, suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs in cap. 1. de senten. excommunica. in 6. 7. Capitula, conuentus, & personæ particulares, quæ vacante Ecclesia Cathedrali, regulari, vel Collegiata sibi vsurpant, vel dissipant ex bonis relictis à defuncto, aut bona collecta tempore vacationis, suspenduntur ab officio, & beneficio donec plenè restituãt; in c. quia sæpè, de electione. Et idem est in redditibus sigilli, aut quouis alio emolumento. Ita in Clementina, statutum, de electione 8. Suspenditur Episcopus ab ingressu

gressu Ecclesiæ, & inferiores ab officijs, & beneficijs, vsurpando aliquid ex reditibus dignitatum, personatuum, prioratuum, & Ecclesiarum vacantium, & illis subditarum quos reliquerant mortui, aut collecti sunt tempore vacationis, nisi habeant ad hoc priuilegium, aut consuetudinem præscriptam. *Ita in cap. præsenti, de offic. Ordinarij, in 6.*

9. Conseruator Sedis Apostolicæ scienter cognoscens causas alias non notorias, suspenditur per annum ab officio in cap. final. de officio delega. Nisi alias concedatur ei posse cognoscere de illis; sicut cōceditur in priuilegijs religionū.

10. Iudex ecclesiasticus faciens aliquid contra iustitiam, & suam conscientiam, per gratiam aut per sordes, id est, per amorem, odium, aut timorem, in grauamen partis alterius, suspenditur per annum ab officio, & perpetuò si in isto tempore ingerit se diuinis, cap. 1. de sentent. & re iudic. in 6.

11. Qui admittit ad officia diuina, ad Sacramenta, aut sepulturam ecclesiasticam excommunicatos non toleratos, aut interdictos publicos, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, dum non satisfacit, in cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. Et hoc; ait Nauar. tantum habet locum contra exemptos.

12. Qui in Ordine mendicantium admittit nouitium ad professionem ante annum probationis expletum, excommunicatur, & suspenditur à receptione nouitiorum ad professionem, in cap. non solum, & cap. constitutionem, de regul. in 6.

13. Beneficiatus gestans publicè & sine rationabili causa vestes partitas aut coloribus distinctas, suspenditur per sex menses à fructibus beneficij. Et non beneficiatus in sacris Ordinibus citra Sacerdotium cōstitutus, tales vestes gestādo est inhabilis per idem tempus ad beneficium. *Ita in Clementina. 2. de vita & hon. cle.* Et idem ibi statuitur pro clericis minoribus talem vestem cū tonsura publicè deferētibus. Et pro Sacerdotibus etiam Religiosis habentibus dignitatem, personatum seu beneficium cum cura animarum, ponitur pœna suspensionis à dictis fructibus per annum si dictis vestibus vtantur. Et si non habent beneficium sunt per annum inhabiles, ad illud. 14. Religiosi habentes administrationem rerum Ecclesiasticarum, alienando aliquid ad eas pertinens, aut alicui ad vitam concedendo absque necessitate, & vtilitate, & licētia sui capituli, aut Prælati, si

ti, si non habet capitulum, etiam si illud pretio concedat, suspenditur ab officio in clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alien. & contractus annullatur. Et licet ibi permittantur aliarum rerum locationes, & venditiones redituum ad modicum tempus, tamen si dictæ solemnitates omittantur, incurritur excommunicatio, & contractus annullatur in ca. hoc consultissimo, de rebus Eccles. non alien. in 6.

15. Ordinatus sine patrimonio cum pacto non petendi victum ab Episcopo, & ordinatus ad præsentationem alicuius beneficiarij cum pacto nihil petendi ab eo, suspenditur ab Ordine sic accepto, & ordinator à collatione ordinum, & præsentator ab executione ordinum per triennium, in cap. si quis, de simo. Et idem censet Nauar. de ordinato cum alimentis, & patrimonio promissis, aut ab alio donatis cum pacto nihil petēdi post Ordines. Secus si post Ordines remittat promissum, aut retrodonet sibi datum nullo pacto præmisso ante Ordines, iuxta dicta dubio 6. de Ordine 16. Qui sine titulo ordinat Religiosum Ordinis, vbi solum sit votum temporale Religionis, suspēditur in extrau. cum ex sacrorum, *Pij II.* vt ait Nauarr. Sed Religiosis Societatis oppositum habetur iam concessum à *Gregogorio XIII. Bulla 2. apud Manu. Rodriquez in compēd.* 17. Qui non seruat interdicta, iuxta dicenda in tractatu de interdicto, suspenditur ab officio, beneficio, & iurisdictione, in cap tanta, de exce. præl. 18. Clericus admittens vsurarios manifestos ad Eucharistiam, sepulturam, aut oblationem suspēditur ab officio, quousque arbitrio Episcopi satisfaciat in cap. qui in nobis de vsuris. 19. Simoniacus in Ordine suspenditur à functione Ordinum simoniacè susceptorum, etsi crimen sit secretum, iuxta *D. Thom.* 2.2. q. 100. art. 6. ad 1. Et simoniacus in beneficio *iuxta D. Thomam & Soto, 9 de iust. q. 8. art. 2. contra Nauar in man. cap.* 23. *num.* 111. si est secretus, est suspensus quoad se; & idem de ordinante simoniacè: & si est publicus, est suspensus quoad se, & quoad alios. Et idem de mediatore simoniæ. Alias suspensiones vide in Silu. ver. suspensio.

Nota, quod suspensus à minoribus Ordinibus, v. g. à subdiaconatu, est suspensus à maioribus, vt à diaconatu, & Sacerdotio, sed non è contra, vt colligitur ex ca. cum illorum, de sent. excomm. At suspensus ab officio, non ideo est suspensus à beneficio, aut iurisdictione, nec è contra. Et sic

si iste interfit diuinis officijs, potest percipere fructus ob assistentiam, & regimen debitos. *Ita Nauar. cap.27.num. 160. iuxta Bonifa.in Clem.cupientes,de pœnis* Et sic etiam suspensus ab officio eo quod sine ætate est presbyter factus, non amittit fructus beneficij Et si assistat horis canonicis potest percipere fructus assistentiæ, sicut & regimini debitos. *Ita Nauar. iuxta dictam Clem.*

3 Dub.1. *An violator suspēsionis peccet, & fiat irregularis.*

1. Conclusio. Suspensus a beneficio tenetur sub peccato mort. restituere fructus, demptis necessarijs ad victum moderatum, si alias non habet quo viuat; nec possit facere vt absoluatur, vt dixi de excommunicatione. *Ita Medin. in sum. & Ludou. Lop 2.tom.cap.31.* Sed non fit irrigularis, etsi non restituat; cum nihil tale in iure habeatur. Et idem ait *contra Nauar. Ludou & Armil. verb. suspensio. cum Caietan.* de suspenso à prædicando, cum prædicare non sit actus sacer à charactere elicitus. Et idem etiam est de suspenso à receptione Sacramentorum, excepto Sacramento Ordinis: cum in recipiendo Sacramenta non interueniat actus ordinis, sed ista recipere competat etiam laicis. *Ita cōmuniter cum Couar.relec. de homicidio.1.part.* §.1. Dixi excepto Sacramento Ordinis. Nam interdictus, aut suspensus ab ordinibus recipiendis peccat mort. & fit irregularis illos recipiendo. *Ita cap.cum illorum, de sentē.excomm. & cap. 1 de eo, qui ordin.furt.* Et licet iura loquantur de solo excommunicato, ordines, scilicet maiores, recipiente, sed idem reputat Siluest. ver. irregul. cum *D. Raymundo* de interdicto, aut suspenso simpliciter, aut ab ordinibus, recipiendo scilicet Ordines maiores; iuxta dicta de excommunic. in 2. effectu.

2. Concl. Suspensus ab officio. *ait Felin. & glos in cap. Apostolici, de excep. & iuxta cap. cum inter. de electione* nō potest eligere, quando, eligere competit ei, non ratione beneficij, sed officij à quo est suspensus. At non fit irregularis eligendo alterum; aut acceptando electionem Peccat tamē mort. tam ipse, quam ipsum non vitantes, alias iuxta Concil. Constan. publicè suspensum, & nominatim denuntiatum in eo, à quo est suspensus, cum violent præceptum Ecclesiæ in re graui.

3. Concl. Suspensus ab ordine sacro, aut officio Ecclesiastico peccat mort. & fit irregularis exercendo solemniter

ex officio

ex officio actum maioribus Ordinibus deputatũ, iuxta dicta in 2. effectu excom. *Ita cap. 1. de sentent. & re iud.* Non si exerceat ordines minores, etsi ab eis sit suspensus. *Ita Nau. l. 5. conf 3. de senten. excom. & iuxta dicta loco citat.*

Dub. 2. *Quis absoluat à suspensione. Et nota* non esse determinatam formam pro absoluendo à suspensione, sed quibusuis verbis id significantibus tolli, vt si dicas: *Absolue te à suspensione, quam incurristi ob talem causam, & restituo te pristina executioni.* Imò suspensus pro certo tempore, vel quousque satisfaciat, illo tempore impleto, aut facta satisfactione manet absolutus, absque alia verbali absolutione. 4

1. Conclusio. Suspensio lata ab homine absoluitur à ferente illam, à successore, aut superiore, siue ab alio ex istorum commissione, vt dixi de excomunicatione. Et sic etiam, lata à iure, vel ab homine absolui potest etiam in foro externo, sicut & excommunicatio, & interdictum, per Bullam, aut aliud simile indultum satisfacta parte, & cessante cõtumacia. *Ita Medina in sum. lib. 2. c. 12. contra Nauarr. & alios citatos. dub. 5. de excom.*

2. Conclusio. Episcopo in sua diœcesi, & eius Vicario conceditur in Conc. Trident. sess. 24. ca. 6 absoluere in foro conscientiæ subditos suos ab omni suspensione, etiam Papæ reseruata, ex delicto occulto orta, excepta deducta ad forũ contentiosum; & excepta iam in decreto *Sixti V.* contra male promotos, suspensione simoniace ordinantis, & ordinati. Sed licet in bul. 21. *Clem.* 8. relata à Man. Rod. in compend. moderando dictum decretum *Sixti* statuatur, quod pœnæ simoniæ ibi contentæ in suo maneant robore: at nihil dicit de reseruatione, quæ cum inter pœnas non veniat intelligenda sed solum sit non concessio iurisdictionis, videtur posse Episcopum dispensare in dicta suspensione iuxta dictum Concilium. Nisi dicas, quod ista non concessio iurisdictionis sit etiam pœna, aut robur ipsius pœnæ. Dixi in foro conscientiæ: Nam si suspensio lata, scilicet à iure communi, aut particulari, aut ab homine generaliter, sit posita cum termino, aut reseruatione, non potest tolli ab Episcopo in foro externo, sed transacto termino tollitur. *Ita glo. in cap. nuper de sentent. excommu.* Secus si sit posita sine termino, & reseruatione, & ob delictum in quo Episcopus potest dispensare, sicut ob adulterium, aut alia minora de-

licta *Iuxta cap. at si clerici de iudicis*: Nam vt ait Nauar. *cap 27 num* 162. *& Lud. Lop. loco citato*, si sit posita ob delictum in quo non potest Episcopus dispensare, non poterit ab eo absoluere in foro externo, etiam si sit posita sine termino, & reseruatione.

5. Concl. Idem ac Episcopus potest Cabildus in sede vacante. Succedit enim ei, & in iurisdictione ordinaria spectante ad Episcopum iure communi, & generali. *Iuxta cap. cum olim, & cap. cum abolendam, de hære. cum glossa*, & in iurisdictione iure communi & speciali ad Episcopum pertinente, qualis est ista concessio Concilij loco citato. *Ita ex Panormitan. in dicto cap. at si clerici. nume.* 17. *& Decio. num*, 150. Etsi non succedat in competentibus Episcopo iura communi speciali gratioso, vtpotè, ex priuilegio Papæ, & ex eius commissione, *iuxta Innocen. in cap. cum. in cunctis, num.* 17. *de elect* Et idem potest Cabildus in sede vacante circa alios casus, & censuras.

ARTICVLVS IV. DE INTERDICTO.

SVMMARIVM.

Quid sit interdictum & quæ Sacramenta sint in illo vetita. num. 1.
Quæ officia tempore interdicti vetita. n. 2.
Qui possint tunc interesse diuinis officijs. n. 3.
An sepultura tum licita. n. 4.

1 *INterdictum est censura Ecclesiastica separans hominē ab aliquorum Sacramentorum ministratione, & receptione, à diuinis officijs, etiam audiendis, à sepultura Ecclesiastica, & ingressu Ecclesiæ.*

Nota 1. Quod Sacramenta vetita in interdicto, sunt Ordo, Extrema vnctio, & Eucharistia extra articulum mortis potest tamen matrimonium celebrari sine benedictionibus nuptialibus, Confirmatio, & Baptismus. Et Pœnitentia potest omnibus ministrari, exceptis illis qui dederunt causam, auxilium, consilium, aut fauorem delicto interdicti. Nam isti dum non satisfaciunt, & si id non possint, dum non præstant idoneam cautionem de satisfaciendo per se aut per alterum, non admittũtur ad pœnitentiam, *ait Silu. verb.*

verb. interdictum, *Lud. Lop. 2.p.cap.21. ex cap. alma mater, de sentent. excommun. in 6.*

Nota 2. Officia in interdicto vetita, sunt Missa, Horæ, aspersio acquæ in principio Missæ, benedictio solemnis Episcopi cum baculo, &c. benedictio Abbatis, & Abbatissæ, cõsecratio altaris, olei, chrismatis, calicis, & virginis, benedictio acquæ corporalium, ramorum in Dominica in Ramis, candelarum in Purificatione, ornamentum Ecclesiæ, & velorum monialium, processiones, officia B. Virginis, & defunctorum, Prædicta non poterant olim celebrari: sed iam ex concessione capituli alma mater, de sent. excom. in 6 celebrantur submissa voce, ianuis clausis sine campanis, excommunicatis scilicet, non toleratis, ac interdictis exclusis; dum tamen, vt ait glos. ibi, Ecclesia vbi ista celebrantur non sit specialiter interdicta. Nam in ista solum licet Missam semel in septimana celebrare pro renouanda Eucharistia, & pro communicandis infirmis, *iuxta cap. permittimus, de sent. excõmun. & cum dicta cautela ca. alma mater.* Possunt tamen interesse diuinis officijs in interdicto; Primò Clerici primæ tonsuræ, alias non vxoratis, etiã semel, & cum virgine, nisi vsus sit in contrarium, vt in Aragonia, *vt ait Nauar. cap. 27. num. 174.* Alias isti nec sunt ministri Ecclesiæ, iuxta Doctores *in cap. 1. de Cleric. cõiug. in 6. Ita Soto d. 22. q. 1. Ludou. Lop. 2. p. cap. 21.* Secundo habentes Bullam aut aliud priuilegium ad hoc, dum tamen isti nec sint excommunicati, aut specialiter interdicti, nec dederint causam eius; alias istis etiam clericis negatur interesse diuinis. Et priuilegium clericorum & habentium bullam, aut aliud simile indultum, fauet eorum famulis, & familiaribus ex more eos associantibus. *Iuxta cap. licet 2. de priuil. in 6.* Tertio, interesse possunt adiutores Missarum secluso dolo, & pueri non doli capaces, vsque ad septennium regulariter, qui ex tunc iam intelligunt Missarum solemnia. Etsi adhuc non inteligant admittantur, *ait Ludouic. Lop.* 2 3

4 *Not.* 3. circa sepulturam, quod solis clericis qui seruarũt interdictum, alias non interdictis specialiter, conceditur, *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* posse in cœmiterio cũ silentio, sine solemnitate & campanis sepeliri Sed iam *vt ait Silu. & Armil. verb. interdictum, & Lud. Lop.* cõceditur eis ecclesiastica sepultura cum Missa & officio funeris, & cum

cautela cap. alma mater, Alij etiam; quibus ex priuilegio conceditur interesse diuinis, possunt cum silentio in cœmiterio sepeliri. *Ita Nau.nu.*108. *& Angel.verb.interdictum, 6.& contra Fredericum.*

DIVISIO INTERDICTI.

SVMMARIVM.

Quotuplex interdictum. n. 1.
Quis possit interdicere, & interdici n. 2.

1 INterdictum diuiditur in locale, vtpotè quando interdicitur aliqua Ecclesia; & in personale, quando interdicitur persona, & in locale, & personale quando vtrumque interdicitur. Item interdictum locale, sicut & personale, aliud est generale, vtpotè cum omnes Ecclesiæ, aut omnes ciues oppidi interdicuntur, aliud est particulare, cum aliqua Ecclesia, aut persona interdicitur. Item persona potest interdici quoad omnia, aut quoad aliquid, vt si interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & tunc potest iste celebrare extra Ecclesiam. *Ita glossa in cap. in cui de senten. excommunicat. in* 6. Et differunt interdictum personale, & locale, quod personale comitatur personam, nec vllibi potest admitti ad diuina aut sepolturam. At si vna Ecclesia sit interdicta, in alijs possunt audiri officia. Item interdictum aliud est à iure, de quo Angelus, *ver. interdictum*, refert nouem casus in
2 quibus incurritur: aliud est ab homine. Et solus ille potest interdicere, qui potest excommunicare, cum illud sit minus, *vt patet ex ca. cum ab Ecclesiarum, de offic. ord.* Et licet non sit in vsu, Prælatos regularium interdicere locum, nisi in aliquod oppidum habeat iurisdictionem ecclesiasticam, possunt tamen interdicere personas sibi subditas ab audientia diuinorum; *vt patet ex cap. cit. & Ludou. Lop. Et nota* quod communitas non potest interdici ob culpā hominis priuati, nisi ex commissione Papæ, bene tamen interdicitur ob culpam personæ publicæ, vt Prætoris, Episcopi, &c. *iuxta cap. non ex nobis, de spon.* Et iste est vsus.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

SVMMARIVM.

Quid cessatio à diuinis & quæ tempore cessationis sint permissa. n.1.
Quãdo suspendatur interdictum & cessatio à diuinis. n.2.
Pœna quas incurrunt violantes interdictum & cessationem. n. 3.
Quis absoluat ab interdicto. n.4.

CEssatio reducitur ad interdictũ, & consistit in totali suspensione diuinorum officiorũ. Et vt ait Medina in sum. §.14. ex resolutione Doctorum Salmanticæ, in cessatione ista solùm permittuntur. 1. Quouis octauo die vni Sacerdoti licet cũ vno ministro secrete celebrare pro Eucharistiæ renouatione. 2. Horæ recitentur à quouis ecclesiastico seorsum, & non cum socio, secluso priuilegio. 3. Permittitur Baptismus etiam pro adultis cum solemnitate chrismate, oleo, & catechismis. Confirmatio & Pœnitentia etiam pro sanis; & Eucharistia pro solis infirmis, ad quos potest deferri cum solemnitate, & campana, sed non recitentur officia diuina. Matrimonium sine velationibus etiam celebrari potest. Itẽ sepoltura potest dari Sacerdotibus in cæmiterio. Et licet iuxta Paluda. *in 4. d. 18. q. 8. ar. 3. & alios relatos à Lud. Lop.* possint in cessatione diuina celebrari cum cautela capituli *alma mater*; sed oppositum est verius, & vsu receptum. *Ita Conar. §.4. de interdicto. Lud. Lop. & cõmun.* Solis ergo Episcopis permittitur tunc celebrare, *c. vlt. de priuil.* & religiosi iuxta sua priuilegia. I

Dub. 1. *An liceat aliquoties suspendere interdictum & cessationem.*

1. Conclusio. Interdictum potest tolli, & suspendi à ferente illud, aut successore, siue superiore. Nam censuræ ligant ad nutum ferentis eas, *Et nota*, quod si suspenditur interdictum ad vnum actum, v. g. ad sepeliendum mortuum, id solum fieri potest. 2

2. Concl. In ca. alma mater, conceditur, vt in natali Domini, Paschate, Pentecoste, & Assumptione B. Virginis, campanæ pulsentur & officia diuina alta voce celebren-

tur, exclusis excommunicatis, scilicet non toleratis, & admissis interdictis, dum propius non accedant ad altare, qui dederunt causam interdicto. Idem similiter conceditur pro festo, & octauis corporis Christi in Clem. de reliq. & ven. sanct. Idem pro festo & octauis Conceptionis B. Virginis concedit Leo. 10. in compen. mendi. verb. conceptio, §. 12. Et intelliguntur ista de interdicto generali. Nam in Ecclesia specialiter interdicta, non licet diuina celebrare etiam secretè. Religiosi etiam in his festis suspendunt interdictum per sua priuilegia, de quibus in nostra Epit. de statu Rel. lib. 2. cap. 7. dub. 2.

3. Conc. Suspensio interdicti durat à primis vesperis vsque ad completorium dictorum festorum inclusiuè. Ita Cou. *in cap. alma mater, 2. p. §. 5. Nau. c. 27. n. 184. & Silu. verb. interd. 5.* contra alios asserentes solum durare vsque ad dictas secundas vesperas.

An liceat tunc sepelire mortuos in Ecclesia cum officio defunctorum. Ad hoc dico, quod etsi pars negatiua communiter teneatur à Panor. Card. Bonif. & alijs cit. à Lud. Lop. sed pars affirmatiua est probabilis, *cum D. Ant. 3. p. tit. 26. cap. 4. Angel. Anchar. & Couar.* Et est benignior, & æquitati conformior. Cætera verò non fiant tunc, nisi aliàs licita in interdicto.

4. Concl. Cessatio à diuinis suspenditur etiam in festis in quibus suspenditur interdictum de iure. *Ita Couar. in ca. alma mater, 1. par. §. 4. n. 7. & Man. Rod. in sum. 1. p. ca. 117.* Et ita fertur practicatum Salmanticæ in festo Corporis Christi, anno 1584. Nam etsi in iure solum fiat mentio de suspensione interdicti generalis pro illis festis, piè creditur Papam idem voluisse concedere in cessatione ob reuerentiam tantarum festiuitatum.

3 Dub. 2. *An violator interdicti peccet, & fiat irregularis, aut suspensus.*

1. Conclusio. Non tenemur seruare interdictum, nisi publicè, & specialiter denunciatum, vtpotè contra personam: Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum à iudice promulgatum specialiter, & expressè, per extrauag. insuper ad euitanda, Martini V. in Concilio Constan. *de qua Caiet. verb. excomm. minor. Armi. ver. interdictum, & Lud. Lop.*

2. Concl. Clericus maiorum Ordinum personaliter interdictus

dictus ab officio ecclesiastico, si exercet solemniter actum sacro Ordini deputatum, iuxta dicta in 2. effectu excommunicationis, peccat. mort. *contra Caiet. verb. interdictum*, & fit irregularis, *iuxta Nauar & Soto, d. 22. q. 3. art. 3. Et patet ex cap. is cui, de sentent. excomm. in 6.* & idem de exercente solemniter istos actus in loco specialiter interdicto, vt habetur c. is qui, eod. tit.

3. Conclusio. Qui in tempore interdicti celebrat Ordines, etiam primam tonsuram, fit irregularis: cum hoc tunc non permittatur. Ita Silu. *verbo interdictum* 5. contra Pan. *in cap. non vobis, de spon.* cuius sententia, *ait Couar.* §. 3. non est tuta. At qui tunc recipit Ordines minores, subdiaconatum, aut diaconatum, nisi in Missa Ordinum cantet Epistolam, aut Euangelium, non fit irregularis. *Ita Soto, Couar. & Lud. Lop.* quia nullum exercet actum ordinibus proprium, sed solum passiuè se habet recipiendo Ordines. Secus fit de suscipiente Sacerdotium, qui fit irregularis; cum celebret & consecret cum Episcopo tunc, & cooperetur ei, *ait & D. Thom. 3. part. q. 82. art. 2.* exercendo actum sacro Ordini deputatum, & sic, sicut Episcopus, fit irregularis. Nec est idem de suscipiente Sacerdotium sine ætate: qui celebrando cum Episcopo non fit irregularis. Nam isti sic iam ordinato ponitur pœna suspensionis, & non celebrat tunc post suspensionem. Sicut si alicui sub excommunicatione mandetur ne celebret, celebrando prima vice manet excommunicatus, non irregularis.

4. Conclusio. Celebrans in interdicto sine cautela capituli *alma mater*, fit irregularis. *Ita Couar. de interd.* §. 3. *& Lud. Lop.* Nam olim ista pœna incurrebatur à celebrantibus, & recitantibus officia diuina in interdicto, & iam ista non permittuntur, nisi cum illa cautela, clausis ianuis, &c. ergo si ista omittantur, incurritur irregularitas.

5. Conclusio. Assistens auctoritatiuè & principaliter in interdicto celebrationi horarum sine dicta cautela, & qui officiat principaliter quasi soluendo horas vt clericus solemniter officiando Ecclesiam, aut populum, & inchoando vel perficiendo, vt hebdomadarius, qui dicitur agere ex officio, vtpotè quod est proprium Sacerdotis, fiunt irregulares. Secùs de alijs etiam clericis non sic authoritatiuè astantibus, etsi cum alijs cantent, etiam Epistolant, aut Euangelium sine solemnitate. *Ita Ludouic. Lop. cum Sil.*

ver.

ver. interdictum 5. Hostien. Specul. & alij. Imò etsi peccet mort. laicus assistens diuinis, si sit specialiter interdictus, secus si solus locus sit interdictus. *Ita Siluest. Soto, & Ca. verb. interdictum*; cum lex de seruando interdictum solis clericis directè ponatur. Nisi aliàs laicus vim faciat, vt se ingerat diuinorum celebrationi, aut mentiatur dicendo se habere priuilegium ad hoc, cum hoc sit mendacium perniciosum.

6. Conclusio. Qui in interdicto, etiam priuata auctoritate pulsat campanas, aperit ianuas vt auctoritatem præbeat diuinorum celebrationi, fit irregularis, *iuxta Innocent. & Panorm in c. tanta, de exces. prał. & communiter* Et facit ad hoc c. illud de cleri. excom. mi. Secus si ista facit sine dicta intentione, *vt ait Conar. §. 4. contra D. Anton. & alios*.

7. Conclusio. Violator interdicti modo dicto suspensus est ab officio, beneficio, & iurisdictione, *iuxta c. vltim. de exces. Prælatorum. Ita Ludouic. Lop. & alij cum Couar. §. 2. de interdicto*. Et est ineligibilis, & impostulabilis ad prælaturam. *Ita cap. 1. de postu. Præla. & cap cum dilectus. de consue.* Et si violator interdicti est religiosus, prçter suspensionem, & irregularitatem, manet etiam excommunicatus. *Ita in Clemen. ex frequentibus, de sent. excommun.* Item violator interdicti potest puniri pœna perpetuæ priuationis ab officio. *Ita cap. clerici, & c. latores, de clerico excommuni.* Et potest priuari beneficio ecclesiastico. *Ita ca postulastis, tit. cita.* Item est interdictus ab ingressu Ecclesiæ dum non satisfacit, quì celebrat vel celebrare facit scienter in locis interdictis, aut admittit publicè excommunicatos, vel interdictos ad officia diuina, Sacramenta, aut sepolturam. *Ita ca. Episcoporum, de priuilg. in 6.*

8. Conclusio. Religiosi violantes cessationem excommunicantur, in Clement. 1. de sentent. excommunicat. *ait Soto art. 2.* tamen nec clerici, nec religiosi fiunt irregulares: cum nil tale in iure exprimatur. *Ita Couar. in cap. alma mater. 2. parte. §. 2. num. 3. Ludouic. Lop. Enriq. li. 3. de interdict. c. 54. num. 3. Siluest. verbo interdi. 1. sed limitatur à Nau. c. 27. num. 189.* quando ponitur sola cessatio. Secus si cum illa etiam ponatur interdictum. Nam pro hac parte eius violator incurret irregularitatem & alias pœnas dictas.

Dub. 3. *Quis absoluat ab interdicto.*

1. Con-

1. Conclu. Persona specialiter interdicta potest absolui ab eo qui eam interdixit, à successore, aut superiore, aut ab alio ex istorum commissione, vt dixi de alijs censuris.

2. Conclu. Persona specialiter interdicta cessante contumacia, & satisfacta parte, potest absolui a confessore approbato, per bullam, aut aliud simile indultum, etiam in foro externo, contra Lud Lop sed iuxta quæ dixi c. 5. de excom. Et patet; nam in bulla absolutè conceditur facultas absoluendi ab omni censura satisfacta parte.

ARTICVLVS V. DE IRREGVLARITATE.

SVMMARIVM.

Quid irregularitas & an in dubio liget. n. 1.
Quibus priuat n. 2.
Quotuplex irregularitas. n. 3.

1 *Irregularitas est impedimētū iure canonico introductū ad suscipiēdos ecclesiasticos Ordines, vel ad ministrādum in iam susceptis.* Ex quo patet, quod in solis casibus in iure expressis incurritur irregularitas, *vt ait Bon. capit. quis de sent. excommu. in 6.* Et sic licet in dubio facti an commiseris homicidium, vt si dedisti prægnanti quo aboriatur, & dubites an fœtus sit animatus, credendum sic esse animatum, ac sic te incurrisse irregularitatem, cum hoc sit tutius; tamen in dubio iuris, an in aliquo casu incurratur irregularitas, non præsumatur irregularitas. *Ita Couar. in 1 p. de irregul.*

2 *Nota.* 1. Quod irregularitas priuat omni beneficio. Ita in Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. Et sic si irregularis etiam secretus obtinet beneficium, cum non fiat dominus eius; obtēta dispensatione super irregularitate, eget noua habilitatione ad beneficium. *Ita Nauar. cap. 27. num. 194. & Lud. Lop. 2 par. cap. 22. contra Siluest. ver. excommunicatio.* Nisi fortè quando ignarus irregularitatis beneficium obtinuit, *vt ait Lud. Lop.* At si iam beneficiatus sit irregularis non est ipso facto priuatus beneficio ante sententiam. *Ita ca. Enricus, de cler. pug. in due. & cap. ex litteris, de excess. Prela. & Nauar. nu. 249.* Imò iste occultus irregularis pro 3 vitando graui damno personæ, honoris, aut rerum suarum

potest celebrare; dum non sit in mora petendi dispensationem. *Ita Cord. q. 142. Nauar. num. 239. Silu. verb. Eucharistia, & communiter, contra Couar. in c. alma mater 1. p. §. 2. nu. 11.*

3 *Nota* 2. Quod irregularitas, alia est pure pœna; & ista inter censuras ab aliquibus numeratur, vt dixi dub. 2. de censuris in communi. Alia est irregularitas significationis: & huius sunt multæ species. Alia prouenit ex defectu Sacramenti, vt irregularitas bigamiæ, in qua deficit repræsentatio Christi iuncti matrimonio cum vna sponsa virgine Ecclesia. Alia prouenit ex defectu corporis. Alia ex defectu animæ. Alia ex defectu lenitatis, vt quæ oritur ex homicidio, aut mutilatione. De quibus suo ordine dicemus.

DE BIGAMIA.

SVMMARIVM.

Omnis bigamus est irregularis, & quis in vera bigamia dispenset. n. 1.
Quid bigamia interpretatiua & quomodo tollatur. n. 2.
Quid bigamia similitudinaria. n. 3.

1 DVb 1. *An bigami sint irregulares, & quis dispenset.*
1. Conc. Omnis bigamus siue vetus, siue interpretatiuus, siue similitudinarius, est irregularis. De bigamo vero sic dicto eo quod habendo successiue; & cognoscendo plures vxores, deficit in eo significatio matrimonij Christi cum vna sponsa Ecclesia; *patet c. debitum, de bigamis, c. feriatim, d. 32. & c. maritũ, d. 33 Sil. ver. bigam. Nau. n. 196.* Et cum isto solus Papa dispensat, etiam ad tonsuram & beneficium simplex, vt declarauit congregatio Card. die 30. Ianuar. anni 1587. Et licet omnis irregularitas Baptismo tollatur, vt communiter colligitur ex cap. si quis viduam, d. 34. excipitur tamẽ irregularitas bigamiæ, *ait Medina in summa l. 1. c. 11. §. 12. Ita communiter Canonistæ, in c. gaudemus, de diuor cum August. lib de bono coniu. c. 18. & D. Th. in addit. q. 66. ar. 4. & Innoc. epis. ad Rufum, contra D. Hier. epist. ad Ocea. & contra Maio. Erinq. Almain. citatos à Lud. Lop. 2. p. c. 22.*

2 De Bigamo interpretatiuo, qui etiã ignarus duxit in vxorem, & cognouit mulierẽ, ab alio corruptam, patet locis cit.

cit. Secùs si ab ipso solo sit cognita, *vt ait D Th ar.3 ad 2. D. Anto. 3.p.tit.2.c 2 Sil. ver. bigamus, & communiter cōtra alios relatos à Lud. Lop.* Nam ista, *ait D Th.* non diuisit tunc carnem suam in plures: quæ est ratio capituli debitū, citati. De bigamo interpretatiuo qui cognouit suā vxorē post eius adulterium etiam ignoratum, patet c. si cuius, d. 34. cum glos. & D. Th. ad 3. & communiter. Et licet per iudicem cogatur eam cognoscere. *Ita D. Th. ad 4 Palu. d. 27. cum Nau Silu. & Lud. Lop. cum Hosti & Couar. §. 2. de irreg. contra Innocen. & alios.* Nam ista iam carnē suam diuisit in plures De bigamo interpretatiuo qui cum pluribus vxoribus viuentibus matrimonium contraxit, etsi alterum illorum, aut vtrumque ob impedimentum sit nullum, patet ex D Th art. 1. & Nau nu. 195. & communiter. Et cum dictis bigamis interpretatiuis, solum ad Ordines minores dispensat Episcopus. *Ita D. Th. ar. 5. Siluest. verb. bigamia, contra Nauar.*

De bigamo similitudinario, vtpotè, quando Religiosus, 3
aut sacris Ordinibus initiatus, contraxit matrimonium etiam cum vna sola, & virgine, patet c. quotquot, 27. q. 1. & cap. nuper de bigam. & Siluest. verbo, bigamia. Et Episcopus dispensat cum isto si contraxit cum virgine. *Ita communiter, ait Nauar. cap. 27. nu. 197. ex cap. 1. qui Cleri. vel vo.* Imò etiamsi contraxit cum currupta, si aliàs hoc delictum sit occultum, nec deductum ad forum contentiosum, prout sibi conceditur in Concil. Trid. sess. 24. c. 6.

DE IRREGVLARITATE EX DEFECTV CORPORIS.

SVMMARIVM.

Qui defectus corporales inducant irregularitatem. n. 1.
An illegitimus & seruus sint irregulares n. 2.
An infamis, & Sodomita. n. 3.
Quis dispenset in his irregularitatibus. num. 4.

DVB. 2. *An corporalis defectus inducat irregularitatem.*

1. Conclu. Qui volens partem digiti sibi amputauit, fit irregul. in cap. *qui partem d.* 55. Et etiam qui sibi amputauit virilia, etiam pro vitando concupiscentiā. *Ita c. si quis,*

1.2.

1. 2. & 3. *d.* 55. Et idem de illo cui abscissa sunt virilia ob eius culpam, vt si iussit, rogauit, dabat operam rei illicitæ aut à iudice, seu inimicis in pœnam delicti sit abscissus; *argumento ca. Presbyterum, & c. continebant, de homicidio.* Secùs sit si à medico ob salutem, vel casu ab inimicis sine sua culpa abscinditur; aut si à natura sit ita defectuosus, vt habetur, cap. si quis, cita. Sicut etiam, si sit gibbus, claudus taliter quod sine baculo celebrare potest; aut si sit claudus dum non sit visu priuatus; aut notabiliter deformis, siue monoculus, *vt dicitur c. si Euangelica. d. 55. de oculo eruto* Et licèt careat visu oculi dextri; imo vel sinistri; dum tamen sine indecora, & nimia faciei conuersione canonem Missæ legat, potest ordinari. *Ita Nauar. cap. 27. num. 199. Ludouic. Lop. 2. part cap. 23.*

2. Concl. Defectus & imbecillitas iudicio Episcopi reddens aliquem ineptum celebrationi, saltem cum notabili horrore, deformitate, aut scandalo, facit irregularem. Et idem de membro superfluo, aut nimis grandi, impediente aliàs Ordinis executionem, aut causante nimiam deformitatem, *iuxta glossam in capi. qui partem, d.* 55. Et si ante hos defectus sis ordinatus sis irregularis ad officia solum ad quæ es inhabilis. *Ita Nauar. num.* 200. Et idem si non potes bibere vinum sine periculo vomitus, durante isto defectu non potes ordinari. Et si sis Sacerdos, potes Epistolam, & alia præter Missam celebrare.

3. Conclus. Ad corporalem defectum inducentem irregularitaté reducitur lepra, & alia infirmitas causans in celebrando notabile scandalum. *Patet in cap. de rectoribus c. tua nos, cap. ex parte, de clerico ægroto.* Et qui patitur epilepsiam seu morbum caducum, non potest ordinari, etsi sanetur: *argumento ca. fin.* 15. *q.* 1. *& Ludou. Lop. & communiter.* Et si sit ordinatus, & spumas vomat, aut sæpè decidat in morbum, non potest celebrare. At si raro, & sine spumatione decidat, celebret, vt colligitur ex cap communiter cum glossa, d. 13. sed cum socio parato perficere sacrificium, si forte morbo arripiatur. *Ita cap. illud. & c. nihil, 7. q. 1. Nauar. num.* 203. Et addit. Lud. Lop. cum Silu. *ver. de corpore vitia. iuxta cap. communiter cit. cum glossa,* quod si iste caducus iam ordinatus videtur omnino liber, spectato tempore, arbitrio prudentum, potest Ordines exercere. Et idem dic de habente lucida interualla, de lunatico, &

de

de furioso. Sed obsessus à dæmone nunquam potest celebrare *Ita D. Anton.3.p tit.28.cap 5.* Et nota, quod, vt ait Lud. Lop. si prædicti post ordines, & adepto beneficio in illos morbos inciderunt, non reppellantur à beneficio, ne afflicto addatur afflictio. *iuxta c. cum percussio.7. q.1.* sed detur eis coadiutor iuxta decreta citata. 2

4 Concl. Illegitimitas etiam occulta reducitur ad corporalem defectũ. Et illegitimus est irregularis, & inhabilis etiam ad dignitates, & beneficia. *Ita c. 1. de filijs Presb.* Et dicitur illegitimus, qui non est genitus ex coniugatis. Sed si naturalis; idest, genitus ex parentibus non habentibus impedimentum dirimens matrimonium quando cum genuerunt, legitimetur per sequens matrimonium; sic ad omnia habilitatur. At si parentes habeant impedimentum dirimens matrimonium, non legitimatur per sequens matrimonium celebratum cum dispensatione, nisi aliàs nascatur post dispensationem, etiamsi sit conceptus ante illam. *Ita Ledesma, cum Couar. Sarmiento, & Siluest. ca. vltim. de matrim.* 3

5. Conclusio. Seruitus reducitur ad corporalem defectum. Ita quod etsi seruus cum licentia domini possit ordinari, & sic ordinatus maneat liber, secus si sine illa. Atsi ordinatus possit se redimere etsi non se redimat, satisfacit exhibendo domino obsequia non indecora. Presbyterio. *Ita D. Anton 3. par tit 28. cap. 6. §. 6. Soto d. 15. q. 1. ar. 1. & colligitur ex ca. 1. 2. & 3 ca ex antiquis, d.* 24. De vxorato quando possit ordinari dixi. q. 4. de matrim. dub. 6.

6. Conclusio. Infamis infamia iuris, idest, exercens officium infame est irregularis. *Ita c. infamibus, de regu in.in 6. & cap. ipsi Apostoli. 2. q 7 & Nauar. nu.* 504. *& Ludou. Lop.* Et idem est de infami infamia facti, idest, qui committit delictum, cui est annexa infamia, vt adulterium notoriũ periurium, falsum testimonium, sodomia notoria. Secus de occulta *vt ait Nauar. num.* 249. *& Ludoui. Lop. contra Couarr.* Nam casus Sodomiæ non est expressus in iure, vt Coua. fatetur: Sed in solis casibus in iure expressis incurritus irregularitas: ergo nec facit contra hoc decretum *Pij V.* incipiens, *Cum primum Apostolatus*, contra Sodomitas. Nã illud loquitur de Sodomita notorio, cum ait, quod si sit clericus degradatus tradatur puniendus curiæ seculari. Quæ verba loquuntur de iudicio externo, quod ex no-

torie.

Iudæis,& neophitis, id eſt recenter conuerſis, ſeu baptizatis intra decem annos à conuerſione eorum. *vt ait. Nauar. n.205. & Lud.Lop cap.24.*

3. Concl.Ignarus omnino litterarum eſt irregularis. *Ita cap.illiteratos d.36.* Et in Conc.Trid.*ſeſ.23.ca.4.11.& 14.* petitur pro ordinandis prima tonſura, vt ſciant legere, & ſcribere, & pro quatuor minoribus ordinibus, quod intelligant linguam Latinam,& pro Sacerdotio petitur ſcientia neceſſaria pro inſtruendo populum neceſſaria ad ſalutem, & ad Sacramenta miniſtranda, præter pœnitentiam,vt patet ex vſu. Et quia ibi c. 15. præcipitur vt ad confeſſiones Sacerdos per examen ab Ordinario approbetur, quod non eſſet neceſſe, ſi quando ordinatur, eſſet vt idoneus ad confeſſiones approbatus.

4. Conc.Ex omnibus prædictis, cum ſolo nouiter conuerſo poteſt Epiſcopus diſpenſare ad ordines,& beneficia, *Ita Couar. in Clem.ſi furioſus, 1.p.§.2.n.7.*

DE IRREGVLARITATE OCCISIONIS IVSTE.

SVMMARIVM.

An occidens alterum in ſui defēſionem ſit irregularis.n.1.
An qui alterum defendendo, occidit vel mutilat.n.2.
An omnes concurrentes phyſice vel moraliter ad iuſtam hominis mortem vel accelerationem illius. n.3.
An denuntians, vel accuſans alterum. n.4.
An bellans,exhortans ad pugnam, vel prabens arma. n. 5.
An membri mutilator.n.6.
Quis diſpenſet in irregularitate iuſta occiſionis.n.7.

DVB. 5. *An iuſtus hominis occiſor ſit irregularis.*

1. Concluſio.In tempore D. Thomæ excepto ſolo homicida Pure caſuali in cap. delictus. de homici.qui quomodolibet alterum occidebat, erat irregularis:ſed iam in Clem. ſi furioſus, de homicidio,liberatur ab irregularitate furioſus, infans, ideſt, non doli capax, vel dormiens alterum occidendo aut mutilando, & qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, aut mutilat inuaſorem. Et intelligitur, etiamſi aggreſſus,daret operam rei illicitæ,vt ſi capitur cum vxore inuaſoris,. *Ita Soto.5.de iuſt.q.1.ar.9.Lud.*

Lop.Enriq.to.2.lib.12.cap.14. num 1. cum Silu. Armil. Palud. Victor. Cano. Mantio, Penna, & Medin. contra Nauar. cap.25. num.7. & cap.27. nu.238. & contra alios Canonistas indistinctè asserentes, quod qui dat operam rei illicitæ ex qua sequitur mors, sit irregularis. Dixi, quando inuasus non potest aliter vitare mortem. Nam si sine periculo honoris, aut alterius rei fugere potuit, & non fugit, sed occidit in sui defensionem, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, fit irregularis. *Ita Siluest. verb. excommunicatio.6. Panor. in cap. significauit.2. & Canonista in cap. suscepimus de homicid.* Secùs fit, si fugiēdo grauiter in honore aut aliter lædatur. Nam non tenetur vti illo medio fugæ in suum graue damnum tunc, sed spectet: etsi de hoc dubitent Couar. & Lud. Lop. Ex dictis patet 1. Quod non fit irregularis qui pro vitanda sui membri mutilatione alterum cum moderatione occidit. *Ita Silu. verb. homicidium.3. Coua. in Clement. si furiosus, par. vlt. §. vlt. num.2. Nau. cap. 27. nu.211.* Nam quoad hoc æquipollent mors, & mutilatio: cum ex abscissione membri interdum mors sequatur. Secùs si pro vitando alia minora mala, vt amissionem, v. g. diuitiarum, quis alterum fugientem cum eis sagitta confodit. 2. Patet quod qui alios conuocat, vt eum defendant, si alij occidant eius inuasorem, non fit irregularis. *Ita communiter.* Nam sicut ipse per se tunc, sic & cum aliorum auxilio potest eum occidere sine irregularitate.

2 2. Conc. Probabile est, quod qui alterū licitè defendendo, occidit aut mutilat cum moderamine inuasorem, non fit irregularis. *Ita Cou. in Clem. cit. 2. p. § 4. & p.3. §.1. n.5.* Et adhuc probabilius, si ex præcepto defendit alterum, aut Remp. *Ita Enriq. to.2. li.15. c.11. n 4. cum alijs ab eo citatis lit. E.* Maximè si iste defensor sit sacris Ordinibus initiatus. Sed communius est oppositum. *Ita Caiet. 2.2. q.40. ar.2. Bannes ibi. dub.3. Soto 5 de iust. q.1. a.8. Silu. verb. bellum, 2. Nau. cap. 26. num. 213.* Nam in iure soli inumerati in prima concl. excipiuntur ab irregularitate: ergo etsi defendas patrem, aut patriam, fis irregularis. Et à fortiori si occidis aut mutilas defendendo honorem aut diuitias, contra Couarr. 3. part. num.5. Nisi *vt ait Enriq. tom.2. libr. 14. cap. 11. nu.3.* simul defendas te cum moderamine. Si enim fugere possis, aut aliter vitare mortem, etiam relinquendo tua latroni, & nolis, sed occidis latronem bona tua defen-

fendendo, fis irregularis. *Patet ex cap suscepimus, & capit. interfecisti, de homi. cum glossa.* Nisi alias defensio rerum tuarum, vtpotè in extrema necessitate, sit necessaria vitæ. *Ita Enriq. n. 4. Soto. 5. de iust. quæst. 1. art. 9. Armi. verb. irregularitas.*

3. Conclus. Causa proxima physica, aut moralis etiam iusta, aliter quàm dixi, occisionis hominis, aut accelerationis mortis etiam occultissimæ, *contra Castro lib. 2. de lege pœn. cap. vlt,* sit irregularis. *Ita communiter Theologi, & Canonistæ, de quo Nauar. n. 209. & Lud. Lop. cap. 25.* Et patet concl. in carnifice iustè suspendente furem, in iudice, & testibus damnantibus eum. Secus de testificantibus pro eo, ex quo accusator pœna talionis punitur. Nam hoc à testibus non intenditur, sed defensio accusati. Item patet in accusatore, & eius aduocato, in scribente sententiam mortis, in ferente reum non ad locum vbi est legenda sententia, sed ad locum supplicij, in hortante aut iuuante reum ad ascensum scalæ, aut vt submittat caput gladio, in faciente aliquid pro acceleratione mortis seu mutilationis, & in mouente incaute infirmum in lecto, ex quo acceleratur mors. *Ita D. Antonin. Lud. Lop. & communiter.* Aut si acceleret reum ad supplicium, aut carnificem, vt acuat gladium, seu præparet scalam. Et vt acceleratores mortis liberentur ab irregularitate, detineant mortem quanto tempore accelerarunt; vt non sint iam causa accelerationis. Item patet conclusio in stantibus supplicio non ex curiositate, sed illud autorizando, vt tabellio, notarius, satelles, & custos damnati. Item patet in vendentibus, dantibus, aut præparantibus sciēter instrumenta ad istam determinatam occisionem. Secus si ab istis ignorantibus, aut non volentibus accipiantur. Nam iam tunc non sunt isti causa proxima moralis occisionis. *Ita Siluest. ver. homicidium 3. Nauar. cap. 27. num. 209. & 214. & Couar. relect. de homicid. 2. p. §. 5.* Et idem de seruo ignoranter deferente sententiam mortis. Item patet conclusio in deferente ligna ad cremandos homines viuos, etsi ea non applicent, *iuxta D. Anton. 3. par. tit 28. c. 2. §. 5. Nauar. num. 217. Silu. Lud. Lop. & communiter, contra Med. in sum. §. 10.* 3

4. Concl. Causa remota occisionis non sit irregularis. Patet in Episcopo habēte iurisdictionem temporalem creante iudicem pro causa sanguinis. *Ita cap. Episcopus ne cleric.*

vel mona. Nam multum remotè concurrit ad occisionem: cum non det iudici facultatem occidendi; sed leges id iubent. Imò etsi præcipiat iudici inquirere aliquem reum,& facere iustitiam sub pœna deponendi eum, dum non moneat eum,vt damnet ad mortem,nec auctorizet sentētiam, aut eius executionem, non fit irregularis. Item patet in Doctoribus quæsitis an de aliquo delicto sit denuntiadũ, aut an aliquis mortem mereatur, & veritatem docentibus, nil aliud præcipiendo, aut consulendo. Sicut licitè id faciunt scribentes libros de hoc & hoc docentes in scholis & prædicantes quod rei puniantur. Imò & licet confessori negare absolutionem iudici nolenti occidere reum quem occidere tenetur. Nam in foro pœnitentiæ confessor habet se vt Deus, & actus iste est omnino occultus in foro Ecclesiæ, & occultior actu interiore, sed per actum interiorem non fit homo irregularis: cum irregularitas: sit pœna fori externi Ecclesiæ ergo.

4 Dub.6. *An accusans aut denuntians alterum fiat irregularis.*

1. Concl. Denuntians,aut testificans etiam sine protestatione in tribunali sanctæ Inquisitionis contra reum relaxandum brachio seculari, & cremandum, non fit irregularis. Quia denuntiat coram iudice non procedente ad sanguinis effusionem, & sic est causa remota occisionis. Et multo minus sunt irregulares Inquisitores, cum non proferant sententiam,sed declarent pœnam reis debitam,&relaxent eos iudici seculari. Et non solum protestantur se non intendere eorum mortem, sed etiam orant iudices, vt benigne se gerant cum eis. Et maxime, Quia *Paulus IV.& Pius V.* concesserunt Inquisitoribus, ac eorum Vicarijs, Commissarijs,Consultoribus, in isto tribunali procedentibus contra aliquem, ne fiant irregulares. *Ita in direct. in q. 2. par. com.* 20.

2. Concl. Accusans alterum etiam sine protestatione in ciuilibus, non fit irregularis,etsi accusatus ob aliud ad mortem damnetur. *Ita cap. postulast. de homici.* Et idem est si accuset eum de crimine non merente mortem, aut mutilationem, sed iniustè ad eam damnatur. *Ita Couar. in Clem. si furiosus, 2. p. §. 5. n. 1. & 3. & Nauar. n.* 214.

3. Conc. Denũtians sine protestatione in causa sanguinis fit irregularis,si reus occiditur,aut mutilatur. *Ita c. cleri ne*

cleri.

cleri.vel mona. Et intelligitur, etiamsi interius nolit alterius mortem, sed solam suam satisfactionem. Nam Ecclesia non iudicat de occultis. *Ita Lud.Lop.c.26.cum Couar.*

4 Conclusio. Detinens reum vt tradat iudici,& accusans in suam vtilitatem,protestando non intendere mortem,sed satisfactionem honoris, aut diuitiarum,& c.non fit irregularis,etsi sequatur mors. *Ita cap.Pralatis,de homi.in* 6.Etsi illud faciat ex odio, contra Siluest.Et licet illa protestatio fiat verbo tenus, contra Nauar. Nam in dicto cap.non fit mentio boni, aut mali animi, & alias illa protestatio non est effectus animi interni, nec ille animus est quid pertinens ad forum externum, nec causa mortis. *Ita Lud.Lop. & Couarr. num.*2. Et licet in dicto cap. Prælatis, solus clericus excipiatur ab irregularitate, tamen virtualiter excipitur secularis illo modo protestans, vt est communis sententia, & colligitur ex ratione illius cap. vtpotè ne metuentes irregularitatem non denuntient, & sic iniqui multiplicentur.

5.Conclusio. Probabile est non fieri irregularem, qui in fauorem alterius, & maximè Reip. accusat,testificatur aut patrocinatur contra alterum in causa sanguinis cum dicta protestatione. *Ita Caiet.*2.2.*qu*.40.*art*.4.*Bannez* 2.2. *q*.64.*art*.8.1.*par.dub*.5.*Soto,relec.tegen.men*.2.*qu*.4 Et videtur colligi ex ratione dicti ca. Prælatis,& ex cap.accusasti, de accusat. vbi à pœna liberatur, qui pro pace Reipu. cum dicta scilicet protestatione alterum accusauit ad mortem.Sed oppositum etiam est probabile.*Ita tenet Nauarr. cap*.27.*num*.215.*Enriq.tom*.2 *lib*.14.*cap*.11.*nu*.4. *Couarr. & Felin. in c.postulastis, de homici. & communiter*.Nam in cap. Prælatis, solum excipitur, qui cum protestatione accusat in suam vtilitatem.

Dub. 7.*An bellans,exhortans ad bellum,aut prabens arma bellantibus,fiat irregularis.* Et non est sermo de ecclesiasticis ista cum licentia Papæ facientibus, qui eo ipso dispensat cum eis in irregularitate, & alijs pœnis, etsi hoc non declaret, *vt ait Silu.verb.homicidium*.3.*& Couar.in Clemen:si furiosus*, 2.*p*.§.3.*num*.2. 5

1. Concl. Omnes bellantes in bello iniusto si sequitur mors aut mutilatio, etiam qui non occiderunt, aut mutilarunt, fiunt irregulares.*Ita Silu.verb.bellum*,3.Nam totus exercitus tunc est causa totalis, & singulus miles causa par-

tialis occisionis. Imò etsi non belles, si exhortaris, præparas, præbes arma, aut alia instrumenta belli, industriam, fauorem, aut consilium iniustè bellantibus, sis irregularis, si sequitur mors, aut mutilatio. *Ita communiter Canonistæ, & Bannes, 2.2.q.40 art.1.dub.4.* Isti enim sunt causæ morales mortis, &c.

2. Conc. Bellans in bello iusto si non occidit, aut mutilauit, non fit irregularis, etsi alij occiderint. *Ita Couar. Nauar. nu. 215. & communiter colligitur ex cap petitio, de homi. & ibi. Panor. & cap præsentium, & cap. continentia, de clerico percu.* Nam ille tunc non est causa homicidij directè cum non occiderit, nec indirectè, cum non teneatur à bello cessare. Et multo minus fit irregularis exhortans in bello iusto, etiam in actuali conflictu, *contra Silu. verb. bellum.* Et licet habeat in animo intentionem occisionis contra Nauar. loco citat. Nam c. quicumque 23. q. 8. absolutè conceditur clericis exhortari in bello iusto; ergo siue in actuali conflictu, siue quouis animo id faciant, dum non exprimunt verbis dictum animum, non fiunt irregulares.

3. Conclusio. Præbens in bello iusto instrumenta bellica etiam in actuali conflictu, sed sine intentione occisionis, aut mutilationis, non fit irregularis. *Ita Couarru. §. 4. num. 9.* Nam non aliter est causa mortis exhortando, ac præbendo arma, vtrobique enim est causa adiuuans extrinseca. Secùs fit si præbendo arma habeat intentionem occisionis, vt est communis sententia. Nec est idem de exhortante cum eadem intentione. Nam exhortatio non explicat exterius dictam intentionem: at arma ex se ordinantur ad occisionem, & sic data militibus sunt manifestatiua talis intentionis, si adsit.

4. Conclusio. Probabile est, quod quoties clericus non peccat bellando, & maxime, *vt ait Enriq. tom. 2. lib. 14. cap 11. num. 2.* si tenetur bellare pro defensione proximi, aut Reipub. grauiter oppressæ, non fit irregularis. *Ita Silnest. & Couarr. §. 4. num. 9.* Nam sine culpa non debet quis suo iure priuari. *Ita cap. ad limina, 30. quæst. 1.* Sed oppositum est communius: nisi alias defendendo Rempub. simul defendat se. *Ita Caietan. 2. 2. quæst. 33. articul. 7. Bannes, qu. 40. art. 2. iuxta dicta dub. 5.*

6 Dub. 8. *An membri mutilator fiat irregularis:* Et nota, quod

quod membrum iuxta Arist. 1. de parti. anima. ca. 5. est pars corporis à natura destinata ad aliquã operationem ab alijs distinctam, & ad perfectionem totius suppositi ordinatam, vt pes, manus, lingua. Et mamilla mulieris est membrum, *ait Bannes, cum Baldo. 2. 2 qu. 64. art. 8. contra Couarr.* Habet enim distinctum officium in fœmina decoquendi lac ad alendos infantes. Et testiculi etiam sine parte genitali, *iuxta Caiet. contra Nauar. ca. 27. num.* 206. sunt membrum. Ista ergo definitio membri communiter acceptatur à Theologis, & Canonistis, *de qua Couarr. in Clement. si furiosus. 3. part. in princip. num.* 8. *&* 9. *Nauar. & Thomista. 2. 2. q. 65.*

1. Concl. Mutilator membri alterius fit irregularis; cum mors, & mutilatio in irregularitate æquiparentur in Clementina, *si furiosus.* Nisi alias mutilatio fiat ob sanitatem, vt patet in chirurgo, qui iuxta communem sententiam liberatur ab irregularitate, nisi ex sua negligentia infirmus moriatur, aut mutiletur.

2. Conclu. Abscissor cartilaginis auris, aut etiam trium principalium digitorum, non fit irregularis. *Ita Bannes 2. 2. q. 64. art. 4. Couar. in Clement. si furiosus, 4. part. num. 8. & 9. Nauar. cap 27. num.* 206. *& communiter contra Caiet. 2. 2. q. 65 art. 1. & Soto, 2. de iustitia, qu 5. art.* 1. Nam mutilare, ait glossa in dicta Clementina, est membrum omnino à corpore separare, sed cartilago auris, & digiti iuxta dicta non sunt membra contra Caiet. & Soto, sed partes membri: ergo abscissor istorum non fit irregularis. Ista etiam concl. est contra Siluest. verbo, *homici.* 3. & Panormit. in cap. *cum illorum, de sentent. excommunicat.* Et contra asserẽtes manere irregularem, qui alterum facit irregularem. Sed hoc patet falsum. Nam qui alterius membrum debilitat, aut arefacit, non fit irregularis, *ait Nauar. num.* 207. bene tamen debilitatus, aut arefactus. Sic etiam non obstat, quod amputatus digitis, aut auris cartilagine fit irregularis, & non amputator.

Dub. 9. *Quis dispenset in irregularitate iusta occisionis.*

1. Conclusio. Probabile est posse Episcopum dispensare. *Ita Caiet. verbo. irregularitas, & Couar. in Clement. cit. 2. part.* §. 3. Et id colligunt ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. vbi conceditur Episcopis dispensare cum sui subditis, & in

sua diœcesi, in irregularitate orta ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum, excepta irregularitate homicidij voluntarij, vtpote iniusti. Nam homicidium dicit occisionem hominis iniustam.

2. Conclusio. Probabilior est opposita sententia Nauarri *in man. cap. 27. n. 194. & 239.* Nec in dicto decreto Cōcilij id conceditur Episcopis, dum excipitur homicidium volūtarium. Nam etsi ibi solum excipiatur occisio hominis iniusta, ibi nomine homicidij intellecta; ex hoc tamen nō infertur posse Episcopum dispensare in irregularitate iustæ occisionis hominis. Nam ibi solum fit exceptio irregularitatis ortæ ex delicto, & sic cum homicidiū seu occisio hominis iusta non contineretur in illa vniuersali concessione, cum non sit delictum sicut nec irregularitas bigamiæ, sic neutra istarum erat necessario excipienda. *Ita Ludou. Lopez, cap. 30.*

3. Conc. Episcopus potest com isto dispensare ad Ordines minores, & ad beneficium simplex. *Ita tenent multi: ait Medina in summa. cap. 11. §. 12. de irreg. & Lud. Lop. c. 30.* Imò, & vt retineat curatum, obtentū, vt dicetur de homicida casuali, dub. 12. Nam hoc homicidium, vt casuale & indirectè voluntarium reputatur, *vt ait Couar. in dicta Clemen. 2. p. §. 3. & Caiet. ver. irregularitas.*

DE IRREGVLARITATE OCCISIONIS, & mutilationis iniustæ.

SVMMARIVM.

Iniustus hominis occisor aut mutilator, & causa morales, quomodo irregulares, n. 1.
An cum multi aliquem vulnerauerunt, si postea moriatur fiant omnes irregulares. n. 2.
Quando homicidium casuale inducat irregularitatē. n. 3.
Quis dispenset in irregularitate iniusta occisionis & mutilationis. n. 4.

1 DVB. 10. *An iniustus homicida, aut mutilator sint irregulares; & sermo est de homicida & mutilatore directè voluntarijs: nam de casuali dicetur dub. 12.*

1. Conclu. Omnis causa physica, aut moralis proxima iniustæ

iniustæ occisionis, accelerationis mortis, aut mutilationis, fit irregularis. Patet à fortiori ex 3. conclusione dubij 5. Et causæ morales sunt. 1. Causa imperans, si suo imperio etiā interpretatiuo sequitur occisio, aut mutilatio; secus sit, si sine illo sequeretur. 2. Causa consulens, aut exhortans eadem limitatione ac de causa imperante. Et qui consulit occisionem, etsi statim reuocet consilium aut exhortationem, nisi contrarium persuadeat, fit irregularis si sequitur occisio, aut mutilatio: *Ita Nauar. cap. 27. num. 23. Lud. Lop. cap. 28.* 3. Causa non obstans, & non impediens, occisionem; si ex iustitia ad id tenetur, & cum posset, sciēter, aut negligenter omisit. *Ita Doctores ait Bannes, 2. 2. q. 64. art. 8. 2. p. dub.* 1. Patet in Prætore non defendente ciuem; in medico ex pacto medente infirmum, cuius negligentia moritur; *iuxta cap. ad aures, de ætate præst.* Et in eo qui pro suo posse nō impedit alios tractantes de vindicando iniuriam sibi illatam, & sequitur mors, aut mutilatio. *Ita Con. rel. de homic. 2. p* §. 2. *Nauar. & Bannes.* Nam tunc tacere est consentire; imò & exhortari; & ex iustitia tenebatur tunc impedire illud malum, *vt ait Angel. & Siluest. verb. homic. 1. Cou. 2. p.* §. 2. *n.* 8. Secus si illud ignorauit, aut non potuit impedire aut monere occisum vt se tutaret, *iuxta c. Petrus, de homicidio.* Dixi si ex iustitia, scilicet propria, tenetur impedire. Nā si ex sola misericordia teneâris, vt si non pascis fame morientem, non fis irregularis. *Ita D. Ant. 3. p tit. 29. cap. 2. Nauar. n. 231. Lud. Lop. c. 28. contra Sil. verb homicidium 2. & Angel. homicidium. 1.* Imò etsi iuxta aliquos fit irregularis, qui ex iustitia largè dicta tenetur alterum à morte defendere, si non facit cum possit; sicut patet qui ex pietate tenetur defendere filium, & è contra: tamen hoc nō admittitur à *Bannes.* alias frater nō defendendo fratrem, & amicus amici, essent irregulares; cum ad id ex iustitia largè dicta teneantur. Item qui impedit alterum ne defendat proximū, si ex hoc sequitur mors, aut mutilatio, fit irregularis, *Ita Nauar. nu.* 231. Et intelligitur, & de impediente etiam consulēdo obligatum ex iustitia defendere, & de impediente vi aut dolo eum qui ex sola charitate defendere tenebatur. Nā vtrobique impeditor peccauit cōtra iustitiā. Nisi quando pater præcipit filio aut seruo, vel amicus hortatur amicū, ne alterū defendāt, nō malo animo, vt inuasus occidatur, sed ne & ipsi periclitētur. *Ita Ang. ver. homic.* 1.

Dub.

Dub. 11. *An si multi vulnerant alterum, & moritur, fiant omnes irregulares.*

2 1. Concl. Si alter eorum non intulit vulnus lethale, non fit irregularis. Nam ex sua actione non est secutum homicidium. *Ita c. significasti, de homicidio.* Et intelligitur nisi iste communi conspiratione conuenerit cum alijs occisoribus, *vt ait Silu. ver. homicidium*, 1. *& Lud. Lop. 2. p. c. 28.* Et patet ex dictis dub. 7. conclusione 1. de bellantibus in bello iusto.

2. Concl. Si primum vulnus fuit lethale, cui superuenere alia lethalia vulnera, & non constat ex quo vulnere sit immediatè mortuus, omnes vulneratores sunt irregulares. *Ita cap. cit.* Et idem est si dubitetur de aliquo vulnere, an fuerit lethale, iuxta dicta in principio de dubio facti. *Ita Lud. Lop. cum aliis.*

3. Concl. Si primum vulnus fuit lethale, & certo patet non ex illo, sed ex alijs postea illatis obijsse, videtur primum percussorem non esse irregularem, iuxta aliquos Canonistas teste Couar. Nam ad irregularitatem requiritur occisio cum effectu. Sed Couar. & alij quos refert, & sequitur Lud. Lop. tenent oppositum, etiam quando dubitatur de primo vulnere, an sit lethale. Hæc de homicidio iniusto directè voluntario.

3 Dub. 12. *An homicidium casuale inducat irregularitatem.* Et dicitur homicidium casuale, quod iungitur alicui causæ per accidens, & à casu. Et est duplex, aliud pure casuale, quando nec est intentum, etiam virtualiter nec præuisum in illa causa per accidens. Et hoc non inducit irregularitatem, cum nullo modo sit voluntarium, *vt habetur cap. lator, cap. dilectus, cum tribus sequentibus cap. Ioannes, & cap. quidam, de homicidio.* Aliud est quod saltem indirectè est volitum in illa causa, vt si sit in ea præuisum formaliter, aut virtualiter in negligentia considerandi, etsi non sit intentum.

1. Conclusio. Qui dat operam rei etiam illicitæ, alias non periculosæ homicidij, aut mutilationis, non fit irregularis, si non intendit, nec præuidit mortem, aut mutilationem secutam. *Ita Soto, 5. de iustitia, qu. 5. art. 9. Medin. 1. 2. quæst. 73. art. 8. Couar. in Clementina, si furiosus, 2. part. §. 3. num. 10. & Bannes, 2. 2. qu. 64. art. 8. contra Caiet. Silu. verbo homicidium, 2. & Nauar. cap. 27. num. 221.*

Sed

Sed conclusio colligitur ex cap. quantum, d. 50. vbi excusatur ab irregularitate, qui equis furto captis calcatam mulierem in via occidit. Nam mors tunc fuit volita in se, vt patet nec in sua causa per se, sed per accidens, & præter intentionem iungitur actioni furandi. Nec est volita indirectè: cum non teneatur vitare illud furtum in ordine ad homicidium; & sic homicidium hoc tanquam purè casuale reputatur.

2. Concl. Probabile est, quod qui dat operam rei illicitę alias periculosæ homicidij, fit irregularis, si sequitur mors, aut mutilatio, etsi posuerit diligentiam ne sequatur: *iuxta Bannes, 2. p. dub. 3. Soto, Lud Lop. 2. part cap. 27. Coua. §. 4. num. 10. vbi citat. Castro, Ancharr. & Villadiego.* Et probant 1. Nam cum illa actio sit periculosa homicidij, eam exercens vult virtualiter homicidium. 2. Patet à simili de illo qui mandauit seruo alterum verberare solum, & tamen verberatus interijt: & mandator iudicatur irregularis, cap. fin. de homicidio, in 6. Patet 3. in illo qui videns furem fugientem cum rebus suis, clamauit, fur, fur, & venientes vicini ad eius voces furem occiderunt, & vociferator etiam si protestetur, ne illum occidant, fit irregularis. *Ita communiter, ait Lud. Lop 2. part. cap. 26. Et concl. videtur D. Thomæ, 2. 2. quæst. 64. art. 8. ad 2. & 3.*

3. Conclusio. Probabile etiam est oppositum 2. conclusionis. Ita Cano, 1. 2. *qu. 73. art. 8.* & Penna explicando D. Thom. 2. 2 *q. 64. art* 8. qui videtur fauere huic sententiæ, dum ait, quod ob negligentiam considerandi imputantur homini damna secuta, si dabat operam rei illicitæ, id est, non ex eo solum quod daret operam rei illicitæ. Et sic intellige dicta decreta secundæ conclus. Et patet conclusio. Tum ex c. *tua nos de homic.* Tum etiam, nam illud homicidium non est directè, & per se volitum, vt patet, nec indirectè, cum nec etiam virtualiter fuerit intentum, nec præuisum in negligentia considerandi, iuxta dicta 1. 2. qu. 73. art. 8. Ergo non imputatur, nec ad culpam, nec ad pœnam. Et huic accedit declaratio Congregationis Cardinalium, de qua Nauar. in man. *cap. 27. num.* 240. Quod non fit irregularis, qui mandauit alicui alterum percutere baculo, & armis percussit & occidit. Sicut nec fit irregularis, qui mandauit homicidium committi in vnam personam, si committitur in aliam.

4. Con-

4. Concl. Qui dat operam rei illicitæ,& periculosæ homicidij,aut mutilationis, si omissa sufficienti diligentia sequitur mors,aut mutilatio, fit irregularis. Patet ex dictis. Patet etiã in eo,qui ob litteras amatorias missas adulteræ, aut ex eo quod ea insequitur, est in causa, quod adultera à marito occidatur, tunc adulter fit irregularis. *Ita Nauar. num.238 Innocent. in cap. ad audientiam,de homicidio, & Hostien. & Ioannes Andr.relati à Lud.Lop. 2.part.c.25. & communiter*. Et hæc sententia placuit *Pio Quinto* cum in sacra Pœnitētiaria casus iste disputaretur. Et patet: Nam illa insecutio adulteræ cum suis circumstantijs considerata,est periculosa,& satis ordinata ad mortem, attento feruore zelotipiæ, qui ad vindictam mortis sumendam de adultera rapit virum Ex dictis patet,quod si seruiens infirmo des ei vetita à medico ex quo moritur, aut acceleratur mors, fis irregularis. Secùs si des non vetita, credens profutura. Nisi alias sis ita negligens, quod cum posses aduertere, & consulere, an illa noceant, non fecisti. Nam si tunc certum sit ex hoc mortem,aut eius accelerationem secutã, fis irregularis ob negligentiam. At si non sit certum, non credas ex hoc mortem secutam. *Ita D. Anton. 3.par.tit.18. cap.2.* §.6.

5. Concl. Qui dat operam rei licitæ,sed periculosæ homicidij, aut mutilationis,si omissa sufficienti diligentia sequitur mors,aut mutilatio,fit irregularis. *Ita D.Thom.2.2. q.64 art.8.& Bannes,& habetur c.ad audientiam,de homicidio.* Et patet in casu clamantis *fur.* posito in 2. Concl. Et intelligitur nisi alias ille habeat ius ad illam rem licitam, aut quia ex præcepto tenetur ad eam, aut quia ex illa sequitur pia vtilitas, seu iusta necessitas. Et patet hoc ex doctrina Thomistarum, 1.2.q 78.art.8. circa pollutionem. Patet etiam in medico applicante licitè medicinam per se causatiuam salutis, & per accidens causatiuam aborsus. Et idem dic in sententia asserente quod qui defendendo patrem, patriam, aut proximum occidit cum moderamine inuasorem, non fit irregularis. Nam in his & similibus mors non est volita directè, & ex intentione, vt patet,nec indirectè: cum non teneamur tunc vitare illam causam per accidens illius.

6. Conclus. Vt in dictis casibus incurratur irregularitas, requiritur negligentia mortalis. *Ita Soto,5.de iust.quæst. 1.art.*

1.*art.9.Bannes,2.2.q.64 art.8. 2.part. dub.2.contra Caiet. ver.irregularitas, Siluest.ver. homici.2. Couar. loc.cit.§.4. num.9. & contra Lud.Lop. 2.part.cap.29.* Sed concl. patet ex cap. quæsitum, de pœnit. & rem. vbi Sacerdotes Græci excusantur ab irregularitate ob mortem suorum filiorum paruulorum: si tamen malitiosè non procurarunt eam, aut ex negligentia non studiosa sit mors secuta. Ergo non incurritur irregularitas, quando negligentia est leuissima, qualis est culpa venialis.2.Irregularitas est durissima pena: ergo supponit graue peccatum, vtpotè mortale, sicut dixi de excommunicatione. Ex quo patet,quod ignorantia, aut inaduertentia excusans à culpa mort. cui est annexa irregularitas, aut alia censura, excusat etiam à tali censura.

Dub.13. *Quis dispenset in irregularitate iniusta occisionis, & mutilationis.* 4

1. Conclusio. Irregularitas iniustæ mutilationis olim erat Papæ reseruata,in cap.2. de cler. pug.in due.Sed iam ex concessione *Concilij Trident. ses. 24. cap.6.* dispensat Episcopus, & eius Vicarius cum sibi subditis, & in sua diœcesi in omni irregularitate orta ex delicto occulto, nõ deducto ad forum contentiosum, sola irregularitate homicidij excepta. Et sic poterit dispẽsare in ista irregularitate alias occulta,cum ibi non excipiatur. *Ita Lud. Lop. c.22. & Nauar. in man. c.27. n.194.*

2.Conclusio. Episcopus iuxta cap.ad audientiam,de homicid. potest dispensare cum homicida casuali, etiam publico, vt vtatur minoribus Ordinibus iam susceptis. *Ita Couar.in Clementina,si furiosus,2.p.§.3.num.9.* Imò ex eo quod cum isto potest dispensare ad beneficium simplex, *iuxta cap.2.de cleri.pug.in due.* poterit,ait Nauar. cum eo dispensare vt recipiat Ordines minores, maximè si hoc sit necessarium pro obtinẽdo beneficium simplex, *vt ait Lud. Lop.cap.30.* Item potest Episcopus cum isto dispensare, vt retineat curatum obtentum iuxta communem sententiam, vt ait Lud. Lop. sed non ad obtinendum illud de nouo, *vt ait Nauar.num.240.& Couar. §.3. contra Medin. in sum. §.12. cap.11.*

DE IRREGVLARITATE QVÆ EST POENA.

SVMMARIVM.

Irregularitas quæ est pœna, quando & à quibus incurrâtur. num. 1.

Quis in ea dispenset. n. 2.

DVB. 14. *Quando incurritur ista irregularitas.* Et suppono ex dictis dub. 12. conclus. 6. non incurri ob culpam ven. *contra Caiet.* Sed requiritur culpa mort. *ait Naui in manu. c. 27. num. 249. & Lud. Lop. 2. p. c. 29.* Et colligitur à fortiori ex dictis de homicidio casuali; cum ista irregularitas sit purè pœna.

1 1. Conclusio. Rebaptizatus etiam ex ignorantia, sed culpabili est irregularis. *Ita ca. quinis, & cap. eos quos de conse. d.* 4. Et de acolyto ministrante dicitur cap. *ex litterarum, de apost.* quod si eius peccatum sit publicum, non promoueatur ad sacros Ordines, nisi intret Religionẽ, sed de rebaptizante nihil exprimitur in iure. At iuxta communem sententiam vsu comprobatam fit irregularis, etsi ex ignorantia aliàs culpabili rebaptizet. Non enim est credibile, velle Papam ita grauiter punire ministrãtem rebaptismo, & non rebaptizantem, qui grauius peccat. Sed qui rebaptizat etiam scienter sub conditione, etsi peccet mort. non fit irregularis *Ita Nauar. num. 246. contra Soto, d. 2. q. 1. art. 9. & Lud. Lopez cap. 29. vbi citat pro se Victo, Cord. & Ioseph.* Sed nostra Sententia patet. Nam solis rebaptizantibus ponitur pœna irregularitatis, sed iste non rebaptizat, nec intendit rebaptizare; cum apponat conditionem excludentem rebaptizationem, sicut nec rebaptizat, qui ob metum externum sine intentione rebaptizat. Ergo.

2. Conclusio. Ordinatus per saltum, vtpotè, recipiendo Ordines maiores ante minores, aut vnum Ordinem maiorem ante alium, & peccat mort & fit irregularis, nec potest recipere Ordinem omissum sine dispensatione. *Ita Ludou. Lop. c. 29. & Ledesm. cap. 6. de Ordine, cum Silu. & Nauar. iuxta ca. 1. de clerico per saltum prom.* Etsi alij tenent probabiliter, quod solùm manet suspensus ab Ordine per sal-

tum

tum recepto, alij quod nec suspensus, nec irregularis. Item peccat mort. & fit irregularis, qui eodem die recipit duos Ordines maiores, & ordinator manet suspensus à collatione taliū ordinum. *Ita cap litteras, & cap. dilectus, de temp. ordi.* Imò & qui eodem die recepit Ordines minores, & subdiaconatū. *Ita c. 2. de eo qui ord. furt*, etsi ex vsu excusari possit: *ait D. Anton. 7 part. tit. 14. cap. 16. §. 16.* Item fit irregularis, qui ornatur maioribus ordinibus ab Episcopo qui renuntiauit loco, & dignitati. *Ita cap. 2. de ordinato ab Episcopo, qui ren.* Item fit irregularis ordinatus ab Episcopo excommunicato suspenso, vel interdicto, alias denuntiato, aut aliter nō tolerato, *iuxta extra, insuper ad euitāda, de quā Caieta. verb. excōmunicatio minor*, & ordinatus ab hæretico, schismatico, simoniaco, degradato, vel deposito, *ita colligit Ludou. Lop. cap. 30. argumento cap. gratiam, 1. q. 1.*

3. Conclusio. Clericus qui ex officio vtitur Ordine à se non habito, est deponendus, nec amplius ordinatus. *Ita cap. 1. & 2. de cleri. non ordin. minis. Enriq. tom. 2. lib. 14. c. 6. num. 1. Soto, d. 4. art. 3. Nau. nu. 241. & Lud. Lop. cap. 29.* Et patet in non Sacerdote celebrante, baptizante solemniter, etiam in extrema necessitate, vel absoluente. Et in non subdiacono canente epistolam cum manipulo, & non diacono canente Euangelium cum stola.

4. Concl. Prælatus, aut dominus excommunicatus, suspensus, scilicet à diuinis, aut interdictus, qui audit officia diuina authorizando illa, faciendo aliquem Sacerdotem coram se celebrare, aut si ipse nulla censura ligatus facit vt aliquis censura ligatus coram se celebret, fit irregularis. *Ita glossa in Clement. 2. de priuil. approbata per plures, & Ludou. Lop. 2. part. cap. 29. cum Panormit. Ioan. And. & Hostien. in cap. 2. de cleri. excom. minis.* Non tamen fit irregularis qui celebrat coram excommunicato. *Ita cap. is qui, de sentent. excommu. in 6.* Nec qui dat excommunicato licentiam celebrandi, nec astantes Missæ *contra Cordo, & Nau. nu. 28.*

5. Conclusio. Excomunicatus excommunicatione maiori ministrans in Ordine maiori, aut de nouo recipiens illum; suspensus etiam, aut interdictus violando suspensionem, aut interdictum iuxta dicta in tracta. de suspensione, & de interdicto, & peccant mortaliter, & fiunt irregula-

res, vt ibi ostendi. *Et nota*, quod pluries excommunicatus, suspensus, aut interdictus vnam solam irregularitatem incurrit celebrando semel, sicut qui celebrat cum multis peccatis mortalibus vnum solum peccatum committit. At qui fit irregularis ob delictum, quoties illud committit incurrit nouam irregularitatem, vt patet in pluries rebaptizante, & in excommnnicato, suspenso, aut interdicto pluries celebrante. Et vt dispensetur in omnibns illis irregularitatibus debet explicare earum numerum, etsi vna absolutione tollantur. Et iste est stylus curiæ, vt notat Nauar. in additione.ad cap.27.num. 52.

Dub. 15. *Quis dispensat in dicta irregularitate.*

1. Conclusio. Episcopus per se, & per Vicarium ad id specialiter deputandũ dispensat in foro cõscientiæ in omni irregularitate orta ex delicto occulto alias non deducto ad forum contentiosum cum sibi subditis, & in sua diœcesi. Ita in Concil. Trident. sess.24. cap. 7. de reformat. & dicitur occultum, etsi alias sit probabile in iudicio. *Ita Couarr. in Clemen. si furiosus 2.part. §.3. num.9. Et vt probabile acceptatur à Bannes, 2. 2. q. 64. art. 8.*

2. Conclusio. Probabile est nullam irregularitatem esse dispensabilem per Bullam Cruciatæ: cum ita teneant Canonistæ, *cum Nauarr. in manual. capite 27. numero 250.* Probabile etiam est, quod per bullam est dispensabilis omnis irregularitas, quæ est pœna. *Ita Soto, dist. 22. qu. 3. articul. 1. Medina in summa tractat. de irregul. §. 9. cum Cano, Bannes, 2. 2. quæst. 64. art. 8. Et communiter Thomistæ.* Et patet. Nam in Bulla conceditur facultas absoluendi ab omni censura, sed irregularitas, quæ est pœna, est censura, iuxta dicta supra tracta. de censuris in communi: ergo. Hæc de irregularitate, & de omnibus censuris.

DE STATV
RELIGIONIS
ET DE
PRIVILEGIIS,
QVIBVS A SVMMIS
PONTIFICIBVS
EST DECORATVS,
EPITOME.

Auctore R.P.F. IOANNE DE LA CRVZ Talabricensi Theologo Sacri Ordinis Prædicatorum.



VENETIIS, M.DC.LXXX.

Typis Antonij Bosij.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

CENSVRA.

DE Mandato nostri Reuerendissimi Magistri Prioris Prouinicialis Fratris Ioseph Goncalez, vidimus *Epitomem de statu Religionis & de priuilegijs quibus à summis Pontificibus est decoratus*, compositam à R.P.F. Ioanne de la Cruz, & inuenimus in ea doctrinam securam, & veram, ac pro bono & defensione sacrarum Religionum, non solum vtilem, sed etiam necessariam, siquidem breuiter & compendiosè priuilegiorum & exẽptionum, quibus status religiosus illustratur, notitiam præbet. Dat. in nostro Conuentu Sancti Thomæ de Madrid, 26. die Iunij, anni 1613.

F. Ioannes de la Puente M.

F. Augustinus Spinola M.

Facultas Reuerendissimi Prouincialis Auctori facta.

NOs Frater Ioseph Goncalez, sacræ Theologiæ Professor, ac Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum Prouincialis, facultatem concedimus fratri Ioanni de la Cruz, habitanti in nostro Conuentu S. Thomæ de Madrid, vt præmissis quæ sacrum Conc. Trid. & pragmaticæ istorum regnorum circa impressionem librorum disponunt, possit prælo mandare quandam *Epitomem de statu Religionis & de priuilegijs, quibus à summis Pontificibus est decoratus*, cùm à personis doctissimis & valde grauibus nostræ sacræ Religionis, quibus hoc opus commisimus, sit approbata. Datis in nostro Conuentu S. Thomæ de Madrid, 28. die Iunij, anni 1613.

F. Ioseph Goncalez Prior Prouincialis.

CENSVRA OPERIS.

DE Mandato supremi Senatus Regij accuratè vidi *Epitomem de statu Religionis, & de priuilegijs, quibus à summis Pontificibus est decoratus*, compositam à P.F. Ioanne de la Cruz ex sacro ordine Prædicatorum, & nihil in eo inueni fidei Catholicæ, aut veræ sapientiæ dissonum, quin potius accuratam in explicandis summorum Pontificum & Conciliorum decretis diligentiam, solidam ac veram Patrum & doctorum doctrinam ad vnguem enucleatam, cœlestem Religionis statum, eiusque priuilegia, quibus à Sede Apostolica illustratur, pro virili ab erroribus hæreticorum vindicata, quæ omnia distinctè, clarè, & subtiliter, in hoc aureo opere ab auctore traduntur, non sine incredibili facilitate & fœlicitate, quare vt typis præloque mandetur, in Theologorum gratiam & magnam religiosorum vtilitatem, omnino censui. Madrid, 16. mensis Iulij, anno 1613.

Gundisaluus Sanctius Luzero sacræ Theologiæ Doctor.

SAPIENTISSIMO MAGISTRO PROVINCIALI SACRI Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Hispaniæ dignissimo, eximioque Philippi III. Hispaniarum Regis Concionatori, atque Confessori meritissimo Principis Hispaniarum, P. F. IOSEPH GONCALEZ, suus Filius F. IOANNES DE LA CRVZ, perpetuam fœlicitatem exoptat.



ONSVETVM est, Præsul dignissime, volentibus suas lucubrationes in lucem prodere, pro eorum patrocinio patronos eligere. Huius opusculi materia, etsi ita grauis sit, stylus tamen humilis, & auctor humillimus auxilium vestræ Reuerendissimæ P. implorat, cui Religionum priuilegia defendere valde proprium est, vtpote

qui inter omnes Religiosos literis & religione præstas, in insigni Vallisoletano Cœnobio nutritus, & à Catholicissimis Hispaniarum Regibus & Principibus ad munera ita honorifica euectus. Quamuis enim cœlestis Rex cum officijs simul & sufficientiam pro illorum exercitio conferat, Reges tamen terræ cum cunctipotentes minimè sint, ad sufficientiam pro officijs eligendorum maximè attendunt: ista autem in te cum tanto cumulo reperitur, quantum par est pro talium munerum exercitio, ad laudem & gloriam Dei, totiusque nostræ Religionis decus. Vale.



AD LECTOREM.

IN isto opere summa qua potero breuitate referam Religiosorum priuilegia, tam circa spiritualia & sacramenta, quàm etiam circa temporalia: & quia plurima priuilegia sunt reuocata, maximè in Concil. Tridentin. vt ostendimus: vt ex non reuocatis multa idem omnino concedant, ex istis quæ clarius & efficacius illud tribuunt, in medium proferam: cum nostræ intentionis sit, vt hoc opus præ manibus à religiosis habeatur, in quo sui status obligationem & potestatem, tam in ordine ad se, quam in ordine ad sæculares, sibi à iure, aut priuilegio competentem, facile videre possint: Bullas autem & viuæ vocis oracula in isto opere citata inuenies authentica in Bullario Reuerendi admodum P. F. Emmanuelis Rodriguez, & pro alijs multis & necessarijs ibi deficientibus, citantur aliorum Auctorum compendia quæ licet authenticata ibidem non sint: valent saltem pro foro conscientiæ.




INDEX CAPITVM

Libri Primi.

INDEX CAPITVM

Libri Secundi.





LIBER PRIMVS DE STATV RELIGIONIS.

PROLOGVS.



N isto libro explicatur, in quo consistat status Religionis, & ad quæ Religiosus ex vi suæ professionis obligetur, qualiter suis superioribus, vt patribus, vt iudicibus & vt prælatis subdatur, & quanta sit istorum superiorum potestas, tam ex iure communi, & particulari suarum legum, quàm etiam ex priuilegijs eisdem competentibus, ad gubernandum, & puniendum, ad ligandum & soluendum subditos suos in vtroque foro.

CAPVT I.

De statu in communi.

SVMMARIVM.

Quid sit status. n. 1.
An episcopus possit fieri religiosus n. 2.
Quæ sit diuersitas statuum in ecclesia. n. 3.
Status episcoporum est omnium perfectissimus. n. 4.
Status religiosi præstat statu Curati. n. 5.

1 DVB. 1. *Quid sit status.* *Prima conclusio.* Status est dispositio conueniens homini secundum modum suæ naturæ (vtpotè cum libertate & non coactè) cui obligatur homo cum quadam immobilitate, & firmitate. Dicitur, cui homo obligatur, quia licet laicus faciat omnia quæ facit Religiosus, non tamen est in statu religionis: cum non exerceat illa ex obligatione; & dicitur, cum quadam firmitate, & immobilitate; quia sicut in corporalibus quod facile mutatur non est stabile, & quod mouetur, non stat; sic in spiritualibus; ista tamen firmitas, & immobilitas causatur per solemnitatem voti, sicut & contractus ciuilis firmatur per solemnitatem iuris; vnde viduitas & virginitas quæ non sunt voto firmatæ non sunt status, nec etiam Clericatus, cum ex illo ad coniugium possit Clericus retrocedere. Quamuis enim qui est in vno statu possit ad statum altiorem ascendere, sicut religiosus licitè ad Episcopatum ascendit; non tamen potest à statu religionis ad inferiorem statum retrocedere. Prædicta doctrina est communis Thomistis cum *D. Thom. & Caiet. 2. 2. quæst. 183. art. 1.* Si arguas, quòd potest Episcopus *retrocedere ad statum religionis;* Ergo *est licitus transitus à superiori ad inferiorem statum.*

2 *Ad hoc argumentum Respondetur.* quod Episcopus dum manet Episcopus, vtpote cum cura animarum non potest fieri monachus, si tamen non valente suorum subditorum salutem procurare; & suis ouibus proficere ob impedimenta statim à nobis numeranda, tollatur ab eo cura animarum, ex qua constituitur in statu Episcopali, & ad quam retinendam non obligatur ex voto, poterit tunc fieri monachus. Pro cuius maiori explicatione, *Nota ex D. Thom. 2. 2. quæst. 184.*

art.

art.4. quod dum Episcopus suis omnibus prodesse potest, non potest Episcopatum deserere, ob quietem etiam contemplationis. Paulus enim *ad Ephes.1.* ob necessitatem subditorum à contemplatione beatitudinis se deferri patienter tolerauit. Ob aliquas tamen causas potest Episcopus de licentia Papæ Episcopatum deserere, & Religionem intrare, & harum *prima causa* sit, ob defectum conscientiæ, vt si sit homicida, aut symoniacus. *Secunda*, ob defectum corporis, aut salutis, vt si sit senex. *Tertia*, ob defectum scientiæ requisitæ. *Quarta*, ob irregularitatem. *Quinta*, ob defectum subditorum, quibus Episcopus prodesse non potest. *Sexta*, quando ex alicuius prelatione graue oritur scandalum, nisi aliàs scandalum oriatur ex malitia volentium fidem, & iustitiam calcare: seclusis tamen prædictis causis, erit peccatum mort. illa dispensatio, nec erit valida, quia Episcopus iure diuino astringitur curæ animarum: sed Papa non potest dispensare in iure diuino, nisi iuxta voluntatem veri domini, quæ talis præsumitur esse, vt cum causa legitima dispenset, seu declaret ius diuinum non obligare tunc, & alias non: ergo.

Dub.2. *An in Ecclesia sit diuersitas statuum. Prima conclusio.* In Ecclesia est diuersitas statuum, vt Episcoporum, & Monachorum, sicut & diuersitas officiorum, vt Prædicatorum, & Doctorum. *Ita D.Thom.2.2.q.184. art.2.* hoc enim pertinet ad Ecclesiæ perfectionem: sicut enim in naturalibus perfectio, quæ est in Deo simpliciter, non potest esse in creaturis nisi multipliciter: sic perfectio gratiæ, quæ in Christo sicut in capite adunatur, ad eius membra diuersimode redundat, vt sic corpus Ecclesiæ perfectum sit. Vnde dicitur de Christo ad *Ephes. 4. Ipse*, scil. Christus, *dedit quosdam Apostolos, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum*: & hoc ita expedit, tum ad necessitatem actionum Ecclesię, quæ vt expeditius exerceantur & sine confusione, debent ad eas diuersi homines deputari, tum etiam ad dignitatem & pulchritudinem Ecclesiæ quæ in quodā ordine cōsistit. Vnde *3.Reg.10. videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, habitacula seruorum & ordines ministrantium, non habebat vltra spiritū.*

2. Conclu. Differentia status sumitur ex ordine ad perfectionem, prout vnus status est altero perfectior; differentia tamen officiorum sumitur ex ordine ad diuersas actiones, differentia verò graduum sumitur per respectum ad ordinem

dinem pulchritudinis Ecclesiasticæ, prout in eodem statu & officio vnus est altero superior, vnus præest, & alter est subditus. *Ita D.Thom. 2.2.q.184 art.3.*

3. Conclusio. Status largè sumptus diuiditur in incipientes, proficientes, & perfectos. *Ita D.Thom. art.4.*

4 Dub. 3. *Quis status sit perfectior. Prima conclusio.* Status Episcoporum est omnium perfectissimus. *Ita D.Thom. art.7.* Et oppositum est erroneum, quia Episcopi obtinent locum Apostolorum, sed esset erroneum negare statum Apostolorũ esse alijs statibus perfectiorẽ, secundum illud 1.*Cor.*12. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, &c.* Et idem Apostolus ad Ephes.4. ait, *Nos sumus primitias spiritus habentes. Secundò*, ad statum Episcopi requiritur vitæ perfectio, *vt ait D.Thom.2.2.q.185.art.1.ad 2.* & constat ex illo, *Ioan.* 21. vbi Christus antequam Petro pastorale officium committeret, ab eo quæsiuit an ipsum plus cæteris Apostolis diligeret. Secundo, Episcopi munus est, alios, etiam Religiosos ad perfectionem adducere: ad statum autem Religiosi non requiritur vitæ perfectio, sed Religio est via ad perfectionem. Vnde Christus *Matth.*19. non dixit adolescenti, Si es perfectus, sed, si vis perfectus esse, vade, & vende. Et ratio istius differentiæ est, quia secundum *Dion. de Eccles. Hierar. cap.6.* perfectio pertinet ad Episcopum actiuè sicut ad perfectiorẽ, ad Monachum autem passiuè sicut ad perficiendum; requiritur verò, quod sit perfectus, qui alios debet ad perfectionem adducere, non sic autem, qui debet ad perfectionem adduci.

Si argu. *Qui vouit Religionem debet prius intrare Religionem, quam acceptare Episcopatum, vt diffinitur in c. per tuas, de voto: ergo status Episcopi non est perfectior.* Ad hoc respond. quod quando perfectio vnius rei includit alterius rei perfectionem, & alias sunt incompatibiles, qui vouet, quod est minus, satis implet votum, si omissa re minore faciat maiorem, vt si vouisti perpetuo seruire hospitali, imples votum intrando Religionem, *vt habetur in ca. scriptura, de voto*, at Episcopatus etiamsi sit status perfectior compatitur secum statum Religionis, & sic in dicto casu prius ille debet fieri Monachus.

5 2. Conclu. *Status Religiosi est perfectior quam status Curati. Ita D.Thom. 2.2.quæst.184 art.8.* quia Religiosus habet obligatam totam vitam ad opera perfectionis, scilicet ad castitatem, &c. at Curatus nec ratione ordinum obligatur ad

opera

opera externa perfectionis, vt ad castitatem, sed ex statuto Ecclesiæ Latinæ, *vt patet in ca. placuit, d. 32. & ca. cum in præterito, d.* 84. nec etiam sunt Curati in statu perfectionis ob curam animarum, quia status perfectionis inducit obligationem perpetuam ad opera perfectionis, sed Curatus non est obligatus ad perpetuam curam animarum, potest enim illam deserere, & transire ad religionem, etiam inconsulto Episcopo, *vt dicitur in cap. dua sunt*, 19. *q.* 2. ergo. Secundo: etsi cura animarum sit quid perfectius quam ea ad quæ tenetur Religiosus, tamen ista cura non conuenit Curato cum obligatione perpetua vt dixi, nec conuenit ei principaliter sicut Episcopo, sed sicut coadiutori, & instrumento Episcopi, & sic ei non omnia, sed quædam peculiaria circa curam animarum committuntur.

CAPVT II.

De statu Religionis.

SVMMARIVM.

Quid sit status religionis? n. 1.
An sit status perfectionis? n. 2.
An eius essentia consistat in tribus votis? n. 3.
An Religiosus peccet mortal. transgrediendo vota vel regulam? num. 4.
Ad qua teneatur religiosus factus Episcopus? n. 5.

DVB. I. *Quid sit status Religionis. Prima conclus.* Status Religionis est quidam modus viuendi, totum hominem diuino cultui applicans sub aliqua regula, abducendo eum à curis sæculi retardantibus à perfecta charitate, & vnione cum Deo. *Ita colligitur ex D. Thom.* 2. 2. *qu.* 208. *artic.* 2. 1

2. Conclusio. Status Religionis, est status à Christo institutus, quia status iste consistit in obseruantia trium votorum, scilicet obedientiæ, castitatis, & paupertatis, sed vota ista sunt à Christo instituta; de paupertate enim dicitur *Mat.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus*, & de obedientia subditur ibi. *& veni, sequere me*; De castitate etiam ibidem dicitur, *sunt eunuchi qui se*

ca-

castrauerunt, idest, amputauerunt vsum & potestatem venereorum, non per abscissionem membri corpoream, sed per votum castitatis, *propter Regnum Dei*.

Dub. 2. *An Religio importet statum perfectionis*. *Prima conclusio* affirmatiua. *Ita D. Thom. 2.2.q. 186. art. 1.* quia omnis perpetua traditio in finem charitatis ordinata, constituit statum perfectionis; sed talis est Religio vt constat; ergo; vbi nota, quod traditio hominis ad Deum, alia est interior per charitatem, & ista est perfectio essentialis Christianæ vitæ, & finis omnium præceptorum & consiliorum; alia est exterior, per quam homo solemniter dedicatur diuino cultui, & ista est veluti medium ad dictum finem assequendum: ex quo sequitur.

2. Conclusio. Religiosus non tenetur habere perfectionem charitatis, sed tenetur tendere ad illam. *Ita D. Thom. art. 2.* & patet, quia status Religionis est disciplina quædam qua aliquibus exercitijs ad perfectionem deuenitur, sed qui operatur ad finem, non est assecutus finem necessario, sed tantum requiritur, quod ad eum tendat, ergo satisfacit Religiosus tendendo in finem charitatis medijs taxatis in sua regula, & sic qui assumit statum Religionis, & non habet animum mutandi vitam secundum illum statum, aut si iam professus mutet illum animum, peccat mort. cum sit simulator in re graui contra virtutem Religionis: imò, si tantum habet animum seruandi tria vota essentialia, & alia obligantia in sua regula sub peccato mort. peccat venialit. cum firmet animum contra spiritualem profectum, & ponat obicem Spiritui Sancto, ne eum per media præstantissima ducat ad perfectionem.

Dub. 3. *An essentia Religionis consistat in tribus votis, scilicet obedientiæ, castitatis, & paupertatis*. 1. Conclusio. Voluntaria paupertas est primum fundamentum ad perfectionem charitatis acquirendam, & ad statum Religionis. *Ita D. Thom. 2.2. q. 186. art 3.* Patet ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Ac si dicat; Ab hoc debes incipere, si vis tendere ad perfectionem. Secundo, status Religionis est quoddam exercitium & disciplina, qua deuenitur ad finem charitatis & eius perfectionem, sed ad hoc oportet abstrahere omnino affectum à rebus temporalibus per voluntariam paupertatem, vt enim ait Aug. *lib. 83. q. q. 36. nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas*. Et *l. 10.*

con-

confe. cap. 23. loquens August. cum Deo, ait, *Minus te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

3. Conclusio. Perpetua continentia requiritur ad statū Religionis. *Ita D.Tho. art.* 4. quia ad statum Religionis requiritur abstractio impedientium hominem ne totaliter feratur in Dei seruitium, sed vsus copulæ carnalis retrahit hominem ne totaliter feratur in Dei seruitium, tum ob vehementiam delectationis, tum etiam ob solicitudinem circa gubernationem vxoris, filiorum, & temporalium pro illorum victu: ergo. Ex hoc patet commendatarios de Dactiago, & de Alcantara, & de Calatraua, non esse propriè Religiosos. *Ita D.Thom. 2. 2. q. 186. art. 4. ad 3. & communiter Thomistæ contra Nau. & alios quos refert Rod. in q. q. regul. q. 1. art. 6. to. 1.* quia isti non vouent absolutam & omnimodam castitatem, cum ducant vxores; vnde nec gaudent priuilegio cap. si quis suadente diabolo, *vt ait Caiet. verb excommun.* nec ipsi mutando habitum manent excommunicati: secus est de commendatarijs Melitensibus, cum solemniter voueant perpetuam, & omnimodam Castitatem, Obedientiam, & Paupertatem. Verum est quod Alex. III. Bulla vnica, vbi approbat Religionem Sancti Iacobi de Spata cum voto coniugali, statuit quod qui manus violentas iniecerit in fratres vel sorores dicti Ordinis, manet excommunicatus, quo etiam priuilegio gaudent per communicationem suorum priuilegiorum alij commendatarij aliorum Ordinum militarium.

4. Conclusio. Ad statum Religionis requiritur, quod paupertas, castitas & obedientia cadant sub voto. *Ita Diu. Thom. art. 6.* quia Religiosi sunt in statu perfectionis, *vt dixi cap. 1. dubio 3.* sed ad statum perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis; quæ obligatio fit per votum, ergo cum status Religionis consistat essentialiter in Paupertate, Castitate, & Obedientia, & hæc sint opera perfectionis externa status religionis, ad hæc debet religiosus cum voto obligari.

5. Conclusio. Prædicta tria vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis debent esse solemnia per professionem expressam, vel tacitam, ad certam regulam seu Religionem à Sede Apostolica approbatam, vt ait Bonif. VIII. *cap.* vnico de voto, & vo. redemp. & vt ista professio valeat, debet fieri in manib. illius, qui potest profitentem tali Religioni incorporare, vt cum communi sententia tenet Panormit. *in cap. correctum, de reg. iur. & Silu. ver. Religio. 8. num. 14.*

Ex dictis patet, quod licet *Greg.13.Bu.20.* declaret Patres Societatis Ieſu, etiam ſimplici voto caſtitatis aſtrictos, eſſe verè & propriè Religioſos, & irritet matrimonium cum illo ſimplici voto celebratum, adhuc tamen eſt differentia inter iſtos, & alios Religioſos voti ſolemnis, quod iſti eſſentialiter & ex iure diuino ſunt inhabiles ad matrimonium, tum quia illorum votum à tempore Apoſtolorum habet iſtam vim irritandi matrimonium, nec extat aliqua lex Eccleſiaſtica, quæ illam vim ei tribuat, tum etiam, quia per iſtud votum ſolemne totaliter homo Deo traditur, & conſecratur per internam voluntatem iuxta doctrinam *D.Tho.2.2. q.88. art.7.* at Religioſi Societatis, voti ſimplicis, ex iure Eccleſiaſtico prædicti decreti Greg.XIII. ſunt inhabiles ad matrimonium, & ſic in omni ſententia poſſunt diſpenſari per Eccleſiam ad matrimonium contrahendum, imò in dicto decreto Gregor. habetur, quod ex cauſa rationabili poſſunt dicti Religioſi voti ſimplicis à Miniſtro generali dimitti, & votis iſtis liberari; ſi tamen iſti ſine licentia Miniſtri generalis recedant, ſunt apoſtatæ, & excommunicati, vt ibidem decernitur.

6. Concluſio. Inter illa tria vota Religionis votum obedientiæ eſt præſtantius. *Ita D Thom. art.8.* quia per votum obedientiæ offertur Deo maius bonum; ſcilicet propria voluntas; ratione cuius, quod fit ex obedientia eſt magis acceptum Deo, quam id quod fit ex propria voluntate; vnde ieiunium ex propria voluntate factum non acceptatur à Deo. *Eſai.58.* vbi interrogantibus quibuſdam ieiunantibus, *quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?* reſpondet Deus: *quia in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Secundò*, quia ſub voto obedientiæ continentur alia vota, & cæremoniæ regulares, & ſic in profeſſione Fratrum Prædicatorum ſola obedientia expreſsè promittitur.

4 Dub.4. *An religioſus peccet mort. tranſgrediendo vota, & alia contenta in ſua regula. Prima* concluſio. Religioſus tenetur ſub peccato mort. ex genere ſeruare tria vota eſſentialia; alia tamen ſub peccato veniali, niſi ſub formali præcepto, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandentur. *Ita Diu. Thom.2.2.q.186.art.9.* Imò vt ipſe *D.Tho.* notat, in noſtro Prædicatorum ordine, non obligamur etiam ſub peccato veniali ad conſtitutionum obſeruantiam, vt in ijſdem diſponitur: niſi ad vota & expreſsè mandata in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, niſi, vt ait *D. Thom.* ad primum,

timum, adsit negligentia mortalis, vel venialis, aut contemptus: & tunc aderit negligentia, vt ibi explicat *Caiet.* quando supposito, quod vadis v.g. ad matutinas, vadis negligenter, tunc peccas venialiter negligenter eundo, quia etiamsi non tenearis sub peccato ire ad matutinas, si tamen vadis, debes à te excutere omnem negligentiam; sicut etiamsi hodie non tenearis orare, si tamen ores, debes attentè orare. Contemptus autem tunc aderit (*ait Diu. Tho. ad tertium & ibi Caiet.*) quando quis renuit se subijcere legi; hoc est, non vult facere quod lex iubet, ex eo quod illud sibi iubetur, & contemptus iste ex suo genere est peccatum mort. cum opponatur directæ obedientiæ, quæ obligat sub peccato mort. ex genere, qui tamen habet animum, & consuetudinem ob iram, concupiscentiam, aut aliam causam violandi legem, non est contemptor formaliter, *vt ait D. Thom. ad 3*

2. Conclusio. Episcopus Monachus, *vt ait D. Thom. 2.2. q. 88. art. 11.* ad 4. tenetur sub peccato mort. ad tria vota essentialia prædicta, sicut alij Religiosi, nec liberatur à voto paupertatis, *quidquid Rod. cum alijs incautè dicat in sum. à p. c. 70. num. 5* quia Episcopus iste manet Religiosus iuxta dicta: cum status Religionis non repugnet statui Episcopi, & alias status Religionis essentialiter consistat in tribus votis, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ. 6

Ex dictis patet primò, quod Episcopus Monachus de nullis bonis testari potest; cum non habeat proprium. *Ita communiter, cum D. Tho. 2.2 q. 185. art 6. & 8. Soto, 10 de iust. q. 5. art. 7. & Cob. cap. 1 de test. num. 18.* alij tamen Episcopi possunt de suis patrimonialibus testari, non tamen de bonis Ecclesiasticis, aut intuitu Ecclesiæ acquisitis: sed ista in dominio Ecclesiæ consequentur: *vt dicitur in cap. quorundam, de test.* Et licet in cap. *cum in officijs, de test.* idem statuatur de Clericis, sed iam lex ista non est in vsu in Hispania, sed de omnibus bonis testantur Clerici, & in eorum bonis succedunt eorum consanguinei ab intestato. *Ita lib. 5. noua Recop. tit. 8. l. 15.*

Secundo, sequitur Episcopum Monachum teneri portare habitum suæ Religionis, cum habitus iste sit obligationis signum. *Ita D. Tho. art* 8. imò in 8. Synod. generali *actione 8. cap. 27.* præcipitur Episcopis Monachis, sub pœna depositionis, ne vestem monasticam deponant.

3. Conclusio. Episcopus Monachus, etsi non teneatur ad ob-

obſeruantias ſuæ Religionis officio Pontificali repugnantes; cuiuſmodi ſunt ſolitudo, ſilentium, aut vigiliæ graues, quibus impotens redderetur, ad exequendum Pontificale officium; tamen tenetur ad obſeruantias non impedientes Pontificale officium: quales ſunt ieiunia, abſtinentia à carnibus, &c. In quibus tamen poteſt ſecum in neceſſitate diſpenſare, ſicut Prælati Religionum ſecum in neceſſitate diſpenſant. *Ita D. Thom. 2. 2. q. 185. art.* 8. Secundo, in conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, *d 2. cap. 13. in gloſ. habetur*, quod Prouinciales, in ſuis Prouincijs moneant Epiſcopos ordinis, vt in veſtibus, abſtinentijs, & alijs non impedientibus Pontificale officium Ordini ſe conforment: alias non concedant eis fratres in ſocios; & conceſſi reuocentur. Hæc de votis Religionis in communi, deinceps agemus de illis in ſpeciali.

CAPVT III.

De voto Paupertatis.

SVMMARIVM.

An Religioſus poſſit habere peculium? n. 1.
An poſſit habere reditus annuos? n. 2.
An poſſit ſine licentia recipere ſibi donata? n. 3.
Vel ſibi applicata ſine licentia diſtrahere? n. 4.
Quantam licentiam poſſit Prælatus Regularis ſibi & ſubditis concedere ad donandum extraneis? n. 5.
Quæ ſint prohibita religioſis à Clemente VIII. circa largitionem munerum? n. 6.
Pœnæ impoſita tranſgreſſoribus huius decreti & qui eas incurrant? n. 7.

1 NOt. Quod Religioſus per votum paupertatis abdicat à ſe dominium cuiuſuis rei temporalis, & peccat mort. ex genere tale votum violando: in indiuiduo tamen peccabit mort. vel venialiter, eo modo quo peccat, qui contrectat rem alienam inuito domino rationabiliter, & ſic quæ eſt materia grauis ex obiecto pro furto; eadem erit grauis pro conſtituendo peccato mortali contra votum paupertatis.

Dub. 1. *An Religioſus poſſit habere peculium*, Not. 1. quod peculium eſt habere aliquid deputatum, & ſequitur

tur statum ab alijs ad vtendum illo, vel iure dominij possidendo, & defendendo illud, vt proprium, vel iure solius administrationis ad illud, scilicet administrando, vel distribuendo secundum leges, & conditiones sibi præfixas; vel iure vsusfructus tantum, qui est facultas vtendi re & fructibus eius, in propriam, & etiam aliorum vtilitatem: salua tamen substantia rei fructiferæ, vel solius vsus, qui est facultas vtendi re ad vsus proprios tantum.

1. Conclusio. Religiosus non potest, etiam de licentia Papæ, habere peculium irreuocabile, quod scilicet saltem à Papa non possit reuocari, & limitari, in quos velit vsus. *Ita Siluest. verb. Abbas* 4. §. 3. *et Lud. Lopez*, 1. *part. cap.* 154. quia Religiosus per votum paupertatis abdicauit à se omne dominium & proprietatem quam importat prædictum peculium irreuocabile.

2. Conclusio Licitum est Religiosis habere pecunias in cōmuni depositas ad vsus sibi à Prælato concessos, aut concedēdos. *Ita Lud. Lop.* & patet ex vsu: nec sic habere pecuniam inducit proprietatem, cum sint per Prælatum reuocabiles, & limitabiles pro vsibus sibi placentibus. *Vbi Not.* Primò quod si Religiosus, habet licentiam distrahendi aliquas pecunias in quos velit vsus, potest etiam in actus illicitos consumere illas; *vt ait Medina in summ. in 7 praecepto.* §. 29. cuius sententia est communiter vsu recepta; licet alij oppositum sentiant, satis probabiliter, & fortè verius, quia cum Prælatus non sit dominus, sed dispensator bonorum Religionis, & non dissipator, non potest concedere licentiam expendendi pecunias, nisi pro vsibus licitis: & sic licentia ab eo data religioso, iuxta facultatem concedentis videtur esse interpretanda.

Not. 2. quod secundum Victoriam communiter receptum (*de quo Ludouic. Lop.*) non peccat Religiosus mort. retinendo pecunias in cella, & non in communi deposito, dum tamen habeat animum expendendi eas de licentia Prælati. Et intelligitur hoc duplici limitatione. *Prima*, quod intelligitur hoc stando in natura voti paupertatis, & secluso speciali præcepto; si circa hoc imponatur. *Secunda*, quod non retineatur pecunia in cella, vel alibi extra commune depositum animo celandi illam Prælato: imo si religiosus quando à Prælato fit scrutinium, aliquid in cella, vel alibi retentum celaret, peccaret mortaliter ex genere: imo magister Bandelus censet esse peccatum mort. etiamsi

res celata sit leuis, sed rei veritas est, quod etiam in istis præceptis, sicut & in alijs naturalibus & positiuis, quod ex suo genere est peccatum mortal. fit veniale ob leuitatem materiæ.

2 Dub. 2. *An liceat Religiosis habere census, & reditus annuales.*

1. Concl. Ante Conc. Trid. licebat religiosis de licentia suorum Prælatorum habere tales census, etiam ad distrahendum in vsus sibi placentes, dum Prælatus non reuocaret, vel limitaret talem licentiam. *Ita Sil. Nauar. & alij quos refert, & sequitur Lud. Lop.* quia istud peculium cum sit à Prælato reuocabile non inducit proprietatem.

2. Concl. Etiam post Conc. Trid. non peccant Religiosi habentes census, & reditus annuos: non tantum loquendo de reditibus sibi, à se ipsis legatis in testamento ab eisdem condito ante professionem, aut à parentibus, siue alijs sibi relictis: sed etiam loquendo de reditibus emptis ex bonis a Religioso iam professo acquisitis, & quorum dominium transierat iam in communitatem, potest enim communitas reditus illius census, nomine tamen communitatis fundati, concedere Religioso in præmium sui laboris, vt constat ex vsu sapientissimorum, & timoratorum. *Si obijcias*, quod in Conc. Trid. *sess. 25. cap. 2.* statuitur *non licere Religiosis vtriusque sexus, bona mobilia, vel immobilia quouis modo acquisita, vt propria possidere: sed ista superiori tradantur, & conuentui incorporentur.* Et iterum dicitur sic: *Non liceat superioribus Religiosorũ bona stabilia Religiosis concedere etiam vsumfructum, vsum, vel commendam.* vbi per bona stabilia intelliguntur bona immobilia, & census.

Ad hoc resp. quod loquitur Conciliũ de reditibus non habendis etiam quantum ad vsum, vt proprijs, & irreuocabilibus per Prælatos, & sine eorum licentia distrahendis, intendit enim Conc. tollere, à Religiosis dominium, & proprietatem, vt constat ex titulo dicti cap. qui est *de paupertatis voto integerrimè seruando:* & si aliud intendat, illud decretum non est cum tanto rigore receptum ob multas necessitates Religiosorum, quibus ex bonis cõmunitatis non subuenitur, etiam iuxta suum statum, & Religiosam paupertatem, quod maximè verum est in Monialibus. *Ita Lud. Lop. cap. 154. vbi citat. Nauar. & Rod. in sum. tom. 1 cap 90. num. 9.*

3 Dub. 3. *An possit Religiosus sine licentia sibi donatum*

re,

recipere. Not. duplicem esse licentiam, aliam expressam, & formalem, aliam virtualem seu interpretatiuam; & ista explicatur dupliciter. *Primò*, quando subditus certo scit, quod si petat licentiam à Prælato non sibi denegabit, sed simul scit Prælatum velle, quod nihil fiat sine eius licentia expressa, & ista virtualis licentia ad nihilum valet, cum illa enim non potest Religiosus exigere à Conuentu. *Secundò*, quando per signa probabilia credo, quod si ego faciam aliquid, v.g. emam librum, aut aliquid donem, hoc Prælato placebit: & de hac interpretatiua licentia loquimur, quoties dicimus illam sufficere. *Ita Lud. Lop. tom. 1. cap. 156. & Rodrig. in sum. 1. p. cap. 31. num. 3.*

1. Conclusio. Etsi sit probabilis sententia Victoriæ asserentis posse Religiosum seclusa speciali prohibitione circa hoc recipere aliquid sine Prælati licentia; dum tamen habeat animum petendi licentiam quando expenderit illud, probabilius tamen videtur, illud non posse recipere sine Prælati licentia, saltem interpretatiua: quia talis receptio sicut & datio eiusdem rei, est translatiua dominij: ergo & est interdicta Religioso, cum per votum paupertatis reddatur incapax dominij.

2. Concl. Religiosus accipiendo sine licentia aliquid communitatis, aut rem alteri Religioso applicatam, peccat mort. ex genere: cum accipiat alienum inuito domino rationabiliter. Ex paruitate tamen materiæ erit peccatum veniale, vt si à communitate accipiat sibi gallinam: secus esset si donaret eam extraneo.

3. Concl. Religiosus accipiendo ab amico prandium, aut alia comestibilia, non peccat: ad hoc enim præsumitur habere licentiam à Prælato interpretatiuam. Et idem est de Religioso existente cum licentia extra conuentum, qui habet consequenter licentiam interpretatiuam recipiendi sibi oblata.

Dub. 4. *An possit Religiosus sibi applicata distrahere sine licentia.* Prima conclusio. Religiosus emens, vendens, commutans, aut donans aliquid communitatis, vel sibi applicatum sine licentia, saltem interpretatiua, peccat mort. ex genere. Quia in istis actibus cum sint translatiui dominij, habet se vt dominus, & vsurpat alterius dominium: poterit tamen commodare librum, aut aliam rem sine expressa licentia, quia per commodatum non transfertur dominium. 4

5. Conclusio. Religiosus potest dare alteri Religioso sui

conuentus librum valentem quinque argenteos, aut aliud simile. *Ita Lud. Lop. 1. p. q. 156. conc. 3. imo Rodrig. in sum. 1. p. cap. 90. nu. 11.* tenet, posse dare librum valentem quinque aureos. Item, potest Religiosus commutare libros eum alijs libris, etiam sęcularium, æquè bonis: *vt ait Lud. Lop. conclus. 4.* quia ad omnia prædicta præsumitur adesse licentia Pręlati interpretatiua: si alias non stet specialis prohibitio Prælati in contrarium. Imò *vt ait Ludou. Lop.* iuxta istam interpretatiuam licentiam, Religiosus iter agens, ex pecunijs sibi datis in eleemosynam, aut aliter acceptis, potest expendere cum consanguineis etiam diuitibus, vsque ad decem aureos, aut eorum valorem. Hæc enim donatio non censetur prodiga: sed rationabilis, in ratihabitione Prælati fundata.

5 Dub. 5. *Quantam licentiam potest Prælatus regularis sibi & subditis concedere, ad donandum extraneis.*

1. Conclusio. Prælati regulares possunt sibi & suis, concedere licentiam donandi vsque ad decem aureos, de bonis sibi applicatis pro causa pia & rationabili: v.g. pro pauperibus, pro nuptijs cognatorum, pro gratificatione beneficiorum, pro cultu diuino, & similibus: non tamen possunt amplius insumere, sine licentia Prouincialis aut alterius similis, vel superioris Prælati. *Ita Cord. in sum. q. 54 & Lud. Lop. in instru. nego. cap. 40.* Et ita ait iste: præceptum est fratribus Ordinis Prædicatorum in capitulo Pisano. Et hoc ita seruant Prælati timorati & docti. Et intelligitur conclusio de donatione inter viuos, non de donatione causa mortis: hæc enim in multis æquiparatur testamento, quod Prælatus regularis condere non potest. *Ita Nauar. lib. 3. consl. 6. tit. de dona. & Man. Rod. in sum. 1. p. c. 90. num. 7.*

An verò prædicti Prælati possint concedere licentiam ad prædicta hospitibus sui ordinis. Ad hoc 2. Conclusio sit negatiua. *Ita Lud. Lop. in sum. 1 p. c. 156. in fine*: quia in constitutionibus Fratrum Prædicatorum. *d. 1. cap. 14.* habetur quod Religiosus non expendat pecunias sine licentia sui Prælati: sed Prælatus vnius conuentus non est propriè Prælatus hospitum in suo conuentu existentium, etiamsi in aliquibus ex dispositione dictarum constitutionum, & ordinationum superiorum hospites eis subdantur: ergo.

5. Conclusio. Religiosus extra suum conuentum cum licentia existens, censetur habere interpretatiuam licentiam ad expendendum pecunias non tantum pro vsibus in itinere

ne-

necessarijs: sed etiam quoties instat necessitas aut vtilitas expendendi aliquid, nec adest Prælatus, potest cum interpretatiua licentia, quæ tunc etiam præsumitur adesse, illud expendere.

Hæc dicta sint de religiosis intra Ordinem degentibus: nam alijs ex Papæ licentia ab Ordine exemptis, vt Episcopis, aut alijs beneficiatis, solet Papa ampliorem concedere licentiam, vt scilicet ex redditibus suorum beneficiorum vel ex aliter acceptis possint in vita, vel morte ad pia opera pro libito dispensare. Hactenus dicta procedunt stando in natura voti paupertatis, & seclusis specialibus prohibitionibus summorum Pontificum, aut aliorum Prælatorum.

Nouissimè *Clem. VIII.* in motu qui incipit, *Religiosæ Congregationis*, edicto 3. Calend. Iul an. 1594. multa vetat Religiosis vtriusque sexus, exceptis militaribus, circa largitionem munerum: quæ tamen omnia, exceptis pœnis ibi impositis, continentur in iure communi antiquo, vt notauimus. 6

Primò, interdicitur Religiosis, etiam Prælatis, & conuentibus, ne per se aut per alios, etiam indirectè, aliquid liberaliter, vel munera donent, exceptis leuibus esculentis, & poculentis, & ad deuotionem pertinentibus munusculis: & adhuc ista leuia nomine conuentus largiantur, & vbi superiori de consensu conuentus, videbitur, expedire. Et quidem donatio liberalis vetatur *Religiosis in ca. nulli liceat, & cap. si quis de rebus Eccles non alien. & C cum ad monasterium de sta. Mona* Donatio leuium nomine conuentus facienda habetur etiam in ca. *Tua nuper*, de his quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli.

Not. Primo, pro explicatione: quod in hoc decreto sola liberalis donatio vetatur, quæ secundum *D. Th. in* 1. *d.* 18. *q.* 1. *art.* 2. est datio irreddibilis compensationem non intendens. Et sic benè possunt Religiosi cum licentia suorum Prælatorum eleemosynas facere, festa celebrare expendendo aliquid pro musica, &c. remunerare, & gratificare obsequia, & beneficia recepta à Medico, aduocato, aut ab alijs. Hæc enim & similia non sunt propriè donationes, sed satisfactiones. *Secundo not.* quod donatio indirecta, in hoc decreto vetita dicitur, v.g. si conuentus remittat liberaliter, & non titulo eleemosynæ, aut alio iusto titulo, legitimam Religiosi iam hæreditatem, aut alia debita, aut si Religiosus mutuet, animo repetendi mutuum.

Tertio. Nota res leues esse in duplici differentia: aliæ sunt ita paruæ quod nullam merentur recompensationem, vt calculus benedictus, modicus panis, & ad ista dispensandum non est necessaria dicta licentia: aliæ sunt æstimabiles, & recompensabiles, siue sint comestibilia, sicut vna caja de conserua, siue sint res ad deuotionem pertinentes, sicut vna imago, vnæ horæ, &c. & de his præcipitur quod dentur nomine & consensu conuentus. Et licèt in isto decreto tantum fiat mentio de leuibus comestibilibus, & ad deuotionem pertinentibus: idem etiam dicendum est de leuibus alterius generis, sicut vna caja de cuchillos, &c quoties enim in aliqua regula excipiuntur aliqui casus, consequenter manent excepti similes casus. *Ita in Clement. exiui de paradiso. §. deinde, et est communis sententia iuristarum, Bart. in cap. 2. de coniugio leprosorum, Feli. in cap. Pastoralis*. Imo licet lex (dicunt isti) limitaret exceptiones dicendo, exceptis istis tantum casibus, adhuc exceptio est extendenda ad similes casus, *sicut in leg. final. C. de reuocandis donationibus* statuitur, quod per solas quinque causas potest reuocari donatio, & tamen glossa cum communi sententia, tenet posse reuocari per alias similes causas. Et ratio est quia cum lex non possit excipere omnes casus exceptione dignos: ponit aliquos loco exemplorum. *Et si obijcias* communem regulam iuris, quod casus exceptus firmat regulam in non exceptis; intelligitur de casibus non exceptis, qui alias sunt dissimiles exceptis.

Secundo, vetatur in dicto decreto Religiosis, etiam Prælatis, ne ista dona inter se largiantur, nisi rerum minimarum, & cum licentia superioris in scriptis. Et quidem ista largitio vetatur Religiosis in locis supra citatis ad adipiscenda officia, & dignitates. Exceptio verò minimarum cum Prælati licentia habetur, in *c. Exijt qui seminat. de ver signif. §. de vilib.*

Not. 4. Quod pro assignanda materia leui in hoc non datur certa regula: sed iuxta regulas prudentiæ, attentis circunstantijs loci, temporis, personæ, & finis erit statuendum, *secundum Nauarr. in cap non dicatis n. 25.* quod enim respectu vnius personæ & in vno loco, vel tempore est paruum, respectu alterius personæ, &c. est magnum: & quod in se est paruum, respectu alicuius finis potest esse magnum: sicut deferre triticum, aut alia extra Regnum, in se est quid paruum; sed in ordine ad bonum Reipub. erit magnum; & sic

pro

pro assignanda materia leui sunt duæ regulæ.

Prima est, considerare finem istius legis vetantis donationes extra Ordinem ad fugienda multa damna, ex dissipatione patrimonij Christi prouenientia, & vetantis donationes inter Religiosos, ne praua ambitione impulsi pro consequendis in Religione gradibus & dignitatibus, alter alterius gratiam aucupetur. Et sic secundum hoc licet Religiosus furando, aut sine licentia donando quatuor argenteos v.g. peccet mortaliter contra iustitiam, aut contra votum paupertatis (si ista materia, vt suppono, sit grauis pro furto, vel pro voto paupertatis) non tamen erit materia grauis pro virtute liberalitatis: nec eam donando Religiosis dissipatur patrimoniũ Christi, aut dignitas aucupatur: & sic nec peccatur contra istam legem. Ista doctrina approbatur à Nau *tract. de dat. & promiss.* vbi explicando decretum Bonif. VIII prohibentis data, & promissa ad aliquid gratis, vel ex iustitia obtinendum, ait, non satis esse dare rem, quæ si defraudetur, esset peccatum mortale. Nam tali personæ potest dari, verbi gratia, equus vt recte iudicet, tali dono eum non obcæcante, qui est finis dictæ legis. Et confirmatur hoc ex capite, *etsi quæstiones de Simonia*, vbi Papa scribit cuidam Episcopo: Ne timeat incidisse in Simoniam, per hoc quod eius frater dedit equum Cardinali qui eum consecrarat: quia præterquam quod ibi nullum interfuit pactum, equus erat donum nimis paruum respectu talium personarum, nec censetur Cardinalem ex hoc ad illud inclinatum.

Secunda regula pro cognoscenda materia leui istius legis est grauitas pœnarum impositarum pro eius transgressoribus: & secundum hoc, omnis donatio quæ non punitur pœnis istius legis, etsi alias sit ista lege vetita, vtpotè, si non sit cum licentia superioris, & nomine, & consensu conuentus, reputatur leuis. *Vbi nota*, quod vt pœna sit iusta, debet proportionari culpæ, & cum lex ista, vtpotè à Christi Vicario lata, sit sancta, & illius pœnæ grauissimæ, non est extendenda ad minima; verbi gratia ad vnum libellum, & similia, quia ad ista non se extendit ratio legis: imò licet istorum largitio sine licentia Prælati sit alias peccatum mortale contra votum paupertatis, tamen respectu illius legis, & in ordine ad finem illius, erit tantum culpa leuis, cum sit donum leue, nec puniatur pœnis istius legis. Quæuis enim lex intendit punire peccata, quæ sunt grauia in ordine ad eius finem.

Tertio. Præcipitur Religiosis, ne cum aliquo benefactore, vel præsule, etiam ex eodem ordine assumpto, occasione transitus, aut ad memoriam accepti beneficij gratique animi testificationem, aut quauis occasione pecunias insumant honorifice, laute, & opipare, pro eorum receptione, pro conuiuijs, pro exhibendis spectaculis etiam pijs: nisi reuera pro diuino cultu, & veris pauperum necessitatibus, habita in hoc necessitatis ratione, & ex consensu superioris; vel alias in rebus licitis, nec vetitis per capitula Prouincialia, aut Generalia. Ista etiam sumptuum prohibitio, sicut & conuiuia, & fercula, habentur in c. comessationes, & c. *non liceat*, *d*.44.

Not. Primò. Hic tantum vetari sumptus excessiuos, dum dicitur, honorifice, opipare, & laute. Vnde non est hic vetitum, inuitare aliquem sine ista prophanitate, & multo minus, quod fit in Religionibus quando in festis suorum patronorum inuitant alios Religiosos, & personas deuotas. Sic enim fraternitas conciliatur, & plebs ædificatur. Et quod insumitur in festis, monumentis, & Eucharistiæ solemnijs, & pauperum hospitio, seruata in hoc modestia Religiosa, iam excipitur in ista lege, vbi etiam habetur, quod si diuites occasione transitus, vel ex deuotione, aut necessitate, ad Religiosorum loca diuertant, communi refectorio sint contenti.

Secundo notatur; circa illam grati animi testificationem hoc esse intelligendum, quod non dissipent bona Religionis sumptibus excessiuis hoc colore gratificationis, quod continget, quoties volent gratificari aliquod obsequium parui momenti, vt si alicui donem, quia exhibet mihi consuetam reuerentiam: non tamen intendit lex ista tollere verum titulum gratificationis, ita necessariæ ad hominum conuictum, & fundatæ in lege naturali: si enim Religiosi non essent grati suis benefactoribus, nullus eisdem benefaceret.

Quartò, in isto decreto inhabilitantur recipientes aliquid contra illius tenorem ad illud retinendum, nec absoluantur, dum non restituunt; si commode possunt: sin minus, si non præstant cautionem de restituendo. Ita etiam habetur in *Clem*. 1. de rebus Ecclesiæ non alie. & præcipitur in dicto decreto, quod ista restitutio fiat conuentui, de cuius bonis facta est donatio, & si donatio non sit facta de bonis conuentus, fiat restitutio conuentui in quo Religiosus qui donauit, est professus; & si donatio sit facta nomine conuentus, aut

aut prouinciæ aut ordinis, restituatur donatum cõmuni mensæ eius cuius nomine datus est; ita quod nec donator, nec conuentus valeat restitutionem remittere, vel concedere, *quod pauperibus erogetur, & hoc etiam habetur sic in c abbati. d. 54.* Ex dictis patet legem istam loqui de donationibus factis ex bonis, quorum communitas Religiosorum est domina, cum præcipiat quod restitutio fiat communitati.

Quinto. Ponuntur grauissimæ pœnæ pro transgressoribus. *Primo*, Perpetua infamia. *Secundo*, Priuatio (ipso facto) vtriusque vocis, dignitatum, graduum, munerum, & officiorum. *Tertio*, Inhabilitas ad ista; & similia *Quarto.* Aliæ pœnæ furti, & symoniæ, & quæ continentur in iure, & in statutis Religionum contra proprietarios.

Nota 1. quod cũ istæ pœnæ ponãtur transgressoribus istius legis (quæ est de largitione munerũ, vt patet ex eius titulo) non incurrũtur à recipientib., sed à solis largientib dicta munera.

Nota 2. quod nomine officij vel dignitatis intelliguntur officia habentia honorem cum superioritate, vt sunt Prioratus: non tamen intelligitur officium Lectoris, Prædicatoris, vel Confessoris. Ita declarauit *Sixt. V.* in motu qui incipit; *Ad Romanum spectat Pontificem*, edicto duodecimo Calendas Nouembris anni millesimi quingentesimi octogesimi octaui, pro explicando suo proprio motu contra illegitimos, vbi eos eodem tenore priuat officijs, dignitatibus, &c

Nota 3. circa illud ipso facto, &c. quod ante sententiam declaratoriam non tenetur quis subire pœnam positiuam consistentem in actione, & passione, vt exilium vel pœnam pecuniariam: imo nec pęnam consistentem in sola passione, vt pęnam mortis, aut abscissionis membri, etiamsi lex dicat ipso facto, & absque alia declaratione sint priuati suis bonis, suo officio, &c. Hoc enim sic debet intelligi, ipso facto, absque alia declaratione, scilicet pęnæ, non tamen absque alia declaratione culpæ, cui est imposita illa pęna. *Ita communiter Thomist. cum D. Th. 1. 2. q. 96 art. 4. et 2. 2. qu. 62. ar. 3. Bannes ibi dub. 2. Silu. ver. pœna n. 28.* inhumanum enim esset, quod reus occultus condemnaret, & proderet se: & simul esset iudex, testis, accusator sui, & executor senteutiæ: secus sit de pęna consistente in sola priuatione, cuiusmodi sunt censuræ Ecclesiasticæ, quæ incurruntur ante sententiam declaratoriam à violantibus leges habentes tales pęnas. Et ratio differentiæ est, vt ait *Bannes*, quia per istas

pęnas

pœnas non priuatur homo bonis iam habitis, sicut per excommunicationem non priuatur homo bonis iam acquisitis, sed suffragijs, quæ sibi ab Ecclesia prouenire poterant, & per suspensionem & irregularitatem non tollitur potestas iam habita: sed tantum impeditur exercitium talis potestatis: non sic autem in alijs, sed per illas priuatur reus bonis iam habitis.

Sextò, præcipitur Ordinarijs, ac eorum Vicarijs, & superioribus Regularium, vt curent hoc statutum inuiolabiliter obseruari. *Vbi notandum primò*, quod Papa non facit Episcopos executores istius legis, vt aliqui dixerunt, ratione cuius excusabantur aliqui dum lex ista per Episcopos non promulgabatur: sed ipsis Episcopis, sicut & superioribus Religionum, singulis pro sibi subditis, etiam Monialibus executio istius legis præcipitur. Multæ enim Moniales subduntur Episcopis. *Secundò Not.* quod quando Prælati inferiores sub formali præcepto, & in virtute Spiritus Sancti præcipiunt istius legis, sicut & aliarum legum suorum superiorum obseruantiam, sicut solet fieri in Religionibus, non imponunt nouum præceptum, nec istud præceptum cadit supra materiam, quæ stando in sola vi legis superioris non obligaret sub peccato mortali, sed præceptum inferioris Prælati cadit supra promulgationem legis, & supra totam legem in communi, in ea forma sicut in illa continetur: sicut qui vouet aut iurat statuta alicuius Religionis, vel Collegij, vel leges alicuius officij promittit illa seruare secundum formam, & rigorem in eis contentum, & non sub maiori obligatione.

Septimò. In isto decreto reuocantur contraria priuilegia, & statuta etiam iurata, ordinationes Apostolicæ, consuetudines, indulta cuiusuis Ordinis, aut Collegij, quouis iuramento, & auctoritate etiam Apostolica roboratæ: dum non fiat expressa mentio istius legis de verbo ad verbum. Et intelligitur hoc de indultis concedendis ab eodem Papa, qui tulit istam legem. Nam vt Papæ successores aliter statuant, non necessitantur facere istam expressionem istius legis de verbo ad verbum. De quo dicemus latius *l. 2. cap. 5. dub. 3.* Et notandum quod hic non reuocatur ius commune, vt patet, & sic nec priuilegia in illo inserta; cum ista vendicent sibi aliud nobilius nomen, & sint iam leges communes & sic non manent reuocata per generalem reuocationem omnium priuilegiorum. *Ita communiter Iuristæ in l. hæres absens*

ff. de

ff. de iudicijs. Felin cap 1 de rescriptis, num. 12. & Nauar. lib. 3. consl. 87. titulo de regularibus.

Octauò ponitur promulgatio dictæ legis; & præcipitur, quod ista lex incipiat obligare intra montes post sexaginta dies à promulgatione in Romana Curia: & vltra montes: post quatuor menses à dicta promulgatione. Et licet de hac lege fuit supplicatum, non tamen fuit à Papa admissa supplicatio. Et sic in Hispania per Nuntium Apostolicum fuit hoc intimatum cunctis Ordinum Procuratoribus, illis præcipiendo, vt de hoc suos superiores certiores faciant, & executioni mandent. Et ita est intimatum nostro Prædicatorum Ordini in Capitulo generali Romæ anno 1601. Hoc decretum latius à nobis est interpretatum, vt ex eius interpretatione similia decreta interpretari noscamus.

CAPVT IV.

DE BONIS IN COMMVNI HABENDIS à Religiosis.

SVMMARIVM.

An Religiosi possint habere bona in communi? n. 1.
An habere bona in communi minuat paupertatem euangelicam? n. 2.
Quid sit alienatio & quæ sit diuersitas inter bona monasterij? n 3.
Conditiones requisita ad licitam alienationem bonorum monasterij? n. 4
Quibus competat hæc potestas alienandi bona monasterij? num. 5.

DVb. I. *An possint Religiosi habere bona in communi.* 1
1 Conclus. Aliquæ Religiones non possunt habere bona etiam in cōmuni, sicut sacra Religio Seraphici Patris Frācisci. Item nostra sacra Prædicatorum Religio fuit fundata à sanctissimo Patriarcha nostro Dominico, cum hoc rigore non habendi possessiones aut redditus etiam in communi, sed postea per *Sixtum IV.* fuit in hoc dispensatum vt habetur in nostris constit. d. 2 cap. 1. & 10 Et merito; quia cum nostra sacra

Re-

Religio sit specialiter instituta pro salute animarum, ad quod tanto studio, & litterarum exercitio, sicut in hac veluti generali Vniuersitate profitemur, opus est, si Religiosi ad subueniendum tot necessitatibus, extra septa monasterij passim egredi cogerentur & ab illo tam sancto & valde necessario litterario exercitio nimis retardarentur.

2. Concl. Aliæ Religiones, præter Seraphicã, possunt habere bona in communi: & sic succedunt Religiosi, & pro ipsis dum viuunt, religio in bonis parentũ, & sanguineorũ eo modo, quo succederẽt si essent in sæculo. Ita concessit ordini Prædicatorũ *Clem. 4. Bul. 2. & Nicol. 3. Benedictinis Bul. 1.* Itẽ monasteria possũt acquirere hæreditates, legata, fidei cõmissa, &c.

Et illa, & alia sibi debita repetere. Ita concessit Cælestinis *Eug. 4. Bul. 7.* & Benedictinis *Bul. 9.* vbi excõmunicantur qui contrauenerint, si intra tres dies à notitia huius indulti non desistunt. Item possunt religiosi recipere quæcunque sibi donantur de male acquisitis, incertis, & de legatis indistinctè relictis in pios vsus. Ita concessit Minoribus *Alex. 4. Bul. 16. & 27.* Et possunt religiosi commutare sibi legata ad vnum vsum in alios vsus, sine scandalo tamen ista legantium. Ita concessit *Sixtus IV.* inter viua oracula, & idem etiam concessit inter viua oracula *Leo X.* de rebus donatis per viuentes.

2 Dub. 2. ***An habere bona in communi, contrarietur paupertati Religionis, vel minuat paupertatem Euangelicam.*** Conclusio. Habere bona in communi in nullo minuit paupertatem Euangelicam. Imò ista est perfectissima paupertas à Christo & Apostolis seruata, vt patet Actor. 2. Habebant enim Apostoli bona in cõmuni. Et oppositũ nostræ Cõclusionis dãnatur à Ioan. 22. in extrau. *ad cõditorem.* & in extrauag. *inter nonnullos, de verb. sig.* Et aliqui illud asserentes sunt sicut hæretici combusti. De quo indirect. inq. *q. 17. & 18. Et Nicol. 3.* qui hoc ipsũ tenuit, errauit sicut Doctor particularis explicãdo suam sententiam, vt declarat *Bened. 12.* in direct. in q. loc. cit.

3 Dub. 3. ***An administratio bonorum monasterij pertineat ad solum Prælatum regularium, ita quod solus ille sine consensu conuentus possit bona alienare.***

Not. 1. quod alienatio propriè sumpta est actus, quo transfertur dominium rei quæ alienatur. *Ita leg. 2. C de feudo.* Sed large sumpta includit emphiteusim, locationem ad longum tempus, scilicet vltra triennium. *Ita in extra ambitiosè, de reb. Ecclesiæ non alie.* Includit etiam venditionẽ sub conditione,

ditione, donationem, venditionem, permutationem, ac emphiteuticum contractum perpetuum. *Ita in cap. nulli liceat, de rebus Ecclesiæ non aliæ.* Et in materia odiosa sumitur alienatio propriè & in materia fauorabili, sicut modò sumitur large.

Not. 2. quod inter bona Monasterij alia sunt, quæ seruando seruari possunt, vt sunt bona immobilia, & mobilia, pretiosa scilicet, vestes sacræ, ius ad annuos redditus, etiam redimibiles; vel annuos fructus, *vt ait Panor. in cap. cum nullo, de reb. Ecclesiæ non alie. & Nauar. lib. 3. conf c. 7. tit. de reb. Eccles alie.* Item res quæ non corrumpuntur triennio, & alias sunt fructiferæ: vt oues sunt res quæ seruando seruari possunt: *secundum Silu. ver. alienationum.* 7. Alia sunt bona, quæ seruando seruari non possunt, vt sunt vestes detritæ, fructus arboris exscissi, & res, quæ vnico consumuntur vsu, sicut oleū, vinum, triticum, immò, & pecunia, nisi in duobus casibus. *Primo*, quando est deputata pro emendis immobilibus, ita quod Prælatus & capitulum sic eam inuestire teneantur, non tamen quando simpliciter, & sine voto, aut iuramento sic eam inuestire deliberauit. *Secundo*, quando est in magna quantitate; secundum Armi. *verbo alienatio, n. 4. & secundū* alios, licèt Silu. hoc nō approbet, & merito: aliàs pecunia ista à solo prælato alienata, posset repeti à conuentu, iuxta dicenda infra.

1. Conclusio Prælatus ipse, sine conuentu potest alienare bona, quæ seruando seruari non possunt, vt patet ex vsu, semper tamen debet adesse causa sufficiens, cum Prælatus non sit dominus, sed dispensator bonorum conuentus. *Ita Armi. ver. alienatio.*

2. Conclusio. Licita est alienatio bonorum Ecclesiæ, aut monasterij, etiam bonorum, quæ seruando seruari possunt, cum aliquib. tamen conditionibus. *Prima*, quod adsit causa sufficiens, v.g. si debita vrgeant, & de redditibus monasterij solui non possint, ita in c. sicut, 12 q. 2. Item erit causa sufficiens vtilitas conuentus, vt scilicet rem meliorem habeat, sicut fabricatio Ecclesiæ, ampliatio monasterij. *Ita in cap. sine exceptione 12. q. 2. & c. tua nuper, de his quæ fiunt à prælato sine consensu.* Erit etiam causa sufficiens, incommoditas, vtpotè quia res est magis damnosa, vel minus vtilis. *Ita in c. terrulas 12. q. 2.* Item erit causa sufficiens, pietas: sicut pro redemptione captiuorum, pro cibis pauperum in tempore famis, *Ita in c. Sacror. 12. q. 2. de quo Sil. ver alienatio. dub. 2* 4

3. Con

3. Conditio est, licentia Prælati superioris, v.g in nostro Prædicatorum Ordine postulatur pro alienationibus istis licentia magistri Ordinis. Ita habetur in nostris const. d. 2. c. 1. & per Paulum Secundum excommunicatur vtraque pars aliter contrahentium, cum inualidatione contractus. Quia tamẽ iuxta easdem constitutiones, *d. 2. c. 3.* Prouincialis in sua Prouincia habet eandem potestatem, quam magister Ordinis in toto Ordine, Prouincialis licentia sufficiet, & de facto ita seruatur: *de quo Silu. verbo alienation. 3.* Sed nota quod ex cõcessione *Eug 4. Bul* 20. pro Cisterciensib. & ex concessione *Greg. 13. Bul* 9. pro Augustinianis possunt Generales ordinũ ratificare, & reualidare alienationes à suis Religiosis factas sine licentia eorundem Generalium, vel Prouincialium, & vt notat *Rod. in qq. Reg. tom. 1. q 27. art* 2. cum Generales Ordinum sint tantum dispensatores bonorum Ordinis, non possunt reualidare dictas alienationes sine tractatu, & causæ cognitione. Conceditur enim in dictis priuilegijs Greg. & Eug. posse ratificare & reualidare non quasuis alienationes à subditis factas, sed quæ sunt factæ in euidentem eorum vtilitatem. Dicitur enim in Bul. Greg. quod scilicet Generalis diligenter causa examinata, & euidenter vtili comprobata, possit ratificare contractus: ita tamen quod non sint validi ante dictam ratificationem, nec transferant dominium. Vnde ait Geminianus *cons 48. præsbyt. colum. 3.* non posse dictos Prælatos suam authoritatem impertiri sine causæ cognitione: alias non erit valida authoritas Prælatorum præstita, & consequenter nec alienatio.

Tertia conditio, quod præcedat tractatus inter Religiosos in Capitulo congregatos, an expediat talis alienatio. Et licet regulariter præmittantur tres tractatus cum tribus interuallis temporis tamen vnus solemnis & diligens sat est: *vt ait Armi, et Silu. verb. alienationum. 10. cum Panor. in c tua, de his quæ fiunt à Prælato, etc.* vbi etiam ait Glossa, quod tractatus non requirit deliberatum consensum, sed discussionem, & indagationem circa rem alienandam, an expediat, quod alienetur, & possit subueniri Ecclesiæ, vel monasterio sine tali alienatione.

Quarta conditio, quod adsit consensus conuentus ad sonum campanulæ iuxta morem in capitulo congregati. Et consensus iste debet esse expressus, nisi quando agitur de alienatione rei, respectu alicuius necessitatis, vbi parum læditur

mo-

monasterium, tunc sat erit tacitus consensus, & taciturnitas. Ita Rebuffus de alienatione bonorum Ecclesiæ nu. 118. Vbi not. quod stando in iure communi sat est consensus maioris, & sanioris partis capituli, id enim communitas facere censetur quod facit maior & sanior pars, & maior pars totam communitatem repræsentat, *iuxta cap Cum in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte, &c. Et cap. dudum de elect. & dicitur maior, & sanior pars illa*, quæ innititur maiori rationi, & pietati, *iuxta cap. sane quippe d. 9*. Standum tamen semper est maiori parti, nisi contrarium probetur, *iuxta cap. dudum el primero de electione*, vel nisi(*vt dicitur in cap. cum in cunctis*) minor pars rationabiliter contradicat, & id ostendat. Hæc procedunt stando in solo iure communi: Nam stando in priuilegijs, *Clem VII.* (vt habetur inter priuilegia Ordinis Prædicatorum) concessit generali Prouinciali reformato istius Ordinis, & Prouinciæ reformatæ huiusmodi, sibi subditis in Italia conuentibus vtriusque sexus, vt alienationes fiant de consensu duarum partium ex tribus partibus vocalium conuentus, & sic in constitutionibus istius Ordinis *dist. 1. c. 14.* petitur pro alienationibus in toto Ordine faciendis assensus prædictarum duarum partium. Hoc ipsum concessit Augustinianis & eorum monialib. Greg. 13. Bul. 9. & idem concessit *Leo 10 Bul. 26* monialibus *S. Claræ*, & Tertiarijs. Sed illæ, & similes concessiones, in Religionibus, quibus sunt concessæ, debent obseruari. In alijs vero religionibus seruentur quæ illis fuerint concessa, cum alijs de iure communi requisitis, vbi defuerit priuilegium.

Quinta conditio, quod fiat instrumentum alienationis, vbi nomina consentientium scribantur, *secundum Bart. in lib. 1. ff. de albo scribendo*, an vero sit necessaria subscriptio religiosorum, in hoc Panor. relatus à Silu. ver. alienatio num. 4. ait Innocentium dare regulam, quod non requiritur subscriptio nisi in casibus à iure expressis, quia regulariter in quauis dispositione sat est consensus, nec requiritur scriptura. *Ita l. pactum c. de pactis*, & sic in alienatione rei Ecclesiasticæ, non est necessaria regulariter prædicta subscriptio: nisi in tribus, scilicet in venditione, permutatione, & donatione, *iuxta cap. fine except. 12. q. 2. & c. 1. & c. tua nuper, de his quæ fiunt* à Prælato, &c.

3. Conclus. Alienatio sine dictis conditionibus facta irritatur in Clem. monasteriorum. de rebus Ecclesiæ non alie. &

in extraua. *ambitiose, eodem titulo*, & alibi sæpè, & incurritur excommunicatio, & suspensio ab officio ab alienante, & ab eo cui res alienatur, & Episcopo, & Abbati alienanti inconsulto Papa, aut contra tenorem dictæ extraua *ambitiosè*, interdicitur ingressus Ecclesiæ. In quo si obdurato animo per sex menses perseueret, illis transactis est suspensus à regimine Ecclesiæ, vel monasterij, & alij inferiores prælati sunt ipso facto priuati suis officijs Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, curatis, & simplicibus, dignitatibus, & administrationibus, & res alienatæ ad Ecclesiam, vel monasterium reuertũtur, nullo dato pretio, *vt notat D. Ant 3 p. q 24 c. 9*. Item in cap. omnes 17 q. 4. omnes raptores Eccl atque suarum facultatum alienatores, & eis consentientes, à limine sanctæ Ecclesiæ pelluntur, anathematizantur, damnantur, & sacrilegi iudicantur.

5 4. Conclusio Generales Ordinum habent multa priuilegia pro alienatione bonorum sui Ordinis. Primo possunt reualidare alienationes à subditis factas alias in euidentem conuentus vtilitatem: sed sine solemnitatib. de iure requisitis, v. g si sint factæ sine instrumento, de quo fiat mentio de tali, vel tali re, &c. *Ita Nauar de spolijs Cleric.* § 2 *n* 6. Et patet in alienatione facta à pupillo sine licentia tutoris, *vt ait Gloss in l. 2. ff de acceptil* Quia, quando in aliquo actu requiritur aliqua solemnitas in ordine ad certum finem, valet obtento fine, licet deficiat solemnitas. Sat est enim, quod solemnitas postea interueniat. Quia iura tantum volunt effectum ad finem. *Ita Corse. in addi. versi. pupil.* Patet etiam exemplo electionis validæ stando in iure naturæ, scilicet, ratione consensus eligentium, quæ valet in conscientia, nec electus tenetur renuntiare, licet sit nulla ob defectum solemnitatum requisitarum de iure positiuo. *Ita Innoc in c. quia propter de elec & Anton. de Butr. & Panorm. relati à Silu ver. alienatio. n* 12. *&* 13. Quia ius positiuum adinuenit istas solemnitates ob vitanda scandala, & deceptiones, & sic, ex quo omnia ista cessant, & interuenit verus consensus, sat erit tutus, quoad Deum. *Et notetur* hoc dictum (ait Silu.) quia valet in omni actu in quo est omissa solemnitas iuris positiui, seruato alias iure naturali.

Secundo Greg XIII Bul. 20. concessit Generali Societatis Iesu, vt accepta informatione à Præpositis, vel Rectoribus domorum, vel ab eorum Vicarijs, vel à Prouincialibus, vel ab alijs sibi bene visis, auditis, iuxta eorum institutum consultori-

fultoribus possit, per se, vel per alterum in euidentem tamen domorum vtilitatem, quæuis bona vendere, alienare, permutare, & in emphiteusim, seu libellum, ad tres generationes, vel ad longum tempus concedere. Et hoc priuilegio communicant aliorum ordinum generales, iuxta dicendo *lib. 2. cap. 4.*

Tertio. Generales ordinum ac capitula generalia possunt quæuis bona conuentuum pro illorum vtilitate, & necessitate vendere, permutare, alienare, locare, vel in emphiteusim, seu libellum ad tres generationes, vel in longum tempus dare, etiam cum donationis, & inuestituræ acceptione, ac præsentata pecunia, sine diminutione tamen soliti eorum redditus, nec non generaliter, & specialiter obligare, & hipothecare, super illos census quosuis redimibiles imponere, & vendere, nec non de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet de eisdem transigere, illisque simpliciter aut liti desuper habitæ, & actionem etiam in non possessorem cedere, & renuntiare vtilitatem, venditionum, & aliorum huiusmodi, vel etiam necessitatem, vel aliam causam ob quam fiant simpliciter, & absque forma iudicij cognoscere, iudicare, & definire, & penitus determinare, libere, liciteque, & quod quilibet contractus super prædictis initi, vsque ad instans concessionis tempus perpetuo valeant, partesque ipsæ ad illorum obseruationem omnino obligentur, & ipsi contractus quibus generalium vel capitulorum generalium consensus, seu confirmatio accesserit, non egeant alia Sedis Apostolicæ confirmatione, & approbatione. Ita concessit Societati Iesu, Iul. III. & Greg. XIII. *vt habetur in compend. Societatis tit. alienatio. §. 1. & 2. & refertur à Rodr. in qq. reg. tom. 1. qu. 27. art. 3.* Quo priuilegio communicant aliæ Religiones, & sic earum generales ac capitula generalia possunt renuntiare cuiuis actioni & liti habitæ super iuribus pertinentibus ad monasteria, etiam sine consensu conuentuum, quibus competunt talia iura, & hoc est magnum priuilegium pro sedandis litibus, interdum non sine scandalo ortis inter Religiosos ex vtraque parte, & inter Religiosos & alios, ex hoc tamen non debent generales facilè cedere dictis iuribus, nisi re vera hoc redundet in vtilitatem monasteriorum: alias, *vt ait Rod.* tenebuntur satisfacere conuentibus læsis.

CAPVT V.

De voto Castitatis.

SVMMARIVM.

1 NOt. 1. Religiosum per votum castitatis abdicare à se omnes venereorum delectationes, etiam aliàs sibi in statu coniugali licitas: & quòd castitas, quæ ante votum ad solam virtutem temperantiæ & castitatis pertinebat, per votum pertinet etiam ad virtutem Religionis; & sic violatio castitatis in Religioso habet duplicem specificam malitiam in confessione necessariò explicandam, vtpotè & contra Religionem & contra temperantiam, & castitatem.

Not. 2. votum castitatis esse duplex, aliud simplex, aliud solemne: & fit solemne, vel per susceptionem sacri ordinis vel per professionem expressam, aut tacitam ad certam regulam seu Religionem à Sede Apostolica approbatam.

Not. 3. Quod cum Religiosi magis subdantur, etiam per votum obedientiæ, Papæ, quam Prælatis suorum ordinum, & ei potius obedire teneantur, ad eundum Pontificem spectat, statuere leges, quibus status Religiosus conseruetur. Et sic pro voto castitatis melius seruando statuit leges vetantes ingressum sæcularium in monasteria Religiosorum vtriusque sexus, & egressum monialium extra clausuram suarum domorum, quas in hoc capitulo explicare contendimus.

2 Dub. 1. *An liceat mulieribus intrare monasteria Religiosorum. Not.* quod per monasterium tantum intelligitur claustrum, dormitorium, & officinæ interiores, vt patet ex Innoc. IV. *Nicol* III. & Greg. IX. sic explicantibus regulam Mi-

norum

norum vetantem dictum ingressum. Et sic mulieres intrantes hortos contiguos monasterijs & sacristiam, dum tamen per istorum portas, & conuentus non intrent, non violant Pontificum leges vetātes ingressum in monasteria. Nec obstat, quod Greg. XIII. in suo proprio motu de quo statim, ait quod non liceat intrare monasteria, & loca: quia per monasteria, & loca idem importatur, licet Manu. Rod. exponendo decreta *Pij V. & Greg. XIII.* dicat intelligi de hortis etiam contiguis, sed contra vsum contrarium. Secundo in consti. fratrum Prædicatorum d. 2. c. 1. habetur, quod mulieres non intrent Claustrum, oratorium, vel alias officinas interiores. Et licet statim in Gloss. declarando, ponatur pœna grauioris culpæ introducentibus mulieres in hortos, in dormitorium, in cameras vel alias officinas interiores, tamen quantum attinet ad culpam, sola priora loca dicuntur monasterium, de quo loquitur prohibitio Summorum Pontificum.

1. Concl. Non licet mulieribus intrare monasteria Religiosorum. Quia *Eug. IV. Bul 9.* pro Benedictinis excommunicat mulieres monasteria Religiosorum intrantes & ductores, & receptores earum si voluntariè id fecerunt. Et si dicas legem istam per contrarium vsum esse abrogatam, vt dicebat sapiētissimus, & Religiosus valde magister frater Petrus Ferdinandez Confessarius Principis Hispaniarum Philippi III. tamen postea *Pius V. Bul.* 20. excōmunicat cum reseruatione mulieres monasteria Religiosorum intrantes prætextu aliquarum licentiarum, quas ibi reuocat, etiamsi istas licentias habentes sunt Ducissæ, Marchionissæ vel Comitissę. Et ibidē præcipit Pręsidentibus Conuentuum, ac eorum Religiosis sub priuatione officiorum, & inhabilitatione in posterum ad eadem & similia, & dissimilia, & suspensione à diuinis ipso facto, & sine alia declaratione incurrendis: ne eas introducere, admittereve præsumant. Et postea *Greg. XIII. Bul.* 41. *idem ac Pius V.* & sub eisdem pœnis statuit, & confirmauit. Imo & addit imponendo excommunicationem latæ sententiæ, dictū ingressum sub prætextu dictarum licentiarum permittentibus: *vbi nota*, quod in dictis decretis non comprehenduntur Imperatrices, Reginæ, Infantes, quibus ingredientibus licet secum ducere ancillas ex more eis associantes. Quia secundū Panor. tit. de priu. n. 7. priuilegium alicui concessum eius etiā socijs fauet, vt patet in illo, qui in tempore interdicti, interesse potest diuino officio, cum associantibus ei, ex more.

 2. Con-

2. Conclusio. Licet stando in rigore prædictorum decretorum *Pij V. & Greg. XIII.* tantùm videatur interdictus ingressus mulierum in monasteria, sub prætextu illarum licentiarum ibi reuocatorum, tamen stando in declaratione *Pij V.* data Romæ die 27. Ianuarij anno 1568. omnibus mulieribus est interdictus ingressus, quocunque motiuo id faciant. Et declaratio *Pij V.* talis est.

3 *Nos Alexander miseratione diuina tituli S. Ioannis ante portã Latinã Presbyter Cardinalis Cribelus nuncupatus, omnibus, & singulis præsentes litteras inspecturis, lecturis, & audituris, fidẽ facimus indubiã, & in verbo veritatis attestamur, qualiter sãctissimus in Christo Pater Pius diuina prouidentia Papa V. viua vocis oraculo nobis facto dixit, & declarauit, fuisse, & esse mentem suã, & intẽtionem, quod eius littera sub forma breuis, sub die 24 Oct. anni 1566. Pontificatus sui anno 1. edicta, in quibus mulieribus quibuscunq; ingressus monasteriorũ regularium cũ derogatorijs clausulis, & irritantibus decretis prohibebatur, non solum cõprehenderent & comprehendant mulieres habentes, & habere prætendentes facultatẽ, & indulta ingrediendi huiusmodi monasteria, sed etiã omnes, & quascunq; mulieres alias tam in genere, quam in specie,* &c. Ita refert Rod. inter viua oracu. *Pij V.* & ita seruant Romæ Papæ, pœnitentiarij de sententia *Greg.* XIII. & Nuncius in Hispania. Et in nostro Prædicatorum ordine sic est executioni mandatum. Et intelligitur de mulieribus habentibus sex annos completos, vt etiam notat Rod. dum exponit dicta decreta.

4 3. Conc. In aliquibus casibus licet mulieribus intrare monasteria Religiosorum Primo in declaratione prædicta *Pij V.* subiungitur sic, *significans nihilominus idẽ sanctissimus dominus noster eodẽ viua vocis oraculo nobis facto: quod propter hoc, & per dictas suas litteras non intellexit nec intelligit quod mulieribus præcludatur aditus accedẽdi ad monasteria, & loca regulariũ ac eorũ claustra, quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur, ac quando processiones fiunt & quando fidelium cadauera ibi sepeliũtur, ac etiã pro eis suffragia fiunt; sed liberè concessit, & concedit eisdẽ omnibus mulieribus facultatẽ, vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur cũ alijs Catholicis personis accedere, libere & licitè possint, & similiter, quod quando diuinũ verbũ in Ecclesijs monasteriorũ, & regulariũ locorum*

rum

rum huiusmodi proponitur, vel propter aliquã causam est tantus cõcursus populi, quod cõmode ingredi nõ possunt, per principalẽ portã Ecclesiæ, concedit eodẽ viua vocis oraculo vt dicta mulieres, vna cum alijs sæcularibus personis possint ingredi, & egredi per portã claustri monasteriorum, & regularium locorum huiusmodi, dum tamen recto tramite accedant ad portam, qua exitur à monasterio. Non obstantibus &c. Hæc *Pius V. vbi Not.* 1. non licere facere processiones extraordinarias, hoc animo, vt mulieres claustrum intrent: si tamen aliqua mulier petat Missam in aliqua capella claustri, possunt cum ea omnes mulieres intrare.

Not. secundo, posse mulieres existere in dictis locis quando prædicta celebrantur, non taliter, quod statim finita celebratione egredi teneantur: sed possunt aliquantulum immorari, quia res morales non consistunt in indiuisibili, sed habent latitudinem moralem ad arbitrium prudentium. Si tamen mulieribus sic ingressis præbeatur ibi prandium, aut si quando in festo Corporis Christi processione facta de mane, mulieres per totum diem in claustro, etiam ornato detinentur, violant dicta decreta. Secùs sit, si processio fit in mane, & vespere.

Secundo, licet mulieribus intrare monasteria Religiosorũ. Religioso grauiter ægrotante, & deficiente medico potest intrare mulier medica, quæ eum medeatur, si Religiosus exire non potest, cum licentia tamen Prioris de consilio Discretorum, & cum aliquibus sæcularibus associata, vt sic vitetur scãdalum. Quia conseruare vitam est cuique naturalissimum. Item quia egressus monialium à clausura strictius vetatur, quam ingressus mulierum in monasteria Religiosorum: sed moniales ob causam legitimam morbi, & aliarum rerum possunt egredi à clausura, *vt dicetur latius Dub. 3. ergo.*

4 Cõc. Officia quibus priuãtur & ad quæ inhabilitãtur violatores istarũ legũ, sunt quæ habent iurisdictionẽ annexam, vt sunt Prioratus, &c. iuxta dicta supra in explicatione decreti de largitione munerum. Et sic possunt esse Definitores, Lectores, Prædicatores, &c. Itẽ isti violatores suspendũtur à diuinis, scilicet ab exercitio ordinũ, etiã minorũ. Non enim possunt solemniter ministrare aliquod Sacramẽtũ, nec dicere solemniter orationes in choro, nec Euãgeliũ, aut Epistolã solemniter, nec cereos deferre, vel alia annexa ordinibus etiã minoribus exercere. Suspenduntur etiã à diuinis officijs ordinibus non deputatis, etiãsi fiant extra Ecclesiã, exceptis horis canonicis, quas

priuatim recitabunt. Et officia ordinibus non deputata, sunt psallere in choro, psallere responsoria & litanias, baptizare sine solemnitate extra extremam necessitatẽ, audire Missam, acceptare electionem, excommunicare, & conferre beneficia. Verum est quod quando suspensus à diuinis exercet ista non deputata ordinibus, non fit irregularis, licèt peccet. *Ita Nau. in man. c. 36. n. 103. & Cou. in . alma mater. 2. p. §. 2. n. 2.*

An verò istæ, & similes pœnæ incurrantur ipso facto per peccata externa omnino occulta; dixi *supra exponendo decretum de largitione munerum*; *quis autem possit absoluere ab istis censuris, dicetur in fin. c. 6. dub. 15.*

5 Dub. 2. *An liceat intrare monasteria monialium.*

1. Conclusio. Non licet ista loca intrare per se loquendo. *Primò*, quia in Conc. Trid. sess. 25. c. 5. vetatur sub excommunicatione talis ingressus omnibus personis cuiusuis status, & ætatis, nisi in casibus necessarijs, & cum expressa licentia Episcopis in scriptis, pro suis scilicet subditis, aut alterius superioris pro suis scilicet subditis. Secundò, quia Gregor. XIII. Bul. 40. & 41. reuocat licentias personarum cuiusuis status, etiam Ducissarum, Comitissarum, & Marchionissarum, quarum prætextu dicta monasteria intrare conabantur: & sub excommunicatione sibi reseruata præcipit illis ne istarũ licentiarum prætextu monasteria monialium, vel earum loca intrare audeant; nisi in casibus necessarijs, & cum licentia superioris in scriptis: iuxta dictum Concil. Trid. & Abbatissis, Præsidentibus, conuentibus ac alijs superioribus præcipit sub excommunicatione Papæ reseruata, nec non & priuatione dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum ac inhabilitate ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne prætextu illarum licentiarum quemquam dicta monasteria, vel loca ingredi faciant aut permittant.

2. Conclusio. Prælati regulares possunt per se & per alios, capere, incarcerare, & secundum arbitrium suũ, & delicti qualitatem punire quoscũque repererint intra clausuram monialium sibi subditarũ. Ita concessit *Bonifac. IX.* Prædicatoribus, vt habetur in eorum constitutionibus, *d. 2. cap. 17. in glo.*

6 3. Concl. In aliquibus casibus licet intrare monasteria monialium. Primò, id licet infantibus discretione carentibus, cum ad peccatum incitare non possint. Et quando Concil. excludit omnes cuiusuis ætatis, loquitur de habentibus vsum rationis, & de illis, qui ad peccatum monere possunt:

possunt: vt sunt fatui qui licet intrando non peccent, peccant tamen moniales eos admittentes. *Ita Nau. in c. statuimus 19 q.3. n.59.* Secundo licet intrare dicta monasteria, de licentia Episcopi, pro monialibus sibi subditis, aut de licentia alterius superioris pro sibi subditis: & in casibus necessarijs. Alias enim, fine necessitate etiam cum licentia intrantes, & moniales illos admittentes incurrunt excommunicationem, & alias pœnas, vt habetur in Bul.41. *Gregor. XIII.* Et confirmatur hoc ex declaratione congreg. Card. in tempore *Clem.VIII.* relata à Rodrig. in compen. vbi dicitur non posse mulieres commorari in monasterijs monialium, etiam cum licentia Episcopi, vt moris erat in diœcesi Salmantina: ob casus scilicet occurrentes, litium scilicet matrimonialium, adulteriorum, dissensionum inter viros, & vxores, quibus in casibus mulieres ibi sequestrari solent, cum non inueniantur alia securiora loca. Alias si sic intrent, incurrunt excommunicationem, & alias pœnas Conc. Trid. & ibidem declaratur non licere in monasterijs intra ostium clausuræ, & claustrum, habere cubiculum, quo ex consuetudine intrent mulieres ad colloquendum cum monialibus, sed quod contrarius vsus abusus reputetur, & pœnis Conc. puniatur. Verum est, quod Prosperus Farinacius Iurisconsultus Romanus refert ex practica in Curia seruata super Concil. Trident. sess.25. cap.5. posse ordinarium puellas in monasterijs collocare ad tempus donec lites finiantur, & mulieres suspectas de adulterio ob quod timent maritos: cum conditionibus infra dicendis circa ingressum viduarum, &c. ad ibi commorandum.

Not. 1. quod cum capitulum succedat Episcopo in Sede vacante, *vt ait Silu. ver. capitulum n* 4. Prouisor à capitulo nominatus erit superior ad dictam licentiam concedendam respectu monialium Episcopo subditarum, sicut respectu monialium Religiosis subditarum mortuis Generali, vel Prouinciali, Vicarij istis succedentes habent omnem eorum authoritatem, etiam circa moniales, vt conceditur à Iulio II. & habetur in constit. Prædicatorum d 2. cap. 3.

Not. 2. quod licet minor causa sufficiat pro ingressu mulierum, quam virorum in ista monasteria monialium, & adhuc minor pro ingressu matris, vel sororis, non tamen est causa sufficiens pro matre visitare filiam morti proximam, aut quando profitetur, aut habitum recipit. Ita declarauit Cong. Card. vt refert Rod. in qq. reg. to. 1. q.64. art. 11.

quia nec est in praxi talis ingressus aut saluti corporali, aut spirituali filiæ necessarius.

Not. 3. non esse necessariam licentiam in scriptis pro casibus communiter occurrentibus, vt pro ingressu medici, confessoris, visitatoris, artificis, & aliorum, quorum repentina opera passim sunt necessaria: potest enim superior hanc generalem licentiam in scriptis committere Priorissis, vel confessoribus monialium, vt in similibus casibus ipsi dent licentiam, vel potest dici, non esse necessariam licentiam superioris expressam in his etiam verbo tenus, sed Priorissa ex præsumpta interpretatiua voluntate superioris eam concedere potest iuxta *Diuum Tho.* 2.2.q.147.art.4.vbi ait, non requiri superioris dispensationem quando causa non seruandi legem, est euidens, aut superior adiri non potest, maxime si consuetudo ita habet.

Tertio, licet Religiosis curam monialium gerentibus illarum monasteria intrare, pro exercendo monasterij opere, pro conseruandis monialibus ab incẽdio, aut similibus, & pro defendẽdis à latronibus. Licet etiã Presbytero cum socio intrare pro ministrandis Sacramentis in infirmitate monialiũ, aut famularũ ac pro cadauera sepeliẽdo. Ita concessit Minoribus *Innoc. VIII. Bul.* 12. Quartò, licet superioribus monialiũ intrare earum monasteria in casibus tamen necessarijs, & comitari à paucis personis senibus, & Religiosis. *Ita Greg.* XIII. *Bul.* 42. & ibidem Episc. sine causa necessaria intrantes in monasteria suarum monialium, interdicuntur pro primo ingressu ab ingressu Ecclesiæ, & pro secundo ingressu excommunicantur, & suspenduntur à munere Pontificali, & à diuinis, & alij superiores regulares sine causa necessaria, in monasteria monialium suarum intrantes excommunicantur, & officio, & omni ministerio sunt priuati. *Vbi Not.* quod licet in Concil. Trident. sess. 25. c. 5. statuatur, quod qui præest electioni Priorissæ, aut Abbatissæ Episcopus, aut alius superior, non intret monasterium, sed ante cancellorum fenestellam vota singulatum audiat, aut accipiat, tamen lex ista, etsi nullam ponat exceptionem, est limitanda sic, nisi Prælati prudenter iudicent, non posse fieri canonice dictam electionem ipsis non intrantibus, ob inquietudinem monialium & suspicionem subornationis votorum inter ipsas subortæ, aut ob alias iustas causas à superioribus prudenter arbitrandas, & ibi possunt vota recipere. *Ita Nau. loc. cit n.* 59. &

Rodrig.

Rodrig. art. 4. *&* 5. & patet, quia cum ipsi possint cum alijs dispensare ex causa necessaria in isto ingressu, etiam secum idem poterunt, *secundum Caiet.* 1.2 *q.*96.*art.*5.*& Codr.li.* 5.*q.*3. & ita disponitur in Bulla Greg. citata.

Secundo, non obstante Conc. Trid. si alias non obstet statutum alicuius Religionis, licet recipere in monasterijs monialium viduas, mulieres nobiles, & puellas vsque ad vigesimum quintum annum, vt in moribus instruantur, cum habitu seculari honesto, & sine ancillis, & cum licentia superioris monialium, & consensu Abbatissæ, & maioris partis monialium, & seruando legem communem clausuræ: & sic semel è monasterio egrediantur, iterum illuc intrare sine noua licentia non permittantur, nisi ad hoc vt fiant moniales: licet tamen curandæ valetudinis causa dare licentias ad balnea, dictis puellis, & sic cum dicta licentia in monasterium redire possunt. Ita refert Prosp Farin. lo. ci. ex practica in Curia seruata, vbi etiam refert declarationem Cardi factam Episcopo Abulensi, pro monasterio sanctæ Annæ eiusdem ciuitatis: vbi habetur non licere ancillis monialium secularibus claustra monasterij intrare, & exire quoties velint.

D V B I V M III.

An moniales possint exire monasteria.

1. Conclusio. Non licet moniali professæ exire à monasterio, etiam ad breue tempus quouis prætextu, nisi ex aliqua causa legitima per Episcopum approbanda. Ita in Con. Trid. ses 25. c. 5. & loquitur Con. de monialibus Episcopo subiectis: nam approbatio causæ ad exeundum pro monialibus Religiosis subiectis debet fieri per earum generalem, aut Prouincialē. Et licet *Pius V.* in motu, qui incipit, *decori, & honestati*, edicto calendis Februarij anni 1569. requirat pro egressu monialium, non tantum licentiam suorum superiorum, sed etiam Episcopi, & ita etiam declarauerit congregatio Cardinalium, vt refert Rod. in qq. reg. to. 1. q. 49. art. 6. tamen in Hispania hæc lex pro hac parte per contrarium vsum est abrogata, & cum sola licentia suorum superiorum exeunt moniales. Et intelligitur nostra conclusio, etiam de monialibus tertij Ordinis Prædicatorum, & Minorum collegialiter viuentium, cum istarum vota ita solemnia sint, & irritantia matrimonium, sicut & aliarum monialium vota ex priuilegio *Paul. III. Bul.* 6. & eodem rigore tenentur ad castitatem seruandam sicut & moniales habentes velum.

2. Con-

2. Conclu. Moniales exeuntes è Monasterio sine licentia, & superiores sine causa rationabili ad id licentiam concedentes & qui illas sic egressas comitantur, & recipiunt, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam: & vltra hoc dicti superiores & moniales ipso facto priuantur officijs, dignitatibus, & administrationibus, & ad obtenta, & in posterum obtinenda inhabilitantur. Ita statuit *Pius V.* in motu proprio citato. Quis autem possit absoluere ab istis pœnis, dicetur *cap. 6. Dub. 15.* eadem enim est ratio de istis ac de pœnis violantium clausuram monasteriorum.

Dub. 4. *Quæ causa sufficiant, vt superior licite dispenset cum egressu monialium à monasterio.*

1. Concl. Causa legitima pro isto egressu erit prima, magnum incẽdium, lepra, aut epidymia. *Ita Pius V.* in motu citato. *Vbi not.* 1. quod existente aliqua istarum necessitatum petenda est licentia à superiore, si in breui haberi possit, cum sit in iure vetita talis egressio sine tali licentia: *in c. monachum. 20. q. 4. & in Conc. Trid. lo. cit.* si tamen sit periculum in mora, sat est licentia præsumpta, & tunc transferant se moniales ad locum competentem, vbi quantum commode fieri possit, clausæ morentur quousque de monasterio sit prouisum. Ita statuit Vrba. 4. pro monialibus sanctæ Claræ, vt refert *Rod. in qq. reg. to* 1 *q. 49. art.* 1. & à Pio V. loc. cit. præcipitur, & declaratur, quod ad solum tempus necessarium stare licet monialibus extra monasterium, & non amplius.

Secundo not. quod stando in rigore vocabuli, *epidymia* potest hic accipi, pro morbo multos inuadente, & populariter grassante, etiã sine pernicie & morte, non enim est restringenda dicta lex *Pij V.* ad solam Epidymiã pestilentem, & mortiferam; considerauit enim pater ille sanctissimus, quod si dicta epidymia etiam absq; pernicie & morte ex vna in alias moniales transeat, & per monasteriũ grassetur, difficillime seruaretur monasteriorum clausura, cum ad minus necesse sit, illuc introducere mulieres sæculares ad monialium medicamen, & istas ad curationem extra septa monasterij frequenter exire.

Secunda causa legitima pro egressu monialis, erit, vt si à suo superiore mittitur ad fundandum alibi monasterium, vel vt in alio conuentu sit Prælata, vel magistra nouitiarum, vel vt ponatur in alio officio, in quo maximè consistit honestas Religionis: ex quo peracto officio ad suum monasterium reuertitur. Item ob correctionem potest duci monialis ad aliud

mona-

monasterium, quando in suo monasterio, ob cognatos, aut aliter non potest corrigi. Item possunt moniales exire, quando de mandato sui Prælati primo monasterio ex causa rationabili relicto, totus conuentus ad aliud monasterium se transfert. Imò si ista translatio fit à locis desertis ad oppida, commendatur maxime à Conc. Trid. ses. 25. ca. 5. Prædicti casus referuntur ab *Vrba*. 4. loc. cit. nec sunt reuocati à *Pio V*. in suo proprio motu, ponendo tantum incendium, lepram, & epidymiã: nam præterquam quod isti casus sunt similes casibus *Pÿ V*. cũ omnes concernant bonum communitatis, & non bonum monialium in particulari, tamen ex vsu etiam comprobantur. Et hoc etiam est conforme Conc. Trid. loco citat. disponenti non licet moniali exire à monasterio, nisi ex rationabili causa ab Episcopo approbanda: sed iam istæ causæ sunt approbatæ ab *Vrbano IV*. totius orb s Episcopo, ergo. Vnde superiores dum concedunt monialibus licentiam exeundi è monasterio in istis casibus, solum debent declarare istosmet casus esse ex ijs, qui sunt approbati à Papa.

An verò liceat monialibus exire è monasterio ob alias causas prater iam dictas: In hoc Gutierrez in qq. can. cap. 14. ait illud esse licitum in causis similibus cum causis exceptis à *Pio V*. v. g. in casu hostium inuadentium monasterium, in casu aquæ ductus, aut ruinæ domus, & aliorum similium, incendio, & in alijs infirmitatibus contagiosis, & nociuis communitati monialium: sicut sunt lepra, & epidymia. Et hoc tanquam certum ab omnibus acceptatur, iuxta dicta à nobis supra explicando motum proprium de largitione munerum in principio, de quo etiam vide Silu. ver. aliena. num. 11. non tamen erit licitus iste egressus, ait iste Doctor, in infirmitatibus soli moniali nociuis, quia cum Papa in suis tribus exceptionibus, incendij scilicet, lepræ, & epidymiæ semper consuluerit & prouiderit bono communitatis, & non monialis in particulari, bene colligitur tantum voluisse, commoditatem communitatis esse præferendam clausuræ, & cum clausuræ detrimento esse conseruandam, secus tamen est de commoditate, & necessitate monialis in particulari. His non obstantibus.

2. Conclusio sit. Satis pia & probabilis est sententia Nauar. in c. statuimus num. 4. extendens dictum decretum *Pÿ V*. ad infirmitatem soli moniali nociuam: cui exeundo è monasterio remedium adhibetur, si alias periculum vitæ, aut gra-

uis,

uis,& diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur. Et hoc maximè est verum in monialibus non ex voto, sed ex statuto Ecclesiastico ad clausuram obligatis, lex enim humana non obligat cum tanto rigore,& morali periculo mortis,aut grauis & diuturnæ infirmitatis. Imò nec votum perpetuæ clausuræ ab aliquibus monialibus emissum fit ab eisdem cum isto rigore moriendi potius,quam exeundi à monasterio, nec in earum regula hoc postulatur, sicut postulatur in regula Carthusiensium potius esse moriendum,quam carnes gustandum. *Et confirmatur* ex doctrina Bald.in rubr.C.de Const. partic. & aliorum iuristarum communiter asserentium statuta regularium non esse ita rigorosè interpretanda,vt apices iuris seruentur, sed debent ampliari ex bono, & æquo, hoc est secundum æquitatem naturalem,licet non ad libitum,sed prudenter secundum terminos iuris naturalis & gentium,& hoc maximè debet verificari in nostro casu, vbi agitur de periculo vitæ, aut grauis, & diuturnæ infirmitatis.

CAPVT VI.

De voto Obedientiæ.

SVMMARIVM.

Ad quid obligetur religiosus per votum obedientiæ.

NOt. 1. quod per votum obedientiæ obligatur Religiosus obedire Prælato secundum statuta suæ Religionis, & non maiori rigore,quam quo ibi obligatur. Si enim inter sua statuta aliqua non obligent sub peccato, non tenetur, ex vi voti illa sub peccato seruare. Ex quo patet non teneri Religiosum obedire Prælato præcipienti aliquid contra Dei mandata, aut Ecclesiæ ordinationes, aut si aliquid præcipiat contra regulam, aut statuta suæ Religionis, vt quod sanus comedat carnes. Item non tenetur obedire, si præcipit aliquid supra regulam, vel sua statuta; vt quod ieiunet in pane, & aqua, nisi alias hoc sibi imponatur, in pœnam suorum defectuum. Item non tenetur obedire quando præcipit ea ad quæ non se extendit prælaturæ authoritas; vt quod sibi reuelet suum peccatum occultum, aut quod confi-

confiteatur peccatum iam confessum. Ita habetur in constitut. Fratrum Prædicatorum *d.1.cap.15.*

Secundo Not. quod Religiosus per votum obedientiæ, subijcit se plenarie suo superiori, vt Patri, vt iudici, & vt Prælato, vt in sequentibus videbimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De potestate paterna Prælati regularium.

SVMMARIVM.

Ad quæ se extendat potestas paterna Prælati regularium.

DVBIVM I.

Quanta sit ista paterna potestas.

1. Conclusio. Potestas ista extendit se ad corrigenda & punienda delicta subditorum, etiam leuia, nulla præmissa de istis leuibus accusatione, aut denuntiatione, nec facta super istis aliqua informatione, eo modo quo pater familias respectu suorum filiorum ad ista punienda procedit.

2. Conclusio. Prælati Religiosorum, sicut Prior & alij similes & superiores Prælati, possunt per potestatem dominatiuam irritare omnia suorum subditorum vota, & iuramenta: exceptis tribus votis solemnibus, paupertatis scilicet, castitatis & obedientiæ, & excepto voto transeundi ad arctiorem Religionem, vt est communis sententia, de quo latius in materia de voto: possunt tamen hoc votum dispensare, vt dicetur *dub.2.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

De potestate Prælati regularium in quantum est iudex.

SVMMARIVM.

An religiosi sint exempti à iurisdictione secularium. n.1.
An superiores religiosorum sint eorum iudices n.2.

An

An liceat religiosis appellare ad iudicem secularem n.3.
An liceat appellare ad Papam, vel superiores Prælatos eiusdem Ordinis. n.4.

DVBIVM II.

An Religiosi sint exempti à potestate iudicum secularium:

1. Conclusio. Omnes Religiosi & Ecclesiastici ex iure humano canonico, & ciuili, sunt exempti à potestate & iurisdictione seculari, tam in causis ciuilibus, quam in criminalibus. *Patet ex Conc. Trid sess.25. cap.20. & in authen. statuimus de Episcopis, & Cler. & in iure Hispano lib. 5. tit. 6. par. 1. & to. 1. ord. reg. tit. 5. le 6.* Et in Bulla Cœnæ excommunicantur iudices seculares se intromittentes ad cognoscendas causas Ecclesiasticorum, vel vocantes ad sua tribunalia Ecclesiasticos Et si aliquando Religiosi, aut laici ad consilium regale recurrunt, quando vident se grauari aliquibus litteris Apostolicis, aliquid sub grauibus pœnis præcipientibus, & tunc regale consilium detineat literas, præcipiendo ne executioni mandentur, non ideo fit, quia consilium regale de hoc velit iudicare, nec etiam præcipit quod litteris Apostolicis non obediamus: sed quod non mandentur executioni, quousque Papa certificetur de inconuenientibus talium litterarum executioni obstantibus, & videat quid facto opus sit. Et ista litterarum detentio licite fit, siue ex priuilegio, *vt fertur à Bannes, 2.2.q.67. art. 1. du.2. conc.2.* siue ex causa rationabili, quia ita expedit paci & bono regimini, *vt ait Bald. in cendi. 2 pa. de Bulla Cœna, num.22. Cod. in pra q.35. n.4. & alij quos refert Ce. in qq. reg. tom.1. qu.6. art 8.* & eadem authoritate auditores cancellariarum & consilij regalis sæpè præcipiunt iudicibus Ecclesiasticis, vt absoluant à censuris iudices seculares, aut alios ad eos confugientes, *por via de agrauio, ò fuerca,* dum examinatur, an iudex Ecclesiasticus legitime procedat.

2. Conclusio. Etsi Religiosi, sicut & Clerici teneantur seruare leges ciuiles in bonum reip. ordinatas, cuiusmodi sunt leges taxantes precia rerum, vetantes aliquod genus vestium, arma aliqua, venationem in certis temporibus: tamen istarum legum transgressionem punire, spectat ad superiores delinquentium, & non ad iudices seculares.

3. Concl.

3. Concl. Religiosi, sicut & Clerici, non possunt cogi ad iurandum, vel testificandum in extraneis secularium tribunalibus: imo nec in tribunalibus aliorum ordinariorum Ecclesiasticorum extra ordinem, licet eorum testimonia etiam pro ipsorum Religiosorum causis, in omni tribunali Ecclesiastico & seculari, sint legitima, & admittenda, prout concessit Cælestinus Eug. 4. Bul. 7 & Benedict. Bul. 9. & 17.

DVBIVM III.

An superiores Religiosorum sint eorum iudices.

1. Conclusio. Superiores Religiosorum sunt eorum iudices ad punienda eorum delicta iuxta sua statuta; & *Bonif. VIII. & IX.* concesserunt Prælatis ordinis Prædicatorum, ad quos spectat Religiosorum punitio, posse eos libere punire secundum constitutiones approbatas, & instituta Ordinis generalia facta, & facienda, relictis rimulis, & apicibus iuris, etiam iuris ordine postposito. Ita habetur in constit. istius ordinis, d 2. c. 17. vbi nomine rimulorum, & apicum iuris non venit intelligenda accusatio, & citatio; hæc enim in causis grauibus necessario debent præcedere, alias sententia lata, sine his, etiam inter Religiosos erit nulla. *Ita Nau. lib. 2. cons. 1. titul. de sententia, & re iud. & Rodr. in sn. tract. de ordi. iudi. cap. 12. n. 7.* non tamen est necesse, quod ista accusatio fiat per Religiosum offensum, aut etiam per alium Religiosum, sicut enim iudex secularis, saltem in criminalibus, etiam non accusante iniuriato, per se, vel per alterum tenetur ex officio procedere, dum adsit aliquid supplens vicem accusatoris, vtpotè clamorosa insinuatio, publica infamia per maiorem partem viciniæ, vel communitatis sparsa, vel euidentia patrati sceleris coram iudice existente cum alijs, *vt ait Caiet. 2. 2. q. 67. ar 3. ad secundum D. Thō. exc. euidentia de accusat*, à fortiori ad id tenetur superior regularium in ijsdem casibus. Alias Religiosorum communitas, & Religio, quæ semper petit satisfactionem, maxime læderetur. Et cum Religiosi non ita facilè conquerantur apud superiorem de iniurijs sibi illatis, sed ferant patienter, obseruantia regularis paulatim corrueret delictis impune manentibus. Item inter rimulos & apices iuris non comprehenditur, quod dicta testium declarentur sub præcepto, iuramento, vel excommunicatione, & quod non

scri-

scribantur à iudice, sed à secretario, vel notario, vel saltem ab ipsis testibus: hæc enim omnia cum alijs de iure substantialibus necessario debent interuenire etiam in causis regularium: *vt notat Rod. in qq. regul. tom. 1. q. 13. art. 1. & 2.* secus sit de alijs non substantialibus, quæ nomine apicum & rimulorum intelliguntur.

2. Concl. Religiosus sine licentia ab ordine recedens, potest per suum superiorem compelli censuris ad hoc, vt reuertatur. Et istum detinentes post denuntiationem priuilegiorum quæ regulares habent circa hoc, sunt excommunicati. Ita concessit Prædicatoribus *Sixtus IV. Bul. 13. & Iul. 2. Bul. 26.* Et ordinarij locorum à Religiosis requisiti tenentur denuntiare tanquam excommunicatos, eos qui dictum Religiosum detinent, auxilium, aut fauorem apostatandi præbent. Ita concessit minoribus *Clem. IV. Bul. 15.*

3. Conc. Religiosus fugitiuus, vel qui transijt ad alia monasteria, aut seruitia etiam alicuius Cardinalis sine licentia sui superioris, potest per ipsum etiam cum auxilio brachij secularis (si opus sit) capi, incarcerari, & censuris compelli. Ita concessit Benedictinis. *Eug. 4 Bul. 8.*

4. Concl. Ordinarij à religiosis requisiti examinare debent licentias religiosorum ab ordine exeuntium, & si non inueniantur veræ reuocentur, aut saltem non permittant eos morari vbi sunt monasteria suorum ordinum. Ita concessit Minoribus *Iul. 2. Bul. 12.*

DVBIVM IV.

An liceat Religiosis appellare à correctione suorũ superiorũ.

1. Conc. Non valet appellatio Religiosorum ad iudicẽ extra ordinem. *Primo*, quia Iul. 2. prohibet appellationes fratrũ & monialiũ ad curias Ecclesiasticas, aut seculares, & præcipit sub excõmunicatione iudicibus quarumlibet curiarũ: ne istas appellationes vllo modo recipiant, vel cognoscãt: & aliter factæ ab eo irritantur, non obstantibus ordinationibus Apostolicis vel dicti ordinis, scilicet Prædicatorum statutis in contrarium. Ita habetur in cõstit. ordinis Prædicatorum d. 2. c. 8. *Secundo ex Bonif.* 8. loc. cit. habetur, quod nullus frater, vel soror ordinis prædicti corã iudice extraneo ex quauis causa cõueniri, nec à correctione quauis seu alias ab aliquo Prælato, aut

aut fratre dicti ordinis quauis occasione appellare, aut contra eos querelam proponere audeat: nisi prius coram Priore seu Prouinciali, seu Magistro ordinis causam, & querelam suam proposuerit verbo, aut scripto. *Tertio, Greg.* 13. *Bul.* 2. prohibet fratribus Minoribus sub excommunicatione, appellationes ad secularia tribunalia: sed Maior difficultas est, an liceat appellare ad Papam, aut ad prælatos superiores eiusdē ordinis. Et videtur quod non. *Primo*, quia est vetita religiosis talis appellatio in c. ad nostram, & c. reprehensibilis, de appellationibus *Secundo*, quia *Bonif.* 8. Bul. 1. pro Minoribus, & Bul. 10. pro Cisterc. & *Eug.* 4. *Bul.* 9. pro Benedict. dicunt non licere Religiosis appellare à correctionibus suorum superiorum, etiam ad Papam, & irritant appellationem, si fit.

Tertio, in constitutionibus ordinis prædicatorum dist. 2. c. 8. habetur sic, *Declaramus, quod licet appellatio sit de iure naturali, vnusquisque potest iuri suo renuntiare, & eo ipso, quo quis obedientiam profitetur secundum nostras constitutiones, secundum quas non licet appellare, ex hoc renuntiat iuri sibi à natura competenti de appellatione, sicut & iuri possidendi aliquid vt proprium*: vnde in c. apud Carcasonam celebrato an. 1612. sic dicitur: *Volumus, & ordinamus, quod quicunq; frater repertus fuerit iudicio eius ad quem spectat sine causa rationabili à suo superiori appellasse, incarceretur: denuntiantes fratribus vniuersis, quod de iure communi, & ex priuilegio ordinis speciali, nulli licet à correctione vel officiorū remotione appellare.* Et iterum, *ne delicta maneant impunita, & obediētia per appellationes friuolas infringatur, qui cōtra obedientiā appellare præsumit, nisi infra duos menses renūtiet, vel infra annū prosequi nō incipiat, vel incepta prosecutione nō desistat, vel in ipsa succūbat, sit ipso facto carceri addictus.* Et iterum, *qui appellat ab absolutione facta, aut faciēda Prouincialatus, Vicariatus, Prioratus; etiam prætextu grauaminis, sit ipso facto ab illo officio absolutus.* Pro parte affirmatiua sunt etiā aliquot argumēta. 1. ex tit. c. ad nostrā, citati in oppositū, vbi sic habetur: *à correctione excessiua nō appellatur, nisi modus excedatur.* Et hoc etiā ita videtur iuxta c. super quæst. & c. de priore, de appellatione, & Gloss. in cap. ad nostram 2. quia in c. generali celebrato in cōuentu S. Pauli Valeoletani an. 1605. sub magistro fratre Hieronymo Xauier, præcipitur quod in appellationibus seruetur constitutionis modus, vtpote, quod ap-

pellatio fiat gradatim, ergo iam admittuntur appellationes.

Tertiò.Gregorius XIII.Bul.2. concessit Minoribus posse appellare ad Generalem,ad Protectorem, vel ad Papam.Item à Congregatione Cardinal.Præceptum est an.1587. vt appellatio gradatim hoc ordine prosequatur:à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad sacram Cardinalium congregationẽ. Et ista appellatio permittitur in constitutione *Sixti V.* de quo Rod.in qq.reg.tom.2.q.29.art 2.Propter ista argumenta Nauar.*lib.2.cons.4.de appel.Lud.Lop.in su 1 p c. 284. Arrag. 2.2.q.69.ar 3 Sil.ver.appellatio,n.9.Armi.ver. appel. nu. 15.& Rod loc.cit.*dicunt quod quamuis non liceat religiosis appellare à correctione suorum superiorum iustè facta secundum sua statuta, aut ad effugiendam Ecclesiasticam disciplinam,& hoc intendant testimonia in primo loco adducta, maximè priuilegia *Bonif.& Eugenij*; licet tamen religiosis in causis grauissimis, à mandatis aut correctionibus excessiuis recurrere per viam appellationis, aut simplicis querelæ, aut defensionis ad superiorem,non tantum intra ordinẽ,sed etiam ad Papam,ad Protectorem, ad sacram Cardinalium congregationem,ad legatos Papæ habentes iurisdictionem & potestatem in regulares. Et ad argumenta in contrarium adducta ex c.*ad nostram*,dicunt non loqui de correctione excessiua,vt ait Silu.& constat ex tit.dicti c.sed de correctione iustè facta, vel de correctione leui,& hoc ipsum intendunt priuilegia *Bonif.& Eugenij*. Testimonia verò ex constitutionibus Ordinis Prædicatorum allata, intendunt remouere appellationes factas sine causa rationabili, & appellationes friuolas, quibus obedientia infringitur;vt patet ex contextu, & appellationes circa res leues, in quibus parum iniuriæ religioso irrogatur. In his enim religiosus patienter ferat,& humiliter pareat,vt si in ordine nostro Prædicatorum damnetur quis,etiam iniustè, ad pœnas grauis culpæ,scilicet ad tria ieiunia in pane &aqua, & totidem disciplinas,quæ solent infligi pro negligentijs, quæ non sunt peccata etiam venialia. Appellationi enim ab istis,& similibus videtur Religiosus renunciasse: secus esset, si in dicto ordine damnaretur quis iniustè ad pœnas grauioris culpæ,cum ex hoc magnam incurrat infamiam, quam sine culpa pati non debet,sed habet ius à natura defendendi se medijs licitis,qualis tunc est appellatio pro tuenda fama ad virtutem conseruandam maximè necessaria: secundũ illud Eccl.

41.

41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Imo quando sic esset fama necessaria pro virtute conseruanda, vt regulariter contingit, & insinuatur Eccl. loc. citato, non posset homo cedere iuri appellandi, quando hoc medio sibi recuperat famam iniuste ablatam, sicut licet homo sit dominus diuitiarum, si tamen illis opus habet pro alenda familia, non potest illas pro libitu prodigere: sic etiam à fortiori non posset famæ renuntiare, quando est necessaria ad virtutem conseruandam. His tamen non obstantibus sit.

1. Conclusio. Non licet Religiosis, maxime Dominicanis, appellare. Patet hoc argumentis in primo loco factis. Secundo, quia appellatio suspendit sententiæ executionē, vt patet ex lib. 6. tit. 23 p. 3 & alibi sæpe: sed non suspenditur executio sententiæ in Religionibus, ergo, &c. Religiosus enim bene potest omni appellationi renuntiare (maxime quando aliter potest recuperare famā pro bono Religionis altiori, sicut & Carthusianus pro eodē bono licite renuntiat comestioni carnium, etiā quādo hic & nunc esset necessaria pro vitæ cōseruatione.

2. Conc. Licet Religiosis, quando sentiunt se iniuste in causis grauissimis grauari, recurrere ad superiores per viam simplicis querelæ, aut defensionis. Sic enim recuperant sibi famā, dum superiores talem querelam admittendo, maturo consilio, agendo potius parrum quam iudicum officium, & misericordiam cum iustitia coniungentes, pœnarum temperant rigorem, aut innocentiam accusati declarant.

ARTICVLVS TERTIVS.

De potest. superioris regularium in quantum est Prælatus.

S V M M A R I V M.

An religiosi sint exempti à iurisdictione Episcoporum. n. 1.

An habeant intra Ordinem suos Prælatos. n. 2.

Quanta sit potestas Prælatorum regularium, & ad quæ se extendat, n. 3.

An iurisdictio Prælatorum Regularium sit ordinaria et delegabilis. n. 4.

Quos casus possint reseruare Prælati Regularium. n. 5.

DVBIVM V.

I *An Religiosi sint exempti ab obedientia, & iurisdictione Episcoporum.*

1. CONclusio. Religiosi erant olim subiecti Episcopo diœcesis vbi morabantur. Ita patet ex c. qui vere 16. *q. 1. & ex Conc. Tol. 4. c. 5. & ex Con. Calc. c. 4. & ex D. Th. 2. 2.* q. 186. art. 5. ad 3. Et tunc Episcopus sicut generales, admittebant ad professionem Religiosos, vt habetur in cap. viduitatis 27. q. 1.

2. Concl. Religiosi iam nunc ex priuilegio sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, & aliorum ordinariorum & Sedi Apostolicæ immediate subiecti. *Bonif. 8. & Mart. 5.* exemierunt ordinem Prædicat. ac eorum moniales ab ordinarijs; vt habetur in monum. ordi. conceſſ. 681. & Rod. in qq. reg. to. 2. q. 63. & idem Ro. in compen. authenticato multa refert priuilegia circa hoc. Primò refert priuilegium *Benedicti* 12. Bul. 1. concedentis nullum præter Papam, vel Cardinalem legatum posse censuris ligare monachos Benedictinos, imò nec Clericos Ecclesiæ suorum monasteriorum. Secundo *Eug.* 4. Bul. 7. exemit Celestinos cum suis bonis ab omnibus legatis, & Episcopis, & ab habentibus iurisdictionem ordinariam, & contra hoc facientes excommunicantur si moniti non desistant intra tres dies. Tertio *Sixtus IV. Bul. 33. & Iul. 2. Bul. 25.* concesserunt ordini Prædicatorum, ne ratione delicti, aut alterius rei possint conueniri coram ordinarijs. Imò & idem *Sixtus* 4 concessit Minoribus Bul. 14. & Prædicatoribus Bul. 33. quod Ecclesiæ Parochiales apud istos Religiosos constructæ, & capellanei seculares per istos Religiosos deputati, sint

liberi

liberi ab omni ordinariorum superioritate. Sed postea *Leo X. Bul.* 45. edita in Conc. Late. statuit posse Episcopos visitare Ecclesias Parochiales monasterijs vnitas: & idem statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 11. excipiendo tamen monasteria, vbi capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, & monasteria vbi prælati regulares exercent iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos, & Parochianos, & excipiendo etiam monasterium Cluniacense, cum suis limitibus. Alias Bullas ad hoc refert Rodri. loco citat.

3. Conclusio. Religiosi in Concil. Trid. & alibi, in aliquibus subduntur Episcopis, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, vt ex dicendis constabit.

DVBIVM VI.

An Religiosi habeant intra ordinem suos Prælatos? 2

1. Conclusio affirmatiua, v. g. in nostro Prædicatorum Ordine, præter Papam, qui est omnium fidelium pastor, proprij Prælati sunt, Magister Ordinis pro toto Ordine: Prior Prouincialis pro sua Prouincia, & Prior conuentualis pro suo conuentu: & quolibet illorum mortuo vel amoto Vicarius eis succedens, quia *Iul.* 2. concessit istis Vicarijs omnem potestatem, tam Apostolica authoritate, quam quomodolibet concessam, aut concedendam illis quorum sunt Vicarij, exceptis istis tantum, quæ in suis constitutionibus eis inhibentur. Ita habetur in constitut. Prædicatorum d. 2. cap. 3. *Et notetur* ista concessio pro multis casibus. Ex quo colligitur, quod Vicarius Magistri Ordinis, & Vicarius Prouincialis habent potestatem in moniales: quam habebant dum viuerent Magister, & Prouinciales, & possunt etiam sicut illi creare Vicarios pro monialibus.

2. Conclusio. Licet superior ex officio suo nec habeat curam animarum, nec sit Prælatus, vt dicitur in prolog. constitutionum Fratrum Prædicatorum: tamen mortuo, vel amoto priore vices eius in omnibus plenariè obtinet, quousque Prior electus & confirmatus in domo præsens sit: nisi Prouincialis aliter ordinauerit. Ita colligitur ex dicto prin. *Iul.* 2. cum superior sit Vicarius prioris, & ita habetur in const. Prædicatorum d. 2. cap. 2. vbi gloss. conformiter ad

limitationem in dicto priuilegio contentam, scilicet exceptis illis, quæ in suis constitutionibus eis inhibentur, declarat esse intelligendum de his, quæ iure ordinario competunt Priori: vt sunt creare Vicarium, eligere sibi & subditis confessorem, recipere religiosos ad habitum, & professionem. Non tamen succedit superior priori, in illis, quæ competunt priori ex commissione: sicut sunt cura monialium, præsentare religiosos Episcopis pro ordinibus recipiendis, aut pro confessionibus sæcularium audiendis, &c. Verum est tamen Benedictum XIII. concessisse Vicario conuentus de Quadalupe, in Sede vacante, omnia, & singula in spiritualibus, & temporalibus quæ prior quomodolibet facere poterat, vt ipse etiam facere valeat: nil limitando sicut limitauit *Iul. II.* vt vidimus. Ita habetur in compen. D. Hier. ver. Vicar. § 1. & sic iuxta hoc priuilegium dictorum religiosorum, Vicarij illos præsentant Episcopis pro ordinibus recipiendis. Quo etiam priuilegio communicant aliæ Religiones, iuxta dicenda à nobis lib. 2. c. 4. nisi consuetudo per centum annos perscripta, iuxta dicenda à nobis lib. 2. c. 3. dub. obstet in contrarium, vel alia lex, qua hoc priuilegium Benedict. XII. derogetur.

DVBIVM VII.

Quanta sit Prælatorum regularium potestas, & ad quæ se extendat?

3 1. Conclusio. Prælati isti habent in sibi subditos tantam potestatem, quantam Episcopi in suas oues: Sunt enim verè Prælati habentes plenissimam potestatem in vtroque foro Eccles. ad ligandum etiam censuris & soluendum. Secundo quia *Eug. IV. Bull. 9.* concedit Abbatibus, Rectoribus, & Prioribus Benedictinorum, vna cum eorum conuentibus, in omnibus casibus auctoritatem ordinarij de iure necessariam. Ex quo colligitur, quod ea quæ in iure communi de nouo conceduntur Episcopis, consequenter censentur concessa dictis Prælatis, pro sibi subditis: nisi oppositum exprimatur. Ita Pan. in *c. at si Clerici*, §. *de adult. num.* 18. *de iudicijs*, sequendo Benedictum, & Fredericum: alias subditis istorum Prælatorum non esset ita ac sæcularibus prouisum, cum alias ne cogantur egredi extra septa monasterij debeant esse melioris conditionis.

2. Con-

2. Conclusio. Religiosi quantumuis exempti, & licentiati ad seruiendum alicui beneficio, sunt subiecti superioribus suorum ordinum: nisi alias per Sedem Apostolicam habeant Ecclesias Parochiales, aut earum perpetuas Vicarias illis actualiter seruiendo. Ita concessit ordini Prædicatorum *Leo X Bul.* 32. Imo & Religiosi assumpti in Capellaneos Papæ, manent subiecti suis Prælatis. Ita concessit Gregorius XI. Bul. 1.

3. Concl. Religiosus non potest assumi in socium Prælatorum, aut aliorum, nisi assignatus à suo Generali vel Prouinciali; Qui adhuc eisdem subdatur, & per eosdem, aut per suos Vicarios corrigatur, & amoueatur, & alius substituatur. Ita concessit Minoribus *Innoc. IV. Bul.* 5. *Iul. II. Bul.* 25. *& Alex. IV. Bul.* 1. Et idem potest Prouincialis, circa prædicatores Cruciatæ, eos amouendo, & alios substituendo. Ita idem *Iul. II & Sixtus IV. Bul.* 33. pro Prædicatoribus. Item per *Leonem X. Bul. IV.* nullus legatus, nisi de latere potest vllum religiosum ad secum commorandum, vel pro suis negotijs assumere.

4. Concl. Literæ vel exceptiones religiosis à Papa concessæ nullo modo eis suffragantur, sine expresso consensu Vicarij generalis. Ita concessit Minoribus *Leo X. Bul. IV.* quod etiam postea concesserat Prædicatoribus *Innoc.* VIII. *Bul.* 3. & potest Generalis reuocare gratias etiam à Papa concedendas sine licentia superiorum regularium cum limitatione de qua dicemus lib. 2. c. 6. dub. 2.

5. Conc. Religiosus sine sui ordinis licentia non potest in Episcopum assumi. Ita concessit Minoribus Alex IV. Bul. 5. & in constit. Ordinis Prædicatorum d. 2. cap. 13. in gloss. habetur tres Papas concessisse isti ordini, ne quis Religiosus sine licentia Magistri ordinis vel Prouincialis speciali, vel mandato Sedis Apostolicæ, electioni, vel postulationi, ad quamuis dignitatem extra ordinem de se factę audeat consentire, aliter factum sit irritum. Et ibidem statuitur in textu, quod Prouincialis acceptans Episcopatum sine licentia Magistri ordinis & quiuis alius, sine licentia Prouincialis, manet priuatus suffragijs, societate ac omnibus beneficijs ordinis in vita, & in morte: nisi per talem cogatur acceptare, quod peccatum sit mort. non obedire.

6. Conclus. Episcopus Religiosus est iam ab obedientia sui ordinis exemptus, & quando iam est consecratus licet Episco-

patum deserat, non potest in suo ordine officium tenere. Ita concessit, & statuit pro Episcopis cuiusuis Religionis *Paul. IV. Bul. 4.*

DVBIVM VIII.

4 *An iurisdictio Prælatorum regularium sit ordinaria, et consequenter delegabilis.*

1. Conclusio. Non tantum iurisdictio competens Prælatis regularium, ex iure communi, vel particulari suarum legum, est ordinaria, ac subinde delegabilis: sed etiam iurisdictio illis concessa ex priuilegio Principis perpetuo. *Ita Nauar. in Manu. c. 27. num. 42. Bart. Bald. et Panorm. citati à Rod. in qq. regul. to. 1. q. 17. art. 11.* An vero delegatio talis potestatis ex spiret morte delegantis, dicitur lib. 2. cap. 3. dubio 1.

2. Conclusio. Si alicui etiam Prælato committitur certum, vel nudum ministerium, sine iurisdictione, vt prædicare, &c. non potest illud subdelegare: nisi alias sit delegatus Papæ, vel nisi illud ministerium sit leue, & parui momenti. *Ita Silu. cum Panorm. & Innocen. verb. delegatus, nu.* 10. sicut nec etiam potest subdelegare ille cui aliquid committitur quando per verba rescripti seu commissionis sibi factæ deprehenditur electi fides, & industria istius, sicut quando dicitur in rescripto, *confidimus de tua industria,* vel si dicitur, *personaliter exequaris,* vel quando negotium non est per alium bene expedibile: hoc autem (*ait Silu.*) non currit in delegato Papæ, qui adhuc in istis casibus subdelegare potest.

3. Conclusio. Etiam in nostro Prædicatorum ordine, (& idem est in alijs ordinibus) Prouincialis in sua Prouincia habet eandem authoritatem quam Magister ordinis in toto ordine, vt habetur in nostris constit. d. 2. cap 3. tamen authoritas, quam de iure communi, vel particulari habent Prælati regulares, potest limitari non tantum à Papa, sed etiam authoritas Prælatorum inferiorum potest limitari per superiores, iuxta sua statuta, quia licet vtrisque Prælatis sit concessa talis potestas iure communi, vel etiam diuino, secundum aliquos Doctores citatos à Rodrig. art. 1. & 6. tamen concessa est, ordine Hierarchico, ita vt minores pendeant à maioribus, vt ait Rod. art. 7.

DV-

DVBIVM IX.

An Prælati regularium possint reseruare casus. 5

1. Conclusio affirmatiua, declarauit enim *Alexand. VI. Bul.* 4. posse Generales, Prouinciales, ac Guardianos, reseruare casus: & quod ab illis sine istorum licentia absoluentes nil faciunt, sed incurrunt excommunicationem latam in cap. *Religiosis de priuil.* contra absoluentes à reseruatis. Et in nostro Prædicatorum ordine Vicarij in capite ac superiores, in Sede vacante reseruant casus, cum succedant Priori in competentibus ei ex officio secundum dicta dub. 6.

2. Concl. Olim dicti Prælati poterant quos vellent reseruare casus; sed iam ex decreto *Clem.* VIII. *edito* 16. die Maij an. 1593. solos casus infrascriptos reseruare possunt. *Primo*, veneficia, sortilegia, incantationes. *Secundo*, apostasiam etiam retento habitu quando eo peruenit, vt extra septa monasterij fiat egressio. *Tertio*, nocturna ac furtiua egressio, à conuentu licet non fiat animo apostatandi. *Quarto*, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. *Quinto*, lapsus carnis voluntarius opere consummatus. *Sexto*, occisio, vulneratio, seu grauis percussio alicuius grauis personæ.

Septimo, malitiosum impedimentum, retardatio, vel apertio litterarum à superioribus ad inferiores, aut è contra. *Octauo*, iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. *Nono*, auxilium, consilium, aut procuratio ad aborsus, post animatum fœtum etiam effectu non secuto. 10. falsificatio manus, aut sigilli officialis conuentus. 11. furtum de rebus monasterij in quantitate, quæ sit peccatum mort. & declaratum est ab eodem Papa esse intelligendum etiam de rebus applicatis ad vsum alicuius Religiosi, & addit Papa, quod si quid aliud pro Religionis conseruatione oporteat reseruare, id fiat de consilio capituli prouincialis, pro tota prouincia matura discussione & consensu, & non aliter.

Item præcipit Papa superioribus regularium, ne confessiones subditorum audiant, nisi quando habent casum reseruatum, aut ipsi subditi id sponte petunt, & derogantur contraria priuilegia, consuetudines immemoriales, constitutiones, vel ordinationes Apostolicæ etiam Concilij generalis, & constitutiones ordinum etiam à Papa confirmatæ.

D V-

DVBIVM X.

6 *An casus reseruati à Prælatis regularium, sint etiam reseruati pro suis nouitijs.*

1. Conclusio. Probabilis est pars affirmatiua. *Ita Cordu. lib. 1. q. 3. & Rod. in expositione Bullæ* §. 9. *n.* 26. quia cum nouitij sint exempti à iurisdictione Episcoporum, *vt ait Silu. ver. Religio.* 1 §. 11. & 12. manebunt sub iurisdictione Prælatorum sui ordinis.

2. Conclusio. Multo probabilior est pars negatiua. *Ita Ledesm. in sum. c.* 13. *de pœnitentia dub.* 14. quia ante professionem non sunt Religiosi: ergo nec sunt astricti legibus religiosorum. Secundo, inter casus reseruatos Prælatis Religionum solent aliqui reseruari, qui supponunt professionem, sicut peccata contra votum paupertatis, &c. quæ in nouitijs non imputantur ad culpam: ergo. *Si arguitur,* nouitij gaudent priuilegio *cap. si quis suadente diabolo,* vt habetur in cap. *Religioso de sent. excommunicationis,* si enim istos percutias excommunicaris, & gaudent alijs fauoribus, circa absolutionem à peccatis, & censuris reseruatis, ac si essent vere Religiosi, vt infra videbitur: ergo. *Ad hoc resp.* quod nouitij, etsi non sint Religiosi participant aliqua Religiosorum, cum in sint via ad Religionem, & sic secundum ius gaudent fauoribus Religiosorum. In odiosis tamen cum non sint professi, non se habent sicut Religiosi: & sic non sunt subiecti iurisdictioni Prælatorum Religionum. Ex quo patet nouitios posse absolui à casibus Episcopo reseruatis, & commissis ante Religionis ingressum, & per confessorem ab Episcopo expositum, & per confessorem expositum à Prælato sui ordinis. Et cum Bulla possunt absolui per confessorem approbatum ab ordinario, & per confessorem approbatum à solo Prælato sui ordinis, sicut & alij Religiosi professi. Imo quando Religiosi professi ob aliquod speciale decretum Papæ non gaudent Bulla Cruciatæ quoad clausulam de eligendo confessorem, non tamen debet hoc intelligi de nouitijs qui in odiosis non intelliguntur nomine Religiosorum. *Ita Ledesm.*

DV-

DVBIVM XI.

An Prælati regulares possint sibi subditis concedere licentiam, vt dum sunt extra conuentum, possint confiteri idoneo Sacerdoti sæculari, aut alterius ordinis regulari. 7

ET ratio dubitandi est, quia in constitutionibus Minorum cauetur ne Religiosi istius ordinis præter quam suis Prælatis, & de eorum licentia fratribus sui ordinis confiteantur.

Secundò in Constit. Prædicatorum d. 1. cap. 14. in glossa habetur non posse priorem concedere sibi subdito licentiam confitendi Sacerdoti alterius ordinis, sed solus magister ordinis hoc potest concedere, quando non adest confessor ordinis. Per quod limitatur authoritas ordinaria istorum Prælatorum iuxtà dicta dub. 8.

1. Concl. Prælati regulares possunt concedere sibi subditis dictam licentiam. Ita concessit Minoribus *Sixtus IV. Bulla* 30. hoc tenore. *Vt fratres vestri, vel aliorum Prælatorum & suorum, qui pro tempore erunt, licentia, solummodo tamen, cum itinerauerint, vel extra conuentum fuerint, prout eis concedetis, confiteri possint, &c. Concedimus.*

Secundo, Innocen. VII. Bulla vnica concessit Prædicatoribus hoc tenore. Innoc. Episcop. &c. *Nos igitur supplicationibus inclinati, fratribus huiusmodi, quos itinerare, & per eorum superiores migrare mitti contigerit, vt si aliquem Presbyterum idoneum, ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcumque alium Presbyterum idoneum, & discretum Religiosum, vel sæcularem in eorum confessorem eligere valeant: qui confessiones eorum audire, & eorũ confessionibus diligenter auditis pro commissis, eis debitam absolutionem impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere licitè possit: nisi talia commiserint, propter quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda, authoritate Apostolica, tenore præsentium, indulgemus.* Ex quo colligitur contra Rodr. in qq. regul. to. 1. q. 62. art. 5. posse dictos Prælatos cõcedere sibi subditis existentibus extra conuentum, licentiam vt absoluantur à sibi reseruatis: cum in hoc priuilegio solum excipiantur casus Papæ reseruati. Imò in eodem cum sola licentia itinerandi, aut existendi extra conuentum videtur con-

cessa

cessa facultas confitendi, & absoluendi à prædictis sine alia speciali licentia Prælati circa hoc. Et licet in isto priuilegio concedatur ista facultas confitendi extraneo Sacerdoti in absentia idonei Sacerdotis proprij ordinis; tamen in priuilegio Sixti III. non limitatur hoc.

Not. idoneum Sacerdotem pro Religiosis absoluendis reputari quemlibet Sacerdotem alias non suspensum, aut excommunicatum. *Ita Diu. Antonius 3.p.tit.1.cap.7. Siluest. verb.confess.1.§.3. Soto dist.18. quæst.4. art.3.* Et idem isti censebant de confessore idoneo pro sæcularibus ante Concilium Tridentinum; vbi iam sess.25. cap.15. statuitur quod pro sæcularibus etiam Sacerdotibus ille solus idoneus reputetur, qui est parochus, aut ab ordinario approbatus; at pro Religiosis nihil ibi innouatur. Ex dictis patet solutio ad rationes dubitandi, illæ enim procedunt secluso priuilegio.

2. Conclusio. In licentia data Religioso itinerandi clauditur virtualiter licentia confitendi: maximè si ex naturali obliuione non petitur licentia confitendi idoneo Sacerdoti. Non tamen poterit cum sola ista licentia, & secluso priuilegio; imo nec cum expressa licentia confitendi cui velit, absolui à reseruatis. Iuxta c. *si Episcopus de pœnis, & remi*, vbi sic dicitur; *in generali concessione non veniunt quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus*. Et sic, si Religiosus existens extra conuentum, & habens peccata reseruata celebrare debeat, respectu reseruatorum gerat se, ac si non haberet copiam confessoris. Ita quod licet teneatur illa confiteri cum alijs peccatis non reseruatis, & indirecte ab eis absoluatur, sed tamen cum obligatione illa iterum confitendi legitimo confessori, quando aderit opportunitas.

3. Conclus. Religiosi hospites in conuentibus sui ordinis possunt absolui etiam à reseruatis suo Prælato, per priorem, seu præsidentem talium conuentuum. Ita concessit Prioribus Prędicatorum ac eorum Vicarijs *Greg. II. & Clem. IV.* vt patet in monu.ord. con. 318. 319. & 548. Et in prol. Const. Prædicatorum habetur quod Vicarius Prioris absente Priore, possit absoluere omnes fratres ordinis, etiam hospites à peccatis & censuris, tam à iure, quam ab homine generaliter latis, exceptis Papæ reseruatis. Et vt dicitur in cap. 24. dictarum Constit.d.1. ista potestas non potest eis limitari per

Su-

Superiores Prælatos, cum sit eis à Papa concessa, ex quo sequitur, quod cum ista potestas, & iurisdictio sit ordinaria, vtpotè ex priuilegio perpetuo obtenta, iuxta dicta dubio 8. potest delegari cuiuis Sacerdoti etiam à nullo ordinario approbato. Nec hoc est contra Concil. Trid. loc. cit. cum, vt dixi, loquatur de confessoribus regularium etiam Sacerdotum, relinquendo Religiosos dispositioni suorum Prælatorum & statutorum.

4. Conclus. Prælati Ecclesiarum, & alij Confessores extra ordinem non possunt Religiosorum confessiones audire, eorum Superioribus inuitis. Ita concessit Minoribus *Sixtus IV. Bul.* 14. & Prædicatoribus *Bul.* 33. & Cisterciensibus *Alexand. IV. Bul.* 14.

DVBIVM XII.

An Religiosi possint sine licentia suorum Superiorum vti priuilegijs eligendi confessorem. 8

Not. quod in aliquibus priuilegijs conceditur Religiosis, vt per confessorem à suo Prælato deputatum absoluantur, sicut *Sixtus IV.* inter viua oracula concessit Minoribus, etiam nouitijs habentibus animum profitendi, ac sororibus Sanctæ Claræ, ac Tertiarijs vtriusque sexus, & istorum famulis semel eligere confessorem de huiusmodi obseruantia, qui eorum confessione audita, absoluat eos ab omnibus peccatis, & censuris, ab irregularitate, homicidio voluntario, & mutilatione exceptis, & idē concessit pro artic. mortis. *Secundo,* idē *Sixt.* concessit Prædicatoribus, & Minoribus etiā nouitijs, plenissimam absolutionē à peccatis semel in vita, & in articulo mortis, per idoneum confessorem ordinis de licentia suorū Superiorum electum. Ita habetur in monu. ord. concessione 360. *Ter. Leo. X.* inter viua oracula concessit monialibus S. Claræ, vt per Confessorem à suis Superioribus deputatum, quater in anno absoluantur ab omnibus peccatis, & dispensentur in omnibus votis, exceptis substantialibus, dum tamen sub spe huius gratiæ nō peccent. *Quarto,* idē *Leo* concessit dictis monialibus sub cura Minorū obseruantiæ existentibus, vt in omnibus solemnitatibus Domini Sabaoth. B. Virginis, omnium Sanctorum, B. Francisci ac S. Claræ, earum Confessores in absolu-

solutione suarum confessionum eas plenariè absoluant. Ita in monu.ordi.concef.132.& idem concessit sororibus B. Virginis sub cura Minorum existentibus, pro dictis festis & pro festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & pro tota hebdomada maiori, vt patet concessione 137. De dictis priuilegijs non est difficultas, cum postulent confessorem à Prælato deputatum, aut de eius licentia electum, quod de confessoribus ordinarie deputatis, à Prælato etiam verificatur; licet alias seclusis istis priuilegijs non possent absoluere à reseruatis: ista enim priuilegia aliquid debent concedere, sicut absolutionem à reseruatis, nam alias, sine illis posset Prælatus concedere absolutionem, saltem à sibi reseruatis iuxta dicta dubio 8. & 11.

In alijs tamen priuilegijs Religiosorum proponitur quod confessio fiat confessori deputato à Prælato, vel de eius licentia electo, sicut *Innoc. VIII.* id concessit pro articulo mortis, sine ista limitatione, vt habetur in priuilegio Benedictinorum, & refertur à Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 63. art. 6. *Secundo, Leo X.* concessit Minoribus quod in festo Sanctæ Catharinæ Martyris plenarie absoluãtur. Ita habetur inter viua oracula.

Ter. in Bulla Cruciatæ conceditur sumenti illam, posse per Sacerdotem ab ordinario approbatum semel in vita, & in morte absolui à casibus Papæ reseruatis, sola hæresi excepta, & ab alijs casibus non reseruatis Papæ quoties opus sit, dubium ergo est, an Religiosi inconsultis suis Prælatis possint vti istis priuilegijs.

1. Conclusio. In aliquibus ordinibus speciali Papæ concessione cautum est ne Religiosi vtantur dictis priuilegijs, sine licentia suorum superiorum. Ita concessit Prædicatoribus *Iul. II. Bul.* 15. *& Pius V. Bul.* 13. *Secundo Leo X. Bul.* 24. concessit Minoribus, ne fratres absoluantur à reseruatis virtute cuiusuis priuilegij aut Bullæ etiam Cruciatæ. *Tertio, Gregor. XIII.* concessit, non posse Religiosos Societatis, sine expressa suorum superiorum licentia vti facultatibus Iubilæorũ, Bullarum Cruciatæ, confessionalium vel aliorum Apostolicorum indultorum, quæ communitatibus, personis, vel pijs locis quouis modo concessa sunt, aut concedentur; licet in eis exprimatur, quod omnes regulares, etiam mendicantes illis vti valeant. Ita habetur in Compen. Societatis ri. absolutio. §. 11.

Quarto, Sixtus IV. idem concessit Hieronymianis, vt habetur in eorum compen. Innoc. VIII. Idem concessit Minoribus

bus & Augustinianis,& Iul.II.Cistercienfibus, & *Greg. XI.* concessit sic Congregationi montis Oliueti, si quis monachus, vel monialis quodcunque confessionale impetrauerit, vel eo absque sui superioris licentia vti præsumpserit, eo ipso impetratis caret, ac pœnis constitutionum, & diffinitionum, scilicet inhabilitatis & suspensionis subijcitur; in quibus à nullo nisi à Papa dispensari potest, prout concessit Clem.VII. Congregationi Sancti Georgij de Algala. Prædicta priuilegia late refert Rodr.in qq.reg.t.1.quæst.62. art.4. *Quintò, Innocent.VIII Bul.3.* concessit Prædicatoribus, & *Leo X. Bul.4.* concessit Minoribus, ne literæ & exemptiones Religiosis à Papa concessæ, eis suffragentur, sine expresso consensu Vicarij generalis.

Tandem *Clem 8. Bul.9.* decernit concessionem Cruciatæ & aliorum indultorum particularium, quantum ad articulum eligendi confessorem, & absoluendi a reseruatis cum Religiosis vtriusque sexus, locum non habere, sed (ait Papa) nostræ intentionis esse quod dicti Religiosi in prædictis, dispositioni suorum Prælatorum sint subiecti auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo declaramus. *Vbi nota*, quod his *Clem.*8. solum declarat suam intentionem, vt patet ex contextu, pro bullis scilicet & indultis particularibus a se concessis, & concedendis; non tamen est absoluta, & generalis declaratio pro concedendis etiam a suis successoribus, quidquid alij dicant.

Sed difficultas est, *an ista priuilegia suspendantur per Bullas Cruciatæ concessas post talia priuilegia ab alijs Pôtificibus:* nam certum est non suspendi per Bullas eorundem Pontificum etiam concessas post dicta priuilegia: cum in eis habeatur non posse Religiosos vti Bullis concessis, aut concedendis, ab eisdem scilicet Pontificibus, vt ex concessione Greg.XIII. citata constat.

2. Conclusio. Probabile est, quod priuilegia primæ conclus. non suspendatur per Bullam Cruciatæ, & sic Religiosi sumentes Bullam licet gaudeant gratijs suæ regulæ non contrarijs, vt sunt indulgentiæ, esus ouorum, &c. non tamen priuilegio eligendi confessorem. Et patet, *Primo*, quia quando in Bulla suspenduntur omnes indulgentiæ, gratiæ facultates expressæ, excipiuntur gratiæ, Indulgentiæ & facultates concessæ superioribus Mendicantium, quoad sibi subditos: qualia videntur esse dicta priuilegia. *Secundo, patet* quia

quia Episcopo Valentinæ consulenti, an Moniales sibi subditæ possent per Bullã eligere confessorem; resp. Cong. Card. in tempore Greg. XIII. *sic. Congregatio Consilij censuit, quatenus gratia ex Bul. Cruciata pertinet ad Moniales non posse vigore facultatis in eadẽ Bulla concessa, alios eligere confessores, præter eos qui ad audiẽdas cõfessiones earũ ab ordinario sunt approbati.* Ita refert Rod. in exposit. Bul. §. 6. n. 24.

3. Conclusio. Probabile etiam est, priuilegia primæ conclusionis suspendi per Bullas concessas ab alijs Pontificibus: & sic Religiosi sumendo Bullam Cruciatæ possunt eligere confessorem, & absolui à reseruatis iuxta tenorem eius. *Ita Enriq. to. 1. fo. l. 448. & 543. lit. B. & gloss. x. Antolinez de indulg. & ita fertur tenuisse Bannes, Ioan Vinc. Luna. et alij.* Qui etiam dicunt, quod quando Bulla post suspensionẽ omnium indulgentiarum, gratiarum, & facultatum, excipit concessa Superioribus mẽdicantium, quoad suos Religiosos, ista exceptio intelligitur respectu tantum indulgentiarum: vt patet ex contextu, dum dicitur, quoad sibi subditos, quod verificari debet de indulgentijs, v. g. de indulgentia plenaria cõcessa visitantibus nostras Ecclesias in die B. *Dominici* Patris nostri, quæ suspenditur quoad sæculares, non tamen quoad Religiosos, sed sine Bulla lucrantur illam, & sic de alijs similibus. Secundo patet Conclusio, quia hæc doctrina, vt ait Rod. in expositione Cruciatæ §. 9. dub. 7. practicatur in con. Cruciatæ, & patet etiam ex vsu sapientium, & timoratorum, videntibus, dissimulantibus, & consequenter consentientibus Prælatis, quorum est tollere è subditis ignorantiam rei ita necessariæ ad salutem, & oppositum executioni mandare.

D V B I V M XIII.

9 *An Prælati regularium possint eos absoluere à reseruatis Papæ extra Bullam Cœnæ.*

1. Conclusio. Ante publicationem Bullæ Cœnæ poterant Prælati regulares ac eorum Vicarij per se, & per alios absoluere suos Religiosos, & hospites sui ordinis ab omnibus casibus etiam Papæ reseruatis, & etiam commissis ante Religionis ingressum, exceptis tantum hæreticis relapsis, schismaticis, falsarijs literarum Apostolicarum & deferentibus prohibita ad Infideles, Ita declarauit & moderauit *Sixtus*

tus IV. Bul. 14. pro Minoribus & Bul. 53. pro Prædicatoribus. Et idem ante concesserant, vt constat ex Bullis *Sixti IV. Clem. IV.* Generalibus, Prouincialibus, & custodibus Minorum. Et licet *Sixtus* quartus Bul. 20. quæ dicitur Bulla aurea, abstulisset dictam potestatem antea commissam Prioribus Prædicatorum, & eorum Vicarijs: tamen postea idem *Sixtus Bul.* 12. & 22. illam iterum concessit Prioribus, & eorum Vicarijs Prouinciæ obseruantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ. Quo etiam gaudent omnes Priores, & eorum Vicarij totius ordinis per communicationem, iuxta dicenda l. 2. c. 4.

Concl. Dicti Prælati possunt Religiosos etiam nouitios ad reincidētiam, si non profitentur, conuersos, perpetuo donatos, & oblatos absoluere ab omnibus criminibus, censuris, inhabilitatibus, & pęnis à iure, vel ab homine, quouis modo latis ex iam Papæ reseruatis, semel in vita, & si ex ignorantia, vel inaduertentia talia incurrerint, possunt absolui quoties opus sit. Ita concessit Benedictinis *Eug. IV. Bul.* 1. & inter viua oracc.

3. Concl. Generales ordinum ac ab eis deputati, possunt prædictos quoties opus sit absoluere à prædictis, exceptis tātum casibus *Sixti IV.* in 1. conclusione numeratis. Ita concessit Soc. Iesu *Paul. III. Bul.* 8. Et intelliguntur dicta priuilegia, & alia similia de casibus etiam reseruatis post dictas concessiones & priuilegia: nisi alias in alicuius casus reseruatione illa expresse derogentur, sicut iam derogantur in reseruatione casuum Bullæ Cęnæ. *Item*, per dicta priuilegia possunt absolui supradicti, etiamsi peccent in contemptum clauium, vel ex confidentia istorum priuilegiorum; cum in illis non excipiantur isti sic peccantes, sicut in alijs solent excipi.

4. Conclusio. Generales ordinum & Prouinciales, & istis amotis eorum Vicarij, *iuxta dicta dub. 6. ex confessione Iul. II.* & confessores ab istis deputati, possunt absoluere moniales sibi subditas ab omnibus peccatis & censuris, à quibus possunt absoluere suos religiosos: quia *Sixtus IV.* concessit monialibus S. Claræ ac *S. Dominici* omnia priuilegia à suis prædecessoribus concessa, & à se concedenda Minoribus, Augustinianis, Carmelitis, Seruitis, ac Minimis. *Ita in monum. ord. concess. 362. & Rod. in qq. reg. to. 1. q. 55. art. 13.* item *Bonif VIII. Bul.* 4. & *Leo X. Bul.* 16. & 21. concessit monialibus Sanctæ Claræ, ac alijs ordinibus Minorum omnia priuilegia concessa, & concedenda omnibus ordinibus.

An verò nouitiæ dictarum Monialium gaudeant priuilegijs professarum: Ad hoc dico, quod licet pro *illis non* stet speciale priuilegium, sicut pro Religiosis nouitijs, vt patet ex secunda conclusione, possunt tamen absolui, tum per priuilegium *Paul. III. Bul.* 7. concedentis Religiosis Societatis posse absoluere omnes fideles à casibus, censuris etiam Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis, tum etiam quia Generales, & Prouinciales, &c. habent potestatem ordinariam in suos nouitios, vt latè ostendit Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 17. art. 11. ergo eandem etiam habent potestatem in nouitias ad eas absoluendum, & in votis ac alijs legibus Ecclesiasticis cum illis dispensandum.

DVBIVM XIV.

10 *An Prælati regulares possint absoluere sibi subditos à casibus Bullæ Cœnæ.*

IN hoc Rod. cum alijs ab eo relatis *in qq. reg. tom. 1. q. 20. art.* 9 tenet, quod sic, & probat 1. quia *Iul. II. Bul.* 17 concedit Prælatis ordinis Prædicatorum, posse absoluere sibi subditos à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis casibus *Sixti IV.* citatis dubio præc. & excepto peccato conspirationis in Papam. Imo secundum Panor. & alios citatos à Rod. ibi, possunt absoluere ab hæresi occulta; quia istius absolutio conceditur Episcopis in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de refor. sed quæ in iure conceduntur de nouo Episcopis, censentur etiam concessa dictis Prælatis pro sibi subditis, nisi oppositum exprimatur, cum isti Prælati in sibi subditos habeant iurisdictionem quasi Episcopalem: ergo, &c. *Ita etiam Nauar. lib. 5. consil. 13. de priuil. & Panor. in cap. et si clerici § de adult. n. 18. de iudicijs, sequens Benedict. & Fredericum.* Alias, ait, istorum Prælatorum subditis non esset ita ac sæcularibus prouisum, cum alias ne cogantur egredi extra septa monasterij, debeant esse melioris conditionis.

Secundo, quia *Pius V. Bul* 13. data ad petitionem Prouincialis Hispaniæ ordinis Prædicatorum sic concedit, Insuper quia sacrum Conc. Trid. concessit Episcopis posse absoluere in foro conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout habetur sess. 24. c. 6. ne Prior Conuentualis, & Superiores Prælati dicti ordinis eam in dicta Prouincia, quam

quam extra, deterioris conditionis, quam Clerici sæculares existant, eisdem Priori conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in sibi subditos, quoad absoluendi & dispensandi huiusmodi, & quoad alias quascumque facultates, eisdem authoritate & tenore etiam perpetuo concedimus & indulgemus, atq; etiam declaramus, præsentes literas perpetuo durare, & valere. His non obstantibus.

1. Conclusio. In tempore *Iulij II Pij V.* & aliorum Pontificum, qui concesserunt Prælatis regularium posse absoluere sibi subditos à casibus Bullæ Cœnæ, bene poterant isti Prælati vti dicta facultate absoluendi, vt constat ex dictis concessionibus, & hoc probant argumenta facta.

2. Conclusio. Iam nunc non possunt dicti Prælati absoluere à casibus Bullæ Cœnæ. Siquidem ista Bulla quot annis promulgatur, & in illa expressè reuocantur contraria priuilegia, etiam mendicantium, & aliorum ordinum sub quauis forma concessa. Et de hæresi specialiter patet, quia olim etiam ab Episcopis erat ablata potestas absoluendi ab hæresi, & in Conc. Trident. loco cit. solis Episcopis restituitur. Ad illud Panor. quod concessa de nouo in iure communi Episcopis, censentur concessa Prælatis regularium, pro sibi subditis, nisi oppositum exprimatur, dico quod iam exprimitur oppositum in Bulla Cœnæ: dum reuocantur contraria priuilegia etiam Religiosorum. Et sic reuocantur priuilegia *Iulij II. Pij V.* & aliorum. Ad illud quod Religiosi non debent esse peioris conditionis, dico, quod pro talium absolutione possunt Religiosi cum licentia suorum Superiorum subijcere se iurisdictioni Episcoporum, iuxta doctrinam Frederici Senensis, quam sequitur Nauar. lib. 5. consl. 11. tit. de priuileg. & colligitur ex *Bull.* 14. *Sixti IV.* pro Minoribus, & ex Bull. 33. pro Prædicatoribus. Vbi inhibetur Prælatis Ecclesiarum, ne contra voluntatem Prælatorum regularium audiant suorum subditorum confessiones. Vbi insinuatur, quod cum illorum licentia bene possunt.

CIRCA CENSVRAS.

SVMMARIVM.

Prælati regulares & istis amotis eorum Vicarij, absoluunt suos subditos, hospites & nouitios à casibus & censuris reseruatis Papæ extra Bullam Cœnæ? n. 1.
Prædicti Prælati absoluunt semel in vita à prædictis & ab inhabilitate, conuersos, oblatos, & donatos? n. 2.
Generales Ordinum dispensant cum subditis male promotis ad ordines? n. 3.

DVBIVM XV.

An Prælati regularium possint sibi subditos absoluere ab excommunicatione, suspensione, interdicto, ac ab alijs priuationibus, & inhabilitatibus.

1. Conclus. Prælati regularium non possunt absoluere sibi subditos ab excommunicatione casuum Bullæ Cœnæ, quia in casibus Bullæ Cœnæ sicut & in casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis, excommunicatio est, quæ principaliter reseruatur: & ob illam reseruatur casus, taliter quod ablata excommunicatione, licet peccatum non remittatur, vtpote si excommunicatio tollatur extra Sacramentum, aut in Sacramento inualido, peccatum non manebit reseruatum. *Ita D. Anton. Palud. & alij quos refert & sequitur Cano. 5. p. de pœnit. Nauar. in man. cap. 26. n. 13. & cap. 27. n. 154. & Lop. in sum. 1. p. cap. 55.*

2. Conclus. Prælati regularium, ac istis absentibus eorum Vicarij possunt absoluere in foro conscientiæ sibi subditos ab omni excommunicatione Papæ extra Bullam Cœnæ reseruata. Ita concessit Benedictinis *Mart. V. vt refert Rod. in qq. reg. com. 1. qu.* 10. *art.* 2. & quod dicitur in foro conscientiæ, non intelligas, quod debeat fieri absolutio præmissa confessione in foro Sacramentali, cum absolutio à censuris non sit annexa absolutioni à peccatis: sed sensus est quod illa absolutio illis suffragetur in foro conscientiæ, & non in foro externo Ecclesiæ, siue impendatur absolutio ista in Sacramento siue extra. *Ita Enriq. lib. 3. & 7. de indul. cap. 13. vbi cit. pro se Victoriam, Penam, & Med. Dominicana familia.*

3. Concl.

3. Concl. Dicti Prælati possunt absoluere suos Religiosos, etiam nouitios ad reincidentiam, si non profitentur, & hospites sui ordinis, ab omni excõmunicatione, suspensione, ac interdicto, à iure vel ab homine generaliter latis, etiam incursis ante Religionis ingressum. Ita concessit *Clem. IV.* Generali, Prouincialibus ac custodibus Minorum, vt ait Rodr. in qq. reg. to. 1. q. 1. art. 21. vbi refert aliam similem concessionem eiusdem Papæ extensam ad Priores conuentuales ordinis Prędicatorum. Et licet *Leo* X. *Bul.* 45. vbi moderatur priuilegia regularium, exigat satisfactionem ante professionem in excõmunicato, pro aliquo interesse, tamen postea *Paul. III. Bul.* 8. idẽ concessit sine tali limitatione, Præposito tamen generali & alijs ab eo deputatis. Et ibidem concedit Præposito isti, & ab eo deputatis, posse absoluere prędictos ab omnibus censuris, pęnis, & inhabilitatibus etiã Papæ reseruatis, quoties opus sit, exceptis casibus *Sixti IV.* de quibus dub. 13. concl. 1.

4. Conclusio. Prouincialis, & eo absente eius Vicarius, & alij ex istorum commissione, possunt absoluere, etiam volentes ordinem intrare, licet de facto non intrent, & nouitios licet retrocedant, ab omnibus excommunicationibus, sententijs, censuris, & peccatis etiam Papæ extra Bullam Cęnæ reseruatis. Ita concessit *Clem. VII.* Prouinciali Prædicatorum S. Crucis, de la Espanola, vt refert Rodr. q. 20. art. 21. qua concessione gaudent omnes orbis Prouinciales, & ipsis absentibus eorum Vicarij, & alij ex istorum commissione iuxta dicenda lib. 2. cap. 3. & iuxta istam & illam *Mart. V.* concessionem positam in secunda conclusione, & alias similes, possunt prædicti in hac & secunda conclusione, absoluere à censuris à iure vel ab homine, etiam specialiter latis. Quia concessis casibus & censuris Papæ, consequenter conceduntur censuræ aliorum inferiorum. Cui enim licet plus, licet etiam minus, vt habetur de reg. iuris in 6.

5. Conclusio. Priores, & per istos deputati, possunt semel in vita absoluere nouitios cum animo profitendi, conuersos, perpetuo donatos, & oblatos, ab omni censura, & inhabilitate ad dignitates, administrationes, & officia ordinis, etiam habentia curam animarum: etiamsi istam inhabilitatem contraxerint ob violationem legum Papalium ponentium istam pęnam, & licet dictæ censuræ sint Papæ extra Bullam Cęnæ reseruatæ. Ita concessit *Eugen. IV.* inter viua oracula, & postea *Iul. II. Bul.* 2. extendit hoc indultũ ad totã famili- 2

liam Minorum. Simile etiam indultum concesserat pro Benedictinis, & pro semel in vita *Eug. IV. Bul. 1.* licet nouitij secundum istud indultum reincidant in censuras, si non profiteantur, sicut etiam dixi dub. 13. Conclusione 2.

Et not. 1. quod etiam facultas istius V. Conc. non detur Vicarijs Priorum, aut aliorum Superiorum in eorum absentia, tamen mortuis, vel amotis dictis Prælatis, Vicarij eis succedentes iuxta concessionem *Iul. II.* de qua dub. 6. succedunt illis in omni potestate, quouis modo concessa, aut concedenda dictis Prælatis, scilicet ordinis Prædicatorum, exceptis illis, quæ in suis statutis eis inhibentur, vt ibi dixi, quo etiam priuilegio communicant aliæ Religiones, vt dicetur lib. 2. cap. 4. Et hoc indultum notetur pro similibus concessionibus factis Prælatis, & non eorum Vicarijs.

Secundo, not. quod in concessione Eug. IV. inter viua oracula petitur pro habilitatis, si sint satis literati, recitatio septem Psalmorum Pœnitentiæ cum litania per annum in singulis septimanis: dum non sint legitimè impediti. Et si non sint sufficientis literaturæ, recitatio aliarum orationum, arbitrio confessorum taxandarum. Et si ista non recitent in vna septimana, ob impedimentum, aut obliuionem, suppleantur in septimanis sequentis anni. Ista tamen satisfactio non est conditio qua cessante, absolutio, aut dispensatio erit nulla. Et colligitur ex eo quod ibi conceditur absolutio à peccatis, & censuris, quæ in sui valore non pendet ex impletione dictæ satisfactionis: ergo idem erit de illa habilitatione. Si tamen habilitandus non acceptet istam satisfactionem, non est absoluendus, etiam in sententia asserente non teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam sibi à confessario iniunctam. Quia sub peccato mortali tenetur acceptare & implere dictam satisfactionem, ob præceptum à Papa impositum volentibus gaudere dicto indulto. *Ita Rodr. in qu. reg. tom. 2. qu. 20. art. 20.*

6. Conclusio. Generales, & Prouinciales, & istis amotis, eorum Vicarij, iuxta supradicta, possunt, etiam in foro externo restituere priuatos ab officijs, & perpetuo inhabiles ad illa, per Constitutiones Apostolicas ob crimina grauia: si alias Papa non reseruat sibi talium dispensationem, quia in cap. *at si Clerici, de iudicijs,* dicitur, quod in adulterio, & alijs minoribus delictis potest Episcopus dispensare cum Clericis peracta pœnitentia in pœnis talium delictorum, quando alias illæ

læ pœnæ non reſeruantur:etiamſi in illorum tenore ponantur iſta verba, *ipſo facto ſit perpetuò priuatus: Et ita docent doctiſſimi iuriſtæ Salmanticenſes, quos refert, & ſequitur Rodr. in qq. reg. tom. 1. q. 14. art. vlt.* Sed Generales, & Prouinciales reſpectu ſuorum ſubditorum habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem iuxta dub. 7. & 14. ergo ſicut Epiſcopi poſsunt iſti diſpenſare.

Ex dictis ſequitur primò, poſse dictos Prælatos diſpenſare cum ſibi ſubditis in pœnis introducentiũ mulieres in monaſteria, cum hoc non ſit grauius adulterio, cum hoc ſit prohibitũ, quia malum: illud verò eſt malum, quia prohibitum, & alias iſtæ pœnæ non reſeruantur Papæ, de quibus vide ſupra cap. 5. dub. 1. & 2. *Secundo ſequitur*, non poſse dictos Prælatos diſpenſare in pœnis ſubornantium in electionibus, cuiuſmodi eſt priuatio vtriuſque vocis per ſex menſes: tum quia iſta priuatio eſt reſeruata Papæ ſpecialiter: tum etiam quia subornatio eſt peior adulterio, cum lædat immediatius bonum commune, & ob eandem rationem, nec diſpenſare poſsunt in pœnis motus proprij de largitione munerum; cum trangreſſio illius legis alias etiã prohibita, quia mala, ſit peior adulterio.

7. Concluſ. Generales ordinum poſsunt cum ſibi ſubditis diſpenſare alias ad ordines malè promotis, etiam dum erant in ſæculo, vt miniſtrent in ordinibus male ſuſceptis, & vt vlterius ad ordines promoueantur. Ita conceſſit Generali Prædicatorum *Honorius* III. *Bul. 5. Si obijcias*, quòd *Sixtus V.* in motu qui incipit, *Sãctum, & ſalutare edictum*, nonis Ianuar. anni 1588. imponit malè promotis ad ordines, ſcilicet per ſaltum, ſine ætate, vel dimiſsorijs, &c. pœnã ſuſpenſionis ab exercitio ordinum, etiam minorum, ſuſceptorum, & ſine ſpe aſcẽdendi ad vlteriores ordines, & ſi miniſtrare præſumunt, facti irregulares manent priuati omni beneficio, officio, & adminiſtratione, & inhabiles ad hæc, & ſimilia, & diſſimilia: & vltra hoc, ſi ſint regulares, priuantur vtraq; voce, & prædictorum abſolutio, & diſpenſatio etiam irregularitatis ſoli Papæ etiam in foro conſcientiæ reſeruatur. Non obſtante quouis indulto, Iubileo, Cruciata, vel Mari magno. Imò & reuocatur Concil. Trid. ſeſ. 24. c. 6. vbi cõceditur Epiſcopis, in foro tamẽ cõſciẽtiæ, diſpẽſare in omni ſuſpẽſione ex delicto occulto orta, &c.

Ad hoc reſp. quod poſt hæc Clem. VIII. Bul. 21. reducit dictũ decretũ *Sixti* ad Conc. Trid. & ad conſtitutionem Pij II. *cum ex ſacrorum* quæ eſt Bul. 8. *Pij II.* & vlt. *Clem.* VIII.

quod pœnæ contentæ in illo decreto Sixti, cum dicta reseruatione, tantum habeant robur in symoniace ordinantibus & ordinatis, ita quod cum istis, nec Episcopus, nec Prælati regularium, etiam in foro conscientiæ dispensare valeant, bene tamen cum alijs aliter male promotis.

CIRCA IRREGVLARITATES

S V M M A R I V M.

An Prælati regularium possint dispensare in irregularitate orta ex delicto? n. 1.
An possint dispensare cum bigamis, vel orbatis aliquo membro? n. 2.
Qui sint illegitimi & ad quæ sint irregulares? n. 3.
Quis dispenset in hac irregularitate? n. 4.
Quis dispenset in irregularitate homicidij, aut mutilationis? n. 5.

D V B I V M XVI.

An Prælati regularium possint dispensare in irregularitate orta ex delicto.

1. Conclusio. Isti Prælati non possunt dispensare in irregularitate orta ex celebratione symoniace ordinati, in ordine scilicet symoniacè recepto. Cum ista irregularitas, etiam occultè contracta sit Papæ reseruata, etiam in foro conscientiæ, iuxta dicta dub. 15. in fine.

2. Conclus. Prælati regularium & eorum Vicarij in suis cõuentibus, possunt cum sibi subditis & hospitibus sui ordinis, dispensare in alijs irregularitatibus ortis, non tantũ ex delicto occulto, alias non deducto ad forum contentiosum, cum hoc concedatur Episcopis in Conc. Trid. sess. 24. c. 6. sed etiam ex delicto notorio, & ipsis Prælatis potest idem beneficium impertiri ab eorum confessoribus. Ita concessit Prædicatoribus *Clem. IV.* vt habetur in eorũ Mari Magno de quo Rod. in q. reg. to. 1. q. 20. art. 1. & sola ista concessio extenditur ad hospites. Imo & à *Sixto IV. Bul.* 14. cõceditur ista facultas custodibus Minorum & superioribus Prælatis pro nouitijs: dum tamen istæ & aliæ censuræ ibi cõcessæ, sint latæ à iure, vel ab

ho-

homine generaliter,& non specialiter contra istū, licet postea ab codē *Sixto*, vt habetur in mon. ord. cōcess. 131. sit ablata ista restrictio,& pro eisdē nouitijs ad reincidentiā, si non profitentur concedatur prædictarum irregularitatum dispensatio. Et non est modo sermo de irregularitate orta ex delicto homicidij, vel mutilationis, de his enim postea dicetur, sed de illa quę contrahitur ab excommunicato, suspenso, interdicto, vel in loco interdicto celebrante.

3. Conclusio. Generales ordinum, & ab istis deputati, possunt quoties opus sit dispensare cum sibi subditis, etiam nouitijs ad reincidentiam, si non profitentur in dictis irregularitatibus. Ita concessit præposito generali Societatis, *Paul. 3. Bul.* 8.

4. Conclusio. Religiosi etiam nouitij cum animo profitendi & religiosorum famuli, possunt dispensari, semel in vita, in omni irregularitate, homicidio & mutilatione, voluntarijs exceptis, per confessorem eiusdem ordinis ab eis electum, audita prius eorum confessione. Ita concessit Minoribus *Sixtus IV.* vt refert Rodr. loc. cit. & qu. 62. art. 13. Et licet hic non excipiatur irregularitas bigamiæ, semper tamen intelligitur excepta: cum etiam excipiatur à *Pio IV.* in concessione facta Minorum Prælatis, vt patet in lib. monum. ord. conc. 252.

5. Conclusio. Dicti religiosi per aliam concessionem *Eug.* 4. inter viua ora. possunt semel in vita dispensari, per confessorem à suo Prælato deputatum in omni irregularitate, excepta bigamia, homicidio & mutilatione voluntarijs, & si dictas censuras ignoranter, aut inaduertenter contraxerint, absoluantur quoties opus sit, & cum onere recitandi in singulis septimanis septem Psalmos modo dicto dubio præcedenti, conclus. 4. & idem Papá, idem, pro semel in vita concessit Benedictinis Bul. 1. sed sine onere recitandi dictos Psalmos.

DVBIVM XVII.

An Prælati regularium possint dispensare in irregularitate cum sibi subditis, bigamis, orbatis, aut nouiter conuersis.

1. Conclusio. Prælati regularium possunt dispensare ad ordines & ad Prælaturas cum sibi subditis, bigamis similitudinarijs, scilicet cum Religioso, vel initiato maioribus ordi-

ordinibus: qui contraxit & consummauit matrimonium. Iste enim dicitur bigamus similitudinarius, *vt ait Sil. ver. bigamia & communiter*. Et patet conclusio, quia Episcopi possunt dispensare cum sibi subditis in ista bigamia orta alias ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, prout sibi conceditur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. sed Prælati regularium pro sibi subditis habent auctoritatem Episcoporum: vt patet ex dictis dub. 7. & 14 in princ. maximè ex declaratione *Pij V.* ibi relata, & idem declarauit concedendo Abbatibus Cisterciensibus Hispaniæ Greg. 13. anno 1574. vt habetur in compen. dicti ordinis, ver. absolutio quæ ad fratres, § 11. ergo & Prælati regularium poterunt cum suis dispensare in ista irregularitate alias orta ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum.

2. Conclusio. Dicti Prælati possunt cum sibi subditis dispensare in irregularitate, cum habente membrum abscissum, etiam manifestum & sua culpa: dum tamen cesset homicidij præsumptio, vt si caret pede, oculo dextro, vel digito, qui alias non sit pollex. Quia cum prædictis sui subditis potest Episcopus dispensare, ergo & dicti Prælati cum sibi subditis sic orbatis. Et ex hoc sequitur posse dictos Prælatos dispensare etiam cum infami infamia facti in irregularitate, cum ista irregularitas ab Episcopo dispensetur, vt ostenditur in tract. de irregularitate.

3. Concl. Dicti Prælati possunt dispensare ad ordines & beneficia cum nouiter conuerso sibi subdito, sicut & Episcopi id possunt. *Ita Cou in Clem si furiosus. 1. part. § 2. nu. 7.* & patet conclusio ex dictis in 1. Conclusione.

DVBIVM XVIII.

3 *An Prælati regularium possint cum sibi subditis dispensare in irregularitate illegitimitatis?*

1. Concl. Illegitimi sunt irregulares & ad ordines & ad dignitates, *vt constat. ex cap. 1. & vlt. de filijs Presbyt.* Et sic non possunt habere officia quibus possibiliter sit annexa iurisdictio ordinaria: vt officium superioris cui in nostro Prædicatorum ordine competit iurisdictio ordinaria mortuo, vel amoto priore. Non tamen vetatur eis iurisdictio delegata, & sic possunt esse Vicarij Prioris absentis: dum tamen ista dele-

gata

gata iurisdictio non sit superior aliqua iurisdictione ordinaria: qualis est iurisdictio Vicarij generalis, vel Prouincialis, qui est superior prioribus, & sic illegitimi non possunt esse visitatores conuentuum, vel Prouinciarum, nec Vicarij generalis, vel Vicarij Prouincialis, nisi dispensentur. *Ita Silu. ver. Pralatus. n. 3. & Rod. 20. in quaestionibus reg. tom. 1. qu. 13. art 20.*

Not quod ille dicitur in præsenti illegitimus, qui est genitus ex parentibus inter se non coniugatis: & licet naturalis filius, vtporè ex soluto, & soluta non habentibus impedimentum dirimens matrimonium, genitus, per sequens matrimonium etiam in senectute, vel post aliud intermedium matrimonium celebratum legitimetur. *secundum Bart. in le. cum mihi, Cou. in epi 10.4 p. ca. 8. §. 2. nu. 10. & Sarmienta l. 1. selec. c. 9. n. 9.* tamen si isti haberent impedimentum dirimens, eorum filius nec dicitur naturalis, nec legitimabitur: licet postea dispensato impedimento matrimonium inter eos contrahatur: nisi alias ante filij concepti natalem parentes ad matrimonium dispensentur. *Ita Cou. Sarmient. Sil. verb. de filijs legitimis q. 7. & Led. in su e. vlt. de matrim.*

An vera filij geniti ex soluta & Commendatarijs sancti Iacobi, Alcantara, & Calatraua, sint sacrilegi, nec legitimabiles per sequens matrimonium. Ad hoc aliqui Doctores quos refert & sequitur Rod. in quæstionibus reg. 10. 1. q. 13. art. 2. dicunt esse sacrilegos & à veris Religiosis genitos. Sed oppositum tenet *D. Th. 2. 2. q. 186. ar. 4. ad 3.* iuxta sup. dict. c. 2. dub. 3. *Secundo,* quia licet in l. 11. Taur. inter sacrilegos comprehendantur *los hijos de los frailes y de los freiles.* tamen iam in noua reco. lib 5. tit. 8. le 7. ablata sunt illa verbo, *y de los freiles*; ex eo, quod isti Commendatarij per dispensationem Papæ non emittunt votũ solemne castitatis, sed vxorantur, & sic eorum fil j dicto modo geniti, sunt naturales, & legitimabiles per sequens matrimonium.

2. Conc. Illegitimi per professionem in Religione approbata manent dispensati ad omnes ordines, vt patet ex cap. 1. *de filijs Presbyt.* 4

3. Concl. Prælati regulariũ poterant olim dispensare cum sibi subditis illegitimis ad personatus & dignitates, qualia sũt Prælaturæ, & officiũ diffinitoris, vt cõcessit Minoribus *Sixtus 4 Bul. 14.* & Prædicatoribus, Bul. 33. sed iam non possunt isti illegitimi ad prædicta dispensari, nisi per Generalem, vel

Pro-

Prouincialem cum Generali; vel Prouinciali, seu intermedio capitulo. Ita concessit Greg. 14. data Bulla anno 1590. idibus Martij, quam refert, manu. 20. in qu. reg. to. 1. q. 13. art. 6. vbi *Greg.* 14 moderatur rigorem *Sixti V.* qui in suo motu contra illegitimos, qui incipit: *Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus.* dato 6. Calend Decēb. Anno 1587. tollebat ab omnibus sibi inferioribus facultatē dispensandi cum illegitimis, tā ad ordines, quā ad officia, de quo etiā iterum dicemus c. 8. d. 1.

4. Conclusio. Licet Papa sine causa dispensans cum illegitimo peccet, valet tamen dispensatio ob plenitudinem potestatis. Secus sit si sit dispensatio à Prælatis religionum sine rationabili causa: quia in dicta Bulla *Greg.* 14. conceditur istis Prælatis, dispensare cum illegitimis suffragantibus eorum meritis, & non alias. Verum est, quod examinatio, & iudicium de his relinquitur arbitrio boni iuris.

5. Conclusio. Sæcularis dispensatus ad quæuis beneficia, intrando Religionem non eget noua dispensatione à Prælato ordinis. Secus sit si tantum sit dispensatus ad beneficium simplex, vel curatum: quia cum illa dispensatio sit limitata, & secundum Nauar. l. 4. consilio 1. tit. *qui filij sunt legitimi*, stricti iuris, erit stricte interpretanda secundum ius commune, *vt tenet Panormit. in decre. in cap. de multa nu.* 4. *Geminia. consilio* 47. *n.* 3. Nec in dispensationibus valet extensio, etiam ad casum maiori ratione pollentem; *vt docent Doctores in cap. postulastis, de rescript. cum Panor. in c. ad aures, nu.* 7. *eod. tit.* & secundum hoc dispensatus ad curatum, non potest habere beneficium simplex, vel dignitatem.

Ex dictis sequitur, quod cum dicti Prælati tantum possint modo dicto dispensare ad beneficia in religione obtinenda, vt patet ex Bul. *Greg.* 14. consequenter si isti à religione recedant egent, alia dispensatione ad beneficia Ecclesiastica. Imò si dispensati in vna religione ad aliam se transferant egent, in illa noua dispensatione, pro Prælaturis illius religionis: cum per priorē dispensationem in priori religione factam, non sint absolutè legitimati: sed tantum ad dignitates prioris religionis.

6. Conclusio. Non valet legitimatio per facultatem principis obtentam: nisi legitimanti manifestetur omne id quod eum potest retrahere à tali legitimatione concedenda, alias subreptitia iudicabitur. Secus tamen est de legitimatione in religi. facta. 1. pars patet ex multis capitulis citatis à Cou. in 4. 2. p. c. 8. §. 9. num. 1. manifestandum enim est legitimanti: an legitiman-

timandus sit spurius:& si ex adulterio, incestu, vel sacrilegio, & si ex adulterio vtrimque, & in quo gradu incestus, & si ex sacrilegio, an ex sacerdote, religioso, moniali, aut vtrimque, & an concurrerint simul sacrilegium, adulterium, vel incestus. *Ita Cou. Panor. in c. per venerabilem, qui filij sint legitimi Silu. ver. legitimus n.8. & alij ab istis citati.* Si tamen princeps in tali dispensatione dicat; ex quouis coitu conceptum legitimo te, valet dispensatio, licet prædicta reticeantur, nisi alias illegitimitas sit talis de qua præsumitur, quod in particulari explicata non dispensaretur. *Secunda pars patet*, quia in religionibus verisimiliter creditur Prælatos earum velle dispensare cum illegitimo in quouis gradu, maxime quia cum religiosis facilius, quam cum sæcularibus est dispēsandum, & ius commune, vt dixi, eos habilitat per professionē multum confidens de eorum continentia ad sacros ordines.

DVBIVM XIX.

An Prælati regularium possint cum subditis dispensare in irregularitate homicidij, aut mutilatione membri. 5

1. Conclusio. Prælati regularium possunt dispensare cum sibi subditis iustè occidentibus homines, & ad ordines minores, & ad beneficium simplex. Cum hoc ipsum possit Episcopus, *vt ait Medina in summ. & alij communiter in tract. de irregularitate.* Imo dicti Prælati possunt cum prædictis dispensare ad ordines maiores & ad dignitates & Prælaturas, &c. quia *Sixtus 4. Bul.* 10. pro Minoribus & Bul. 33. pro Prædicatoribus concessit Prælatis istorum ordinum, posse dispensare cum sibi subditis in omni irregularitate, excepta irregularitate bigamiæ, homicidij & mutilationis: & *Iul. 2.* inter viua orac. tantum excipit bigamiam, & homicidium voluntarium. Quod intelligitur de bigamia vera & de homicidio propriè, scilicet de iniusta hominis occisione, hoc enim significat homicidium: ergo, &c. *Et ita sentit Caie. ve. irregularitas in fine, quem sequitur. Cou. in Cle. si furiosus, 2. p. §. 3. n. 7. Naua. in manu. c. 28. n. 217. & 240. Bannes. 2. 2. qu. 40. ar. 2. & Rod. in qq. reg. to. 1. q. 24. ar. 8.*

2. Conclusio. Dicti Prælati possunt dispensare ad ordines maiores cum sibi subdito iniusto mutilatore, & cum homicida casuali ad minores ordines; quia vt ostenditur in materia

ria

ria de irregularitate, Episcop. potest in hoc dispensare cũ sibi subditis; ergo & dicti prælati idem possunt iuxta dicta d. 17.

3. Concl Dicti prælati possunt ad omnia dispensare cum sibi subditis in irregularitate homicidij iniusti alias occulti. Et dicitur occultum, *secundum Nau. in man. c. 27. num. 20.* quod non est notorium; ita quod à multis sciatur, licet in iudicio probari possit. Et patet conclusio, quia *Marti. 5.* concessit Abbati Benedictino Valeoletano, posse cum sibi subditis dispensare in omni irregularitate, quam Papa solet sibi reseruare, vtpote in irregularitate homicidij voluntarij, & mutilationis, & enormi sanguinis effusione; dum tamen hoc non sit notorium, ob scandalum. Ita habetur in quadam bulla quæ seruatur in dicto Conuentu; *& Iul. 2.* idem concessit ordini prædicatorum, vt habetur in compen. Societatis, ver. dispensatio, §. 1.

Si obijcias, quòd post *Mart. 5.* concessit *Sixtus. 4.* facultatem dispensandi cum homicida casuali excipiendo homicidium, & mutilationem voluntariam; vt dixi concl. 1. *Ad hoc dico*, quod ista exceptio *Sixti*, tantum procedit respectu concessionum eiusdem *Sixti*, & non aliorum Pontificum; cum hoc non exprimat. Nullum enim priuilegium reuocatur, etiam per legem communem contrariam, nisi de illo fiat expressa mentio, saltem in communi dicendo, quibusuis priuilegijs in contrariam non obstantibus; & ita habet vsus, vt patet, ex Concil. Trid. ses. 23. cap. 15. vbi quando statuitur, quod nullus nisi ab ordinario approbatus, audiat sæcularium confessiones, statim subditur quibusuis priuilegijs in contrarium non obstantibus, & sic in alijs locis, quod latius ostendemus l. 2. c. 3. dub. 6

Si obijcias secundo, quod ista priuilegia Mart. 5. & Iul. 2. videntur per non vsum abrogata, *ad hoc dico*, quod hoc non constat ex eo, quod prælati non dispensant in plateis & coram omnibus, cum ista priuilegia concedantur pro casibus occultis, nec tot se offerant casus ad dispensandum. Præterquam quod *Veracrux* in suo compendio manu scripto refert, religiosos ordinis Prædicatorum vsos esse ista facultate in suo primo capitulo, celebrato in Guatimala anno 1555. Item etiã vt cesset aliquod priuilegium per non vsum, multa requiruntur, de quibus dicetur lib. 2. c. 3. dub. 2. Vide dubio 5. vbi ostenditur priuilegia regularium per non vsum reuocata, esse à *Paulo 5.* confirmata.

DE POTESTATE PRÆLATORVM regularium, circa vota, iuramenta, leges Ecclesiæ, officium diuinum, ieiunia, & ciborum qualitatem.

SVMMARIVM.

An Prælati regularium possint dispensare in votis & iuramentis subditorum. n. 1.
An possint cum eisdem dispensare in legibus Ecclesiæ. n. 2.
An in recitatione horarum & ieiunijs. n. 3.

DVBIVM XX.

An Prælati regularium possint cum sibi subditis dispensare in votis & iuramentis. I

1. CONclusio, *Iul.* 2. inter viua orac. absoluit moniales à votis & iuramentis; & statuit quod de cætero illarum vota, aut iuramenta si fiant, non valeant, nec obligent ad peccatum mortale.

2. Conclusio. Dicti prælati possunt dispensare omnia suorum subditorum vota & iuramenta, etiam transeundi ad arctiorem religionem; solis tribus votis essentialibus exceptis. *Ita Caiet.* 2. 2 *q.* 88. quia votum arctioris religionis non est simpliciter votum religionis, sed religionis arctioris.

Ex quo sequitur posse istos Prælatos ista vota commutare, cum sit minus commutare, quam dispensare, ex eo quod per dispensationem tollitur omnino vinculum voti; non sic autem per commutationem, sed obligatio voti mutatur in aliam materiam, ratione cuius minor causa sufficit pro commutatione.

3. Conclu. Dicti Prælati non possunt suorum nouitiorum vota commutare, cum non sint sibi per professionem & votum obedientiæ traditi; ob potestatem tamen, quam in eos habent spiritualem, possunt vota eorum & iuramenta dispensare & commutare in exercitia ab eis in religione regulariter facta. Et patet hoc ex Bul. 21. *Eug.* 4. vbi concedit Abbatibus Cistercienfibus posse absoluere in foro confessionis ab omni voto, excepto voto religionis, omnes donatos, obla-

oblatos,& commissos,id est,nouitios cum reincidentia, si non profiteantur. Item, idem *Eug. Bul.* 11. idem & eodem modo concedit, respectu commissorum, Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus conuentus Sanctæ Iustinæ ordinis S.Benedicti in Roma. Et ibidem eisdem concedit, posse dispensare cum vouente religionem arctiorem, dum tamen ipsorum dispensantium religionem solemniter profiteatur:& licet ad dispensandum requiratur semper causa rationabilis,sufficiet nunc pro causa,si dispensandus putet Deo, melius in hoc ordine, quam in arctiori famulaturum.

4. Conclus. Omnia vota commutantur cum professione in religione approbata. *Ita D.Th.2.2.q.88.art.12. ad 1. & in 4.38.q.1.art.3.& Armi.ver.votum.*

DVBIVM XXI.

2 *An Prælati regularium possint cum sibi subditis dispensare in legibus Ecclesiæ.*

1. Conclusio. Stando in iure & secluso priuilegio, dicti Prælati possunt cum sibi subditis dispensare in legibus Ecclesiæ: nisi quando specialiter, vel ex consuetudine dispensatio reseruatur Papæ. Et patet quia iuxta dicta dub. 6. 7. & 14. Prælati regulares habent in sibi subditos potestatem Episcoporum,sed Episcopi, licet non possint cum aliquo generaliter dispensare in legibus Ecclesiæ,sed hoc sit supremi capitis Ecclesiæ: tamen ex causa rationabili, possunt cum sibi subditis dispensare in omnibus casibus, sibi alias non prohibitis expressè, vel saltem ex consuetudine, *iuxta Cle. ne Romani, de electione,cum glo.ibi,& c.vnic.de ata.& qual.præficiendorum in 6. & habetur etiam lib.20.ti.17. p.1.* ergo id ipsum possunt dicti Prælati cum sibi subditis.

2. Conclus. Si certo constat obseruantiam legis nocere communi, vel particulari saluti propriæ, vel alienæ, potest omitti etiam inconsulto superiore, *secundum D. Tho. 1.2. q.96.art.6.& 2.2. q.47. art.4.* potest enim comedere quis carnes die vetito, si non habet alium cibum, quod enim pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. Imò vt ait *D.Thom. 1.2.loc.cit.* licet sit recurrendum ad superiorem pro dispensatione, vel interpretatione legis, quando seruare legem, non habet ita subitum periculum, si

tamen

tamen periculum sit ita subitum, quod illam moram non patiatur, ipsa necessitas dispensationem habet annexam; necessitas enim non subditur legi: vbi *Caiet. & Med.* pro maiori declaratione dicunt, quod in casu dubij an lex obliget in aliquo casu, consulatur superior si fieri potest, sin minus, seruetur lex: nisi alias dubium sit de periculo salutis; quia quando res est dubia & vtrinq; periculosa, eligatur minus periculum, cuiusmodi est non seruare legem. Imò secluso periculo salutis, si sit verisimile viro prudenti, quod si adesset legislator, nō obligaret illū, non tenetur tunc seruare legē, quia licet dubiū sit speculatiuum, tamen certū est moraliter licere tunc vti epicheia.

DVBIVM XXII.

An Prælati regularium possint dispensare cum sibi subditis in recitatione horarum, in ieiunijs, & in qualitate ciborū.

1. Concl. Dicti Prælati possunt dispensare cum sibi subditis senibus, vel infirmis, non valentibus sine tædio horas canonicas recitare, vt in tempore infirmitatis, vel conualescentiæ loco horarum recitent aliquid, ad arbitrium Prælatorum, & similiter cum ipsis Prælatis, Presbyter, monachus ab eis electus dispensare potest. Ita concessit Abbatibus Cistercien sibus *Eug.* 4. *Bul.* 21. & idem concessit Hieronymianis *Mart.* 5. vt habetur in compen. mendicantium de quo Rod. in quæstionibus reg. to. 1. q 42. art. 7. & licet iuxta dicta dubio praece. posset Prælatus regularium, sicut & Episcopus dispensare cum suis in recitatione horarum in casu necessitatis, absque priuilegio, valet tamen priuilegium ad maiorem claritatem & securitatem, vt dicitur l. 2. c. 1. d. 1.

2. Concl. Prælati regularium, possunt cum sibi subditis, de consilio medici si cōmode haberi potest, sin minus, sine illo, dispensare in esu carnium, ouorum, & lacticiniorum: & idem potest Vicarius absente Priore, & id ipsum potest cōcedi istis Prælatis ab eorū confessoribus. Ita concessit Hieronymianis *Eug.* 4. vt habetur in compend. mendican. ti. ieiunium. § 7. Et idē ibi conceditur dictis superioribus pro familiaribus monasterij, licet quantū ad istos hoc priuilegium per Bullam Cruciatæ suspendatur; vt ibi patet, vbi in generali suspensiones indulgentiarum, gratiarum & facultatum excipiuntur concessæ superioribus mendicantium quoad suos tantum subditos.

3. Conclu. Dicti Prælati & ipsis absentibus eorum Vicarij, possunt cum sibi subditis & familiaribus monasterij (modo explicato in secunda conclusione) dispensare etiam sine medico in ieiunijs Ecclesiæ. Et idem possunt istis superioribus concedere eorum confessores. Ita concessit *Eug.* 4. loco cit. imo & *Sixtus* 4. concessit Minoribus non valentibus bono modo ieiunare ob infirmitatem vel debilitatem, quod ad id non teneantur. *Ita in lib. monumen. ordinum conces. 99 & Rod. in sum. 1. par. cap. 24. n.* 4. & sic Religiosi non tenentur adire Prælatum pro hac dispensatione

4. Concl. Religiosi maximè actu prædicantes, possunt seruato ieiunio anticipare, & retardare horã comestionis, & collationis. Ita concessit Minoribus *Leo X.* inter viua orac. nu. 57. & n. 60. concedit Minoribus itinerantibus posse transferre ieiunia diei itineris in aliũ diem, & *Pius V.* inter viua orac. n. 11. concedit pedestrè itinerantibus posse in die ieiunij desmanc ientare, & vespere cœnare, & hoc, vt habeant meritũ ieiunij.

CAPVT VII.

De his quæ competunt religiosis, vt sunt prædicare, docere, mendicare, transire de vna in aliam religionem.

SVMMARIVM.

An liceat religiosis mendicare. n. 1.
An liceat eis prædicare sine licentia Episcopi. n. 2.
An & quando liceat eis transire ad alium Ordinem. n. 3.
Quomodo peccet & quas pœnas incurrat religiosus non portans habitum suæ religionis. n. 4.

DVBIVM I.

An liceat religiosis mendicare.

1 1. CONclusio. Licet religiosis mendicare, nec tenentur manibus laborare. *Ita definitur contra Vuicleph. in Conc. Constantien. & D Tho. 2. 2. qu. 18. art.* 5. Et licet religiosi (quod absit) male viuant, non tenentur, sicut nec alij pauperes restituere eleemosynas sibi etiam hoc animo datas vt pro benefactoribus orent; cum in hoc non interueniat pactum. Et sic licet peccent non orando contra virtutem gratitudinis, non tamen contra iustitiam.

2. Con-

2. Conclusio. Ordinarij, aut alij impedientes, scilicet per vim aut dolum, ne eleemosynæ dentur religiosis, sunt ipso facto excommunicati. Ita concessit Augustinianis *Sixt. IV. Bul.* 34. & Carmelitis, Bul. 37. vbi præcipitur, quod ad petitionem religiosorum procedatur contra sic impedientes sicut contra hæreticos.

DVBIVM II.

An liceat religiosis docere & prædicare.

1. Concl. Etsi prædicare ex officio competat solis habentibus curam animarũ, licitè tamen cõmittitur religiosis prædicationis munus. *Ita D. Th.* 2. 2 *q* 187. *art.* 1. *& definitur in ca. moderamine, & c. ex authoritate* 16 *q.* 1. & in Ecclesia sũt institutæ religiones ad prædicandũ: sicut ordo *SS. Patriar. cha Dominici*, & iuxta doctrinam, *D Th* 2. 2. q. 188. ar. 6. religio ad prædicandum instituta inter omnes eminet, vtpote cũ attingat contemplationis supremum gradum; qui est contemplata alijs tradere, ex quo propius statui Apostolorũ accedit. 1

2. Concl. Parochus poterat olim in sua parochia committere religiosis, aut alijs, prædicationis munus, sed iam in Conc. Trid. sess. 5. ca. 16. de refor. statuitur, quod nullus religiosus prædicet in suo monasterio sine licentia saltem interpretatiua sui superioris, & alias Episcopo non contradicente, vt habetur sess. 14 cap. 4. de refor. & ad prædicandum in Ecclesijs extra ordinem, cum licentia sui superioris, debet etiam habere religiosus licentiam Episcopi. Vnde si prædicet sine vlla dictarum licentiarum, peccabit, cum hoc sibi sub excommunicatione ferenda interdicatur, in cap. *excommunicamus*, 1. §. *quia verò de hæreticis*: si tamen habet licentiam saltem interpretatiuam alicuius ex dictis Prælatis, peccabit tantum venialiter, si de consensu parochi (& alias Episcopo non renuente) prædicet in sua parochia: quia quoad hoc verba Conc. non importat tantum rigorem, vt ex vsu comprobatur.

Not. tamen, quod si religiosus prædicet absque vlla dictarum licentiarum, non potest ab Episcopo, sed à suo superiore puniri. Ita declarauit congreg. Card. in tempore *Clem.* 8. vt refert Manu. Rod. in compen.

3. Conclusio. Licet per dictum decretum Conc. Trid. sit reuocatum priuilegium concessum religiosis Societatis à *Pau.* 3. *Bul.* 7. quo vbique prædicare poterant: cum hoc priuile-

uilegium sit concessum anno 1544. & illa sess. 5. Conc. Trid. sit celebrata anno 1545. non tamen est reuocatum priuilegiũ postea eidem Societati concessum à *Greg. 13. Bul. 28.* vbi reualidat dictum priuilegium *Paul. 3.* & concedit religiosis istius Societatis, alias idoneis, etiam sola prima tonsura initiatis, vbique prædicare verbum Dei de licentia suorum Prælatorum, non obstante quouis Concilio generali, & ibidem mandatur ordinarijs, ne eos impediant. Et hoc priuilegio gaudent aliæ religiones iuxta dicenda. lib. 2. cap. 4.

Caueant tamen religiosi ne ponendo os in Cœlum in suis concionibus detrahant sacerdotibus eos specialiter nominando, aut æquiualẽter dicendo. Alias peccabunt mort. secus sit si in genere, & sine scandalo eos reprehendunt. *Ita Nauar. in manu. cap. 25. n. 142.* imo in Clem. *Religiosi, de priui.* præcipitur religiosis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ; ne in concionibus suis detrahant Prælatis Ecclesiarum, eos scilicet nominando, vel per circumlocutionem, quæ vicem habeat proprij nominis, *vt explicat glo. & Armi. ver. prædicare, n. 6.*

DVBIVM III.

3 *An liceat religiosis transire de vna in aliam religionem.*

1. Conclu. Transitus iste seclusa magna necessitate, vel vtilitate non approbatur à *D. Th. 2. 2. q. 189. art. 8.* quia facilius (ait) proficit quis in religione quam consueuit; quam in alia quam non est expertus.

2. Conclusio. Transitus iste sine causa & licentia factus, est peccatum mort. cum in iure, maxime in Conc. Trid. sess. 25. c. 4. sub grauissimis pœnis vetetur. Imo in extraua. *ambitiosè*, excommunicantur cum reseruatione ad Papam mendicantes transeuntes ad monachales, excepta Carthusia, & qui illos recipiunt, & ipse receptus nihil faciunt; sed sunt in malo statu dum receptus ad priorem religionem non reuertitur. Hæc habentur de iure communi.

3. Concl. Omnibus fere religiosis est vetitus dictus transitus ex priuilegio. *Primo*, Cisterciẽses sine licentia sui Generalis, vel capituli generalis, nõ possunt ad alium ordinem transire. Ita *Mart. 5. Bul. 6. 2.* Religiosi ordinis Prædicatorum non possunt recipi in alio ordine Mendicantium, etiam vigore cu-

iusuis

iusuis licentiæ, nisi in ea fiat mentio ordinis à quo recedit, & ad quem se vertit. Ita habetur in consti. Prædicatorum, d.2.c. 17. Item, Prædicatores sub excommunicatione Papæ reseruata, non possunt recipere Minores, nec isti Prædicatores. Et aliter factum est irritum. Ita concesit Minoribus Innoc. 4. Bul. 3. & Prædicatoribus *Alexa*. 4. *Bul*. 20. *& Clemens* 4. *Bul*. 12. *Tertio*, Mercedarij, non possunt recipere, aut retinere Minores, aut alios strictioris regulæ, prætextu cuiusuis priuilegij, aut quarti voti. Ita *Clem*. 5. *Bul*. 13. vbi declarat regulam esse iudicandam strictiorem ab alio, quam à quarto voto. *Quarto*, Minimi sine licentia sui Generalis transeuntes ad alium ordinem, & illos retinentes excommunicantur *à Iul*. 2. *Bul*. 27. & a Ioan. 10. Bul. 42. Et ab eodem *Iul*. 2. *Bul*. 11. præcipitur istis Minimis ne recipiant, aut retineant Minores. *Quinto*, religiosi professi Societatis Iesu, sine licentia sui Generalis, non possunt intrare, aut recipi in alia religione, excepta Carthusia, alias possunt reduci censuris & brachio seculari. Ita concessit *Paul*. 3. *Bul*. 8. imo nec post votum simplex possunt isti religiosi alium ordinem intrare: vt concessit *Greg*. 14. *Bul*. 4. Aliæ etiam religiones possunt se iuuare dictis priuilegijs per communicationem.

4. Concl. Religiosus habens licentiam transeundi ad alium ordinem, si intra tres menses, vel intra tempus in licentia taxatum non transit, eius Prælatus potest procedere contra ipsum, sicut contra apostatam. Ita concesit Benedictinis *Eug*. 4. *Bul*. 9. & idem est si exuto habitu de licentia sumpto non reuertitur ad priorem religionem. *Ita Iul*. 2. *Bul*. 25.

5 Conc. Mendicantes transeuntes, etiam cum licentia Papæ ad non mendicantes, priuantur in Clem. 1. de regula, vtraque voce, & loco in capitulo, licet ista ab alijs sibi libere concedantur. Nec possunt habere administrationes, prioratus, vel officia, etiam sicut Vicarij; nec pro se, nec pro alijs curam animarum exercere, & aliter factum est irritum. Item religiosus ordinis Minorum, ex priuilegio *Nico*. 4. *Bul*. 4. si intret aliam religionem, etiam cum licentia, non potest ibi aliquam habere administrationem, Prælaturam, personatum, vel officium, cum cura animarum, absque expressa licentia Papæ, in scriptis facientibus memoriam de hoc statuto.

6. Conc. Religiosus etiam cum licentia transiens ad alium ordinem, non potest ferre secum bona ad proprium, vel commune bonum deputata; & potest censuris compelli à priori

religione, vt illa sibi restituat. Ita concessit *Greg.* 11. *Bul.* 3. Et idem est de religiosis ad dignitates assumptis, qui omnia sua resignare debent, nisi eis à suo ordine ad tempus concedantur. Ita *Alex.* 4. *Bul.* 5. *& Clement.* 4. *Bul.* 5.

7. Conc. Religiosi Episcopi non possunt consecrari antequam resignent quæ habent ab ordine: nisi Prior cum conuentu vsum illorum ad tempus illis concedat: alias suspendũtur ab executione Pontificalis ministerij: inter ista tamen bona, non comprehenduntur quaterni sermonum, aut aliarum rerum notabilium. Ita declarant *Alex.* 4. *& Cle.* 4. *loc. cit.*

8. Concl. Religiosus in Episcopum promotus & consecratus, non potest in suo ordine officium tenere. Ita concessit *Paul.* 4. *Bul.* 4.

9. Conc. Religiosi sine licentia ad alium ordinem transeuntes, sicut & expulsi, & egressi à religione, non tantum sunt priuati muneribus, & dignitatibus Ecclesiasticis, & sæcularibus: sed etiam officio docendi, prædicandi, & confessiones audiendi, super quibus à Prælatis suæ religionis excõmunicari possunt. Ita concessit Celestinus Eug. 4. *Bul.* 18. Minoribus, *Innoc.* 4. *Bul.* 8. *& Alex.* 4. *Bul.* 9. *& Iul.* 2. *Bul.* 26. Et isti expulsi, sine licentia suorum Generalium, aut Prouincialium, non possunt in alio ordine recipi; Ita concessit Minoribus *Sixtus* 4. *Bul.* 14. & Prædicatoribus *Bul.* 33. & Minimis *Iul.* 2. *Bul.* 28.

DVBIVM III.

4 *An religiosi teneantur portare habitum suæ religionis.*

De Episcopis an ad id teneantur dixi iam c. 2. dub. 4.

1. Conc. Religiosus tenetur publice portare habitum suæ religionis. Ita decernitur in Con. Tri. sess. 25. c. 19. imo qui animo vagãdi occultat habitum suum, taliter quod à prætereuntibus propius accedentibus non cognoscatur, incurrit excommunicationem latam in c. *vt pericul. ne cler. vel monac.* contra dimittentes temerarie habitum suæ religionis; ista enim habitus occultatio ad libere vagandum, est formalis dimissio habitus, *secundum Caie. ver. excomm. c.* 61. *Sil. et Armi. ver. habitus Bann.* 2. 2 *q.* 12. *ar.* 1. *et comm. Canonist.* licet Pan. in c. *Deus qui, de vita et hon. cle.* satis probabiliter oppositum teneat; quia ait, illa pœna fertur contra dimittentes temerariè habitum, ergo non est extendenda ad occultantes habitum; & di-

dicitur temeraria dimissio habitus, quando dimittitur habitus ad patrandum aliquod malum. v. g. furtum, homicidium, aut aliquam turpitudinem, quæ sit peccatum mort. alio habitu assumpto. Nam si non assumit alium habitum quo liberè possit vagari, aut si dimittit suum habitum, & assumit alium, ex motiuo tantum peccati venialis; non incurrit dictam excommunicationem. Vt si religiosus nocte vt transeat de vna in aliam domum, sine malo sine mortali; sed ad euitandum scandalum assumit pallium, quo occultetur, secus esset si ille transitus ex aliqua quacunque circunstantia fieret peccatum mort. Ita *Bann. loc. cit. et commun.*

Ex hoc sequitur, quod si religiosus assumit habitũ alterius religionis, de licentia Prælati talis religionis ad præstandum aliquod obsequium pro tali religione, verbi gratia, ad prædicandum, vel disputandum, & non ad ibi profitendum; nec peccat, nec incurrit dictam excommunicationem cap. *vt periculosam*, cum non sit dimissio proprij habitus temeraria, vtpote ad libere vagandum, vel scelus patrandum.

CAPVT VIII.

De recipiendis in religione.

SVMMARIVM.

An illegitimi possint admitti in religionibus. n. 1.
Qui sive inhabiles ad religionem. n. 2.
An in receptione nouitiorum possint monasteria aliquid recipere. num. 3.
Quæ ætas necessaria ad professionem. n. 4.

DVBIVM I.

An illegitimi possint admitti in religionibus.

1. CONclusio. In tempore *Sixt. 5.* illegitimi, vtpote sacrilegi & incestuosi, intra tertium gradũ erant inhabiles ad religionẽ, & alij illegitimi poterant admitti certis conditionibus & habita prius informatione de eorũ vita & moribus, & aliter facta professio erat nulla; Ita statuit *Sixt. 5.* in motu qui incipit. *Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus*, sexto Calendas. Decemb. anni 1587. vbi tamen non comprehendebantur legitimati per sequens matrimoniũ; sed habiles censebãtur ad professionẽ, ad gradus, honores, & dignitates, sicut alij legitimi; Ita declarauit idẽ *Sixtus* in motu qui incipit, *Ad Ro-* 1

manū spectat Pontificem, edito *die* 13. *Nouemb. Anni* 1588.

2. Concl. Post *Sixtum* 5. eius successor *Greg.* 14. in bulla edita idibus Martij, anni 1590. reduxit decretum *Sixti* prædictum ad ius commune: in iure tamen communi, illegitimus non est inhabilis ad professionem, sed ad ordines & dignitates, &c. Et ad ista dispensatur iuxta dicta cap. 6. d. 18. prohibet tamen prædictus *Greg.* ne dictus illegitimus patre viuente admittatur in religione, in qua eius pater ante, vel post filij natalem fuerit professus: si tamen de facto admittitur & profitetur, valet professio cum ibi non irritetur.

DVBIVM II.

An maiores sexdecim annorum sint ad religionem admittendi.

1. Concl. In dicto motu *Sixt.* 5. habetur, quod nullus maior
2 sexdecim annorum ad habitum religiosum admittatur, nisi prius de suis parentibus, patria, vita, & moribus diligenter inquisitus, & compertum sit ex fide digna relatione, eos non aliquorum criminum, sicut sunt homicidia furta, latrocinia, vel similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, vel ne damnentur formident, nec ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex hoc lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne inferatur, & nisi constet eos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis & pietatis feruore vitam religiosam sponte, & ex animo elegisse: & quod de his omnibus in Generali, vel Prouinciali capitulo plena, & indubitata fide facta; tam generalis, siue Prouincialis, quam deffinitorum consensu approbati, & ad habitum admissi fuerint. Et omnes dicti criminosi, vel suspecti, aut ære alieno oppressi, vel ratiocinijs obligati, ad religionem inhabilitantur: & istorum receptores, tam religiosi quicumque, quàm eorum superiores voce actiua & passiua, officijs, gradibus, honoribus & dignitatibus quibusuis per eos obtentis, ipso facto priuantur: & ad illa & alia otinenda perpetuo inhabilitantur. Et postea idem *Sixtus* in motu, qui incipit: *Ad Romanum spectat Pontificem*, edito die 12. Calendas Nouemb. 1588. declarauit criminosos, &c. debere intelligi, quando actibus publicis constiterit, ipsos iudices & Curiam sæcularem ante susceptum habitum, de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.

2. Concluſ. Poſt hæc *Greg.XIV.* in decreto cit. dub. 1. ſtatuit, quod modus recipiendi iſtos maiores ſexdecim annorum iuxta decretum *Sixti*, facto prius examine ſufficienti de eorũ vita & moribus modo à *Sixto* explicato, ſub eiſdem pœnis in eodem maneat robore. Excepto, quod iſtorum approbatio non ſpectet ad capitulum, ſed ad eos quos Prouincialis deſignauerit. Et poſt hæc *Clem.VIII.Bul.7.* reducit ad ius commune receptionem maiorum ſexdecim annorum, quoad hoc quod ſi recipiantur ſine dicta informatione de moribus, valet eorum receptio, & profeſſio illorum: tamen receptores manent obnoxij pœnis contentis in Bul. Sixt. V. & Greg. XIV.

DVBIVM III.

An in receptione nouitiorum poſſint monaſteria aliquid recipere. 3

1. Concluſ. Licet ſit ſymonia recipere aliquid in precium pro ingreſſu religionis, vt oſtenditur cum *D.Th.* 2. 2 *q.* 100. *art.* 3. licet tamen aliquid recipere, etiam ante profeſſionem, pro alimentis recipiendis. Ita permittitur in Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 16. & ita habet vſus in aliquibus religionibus, maximè inter moniales.

2. Concl. Ante profeſſionem præter victum & veſtitum eſt vetita cum excommunicatione, datio & receptio ex bonis nouitij, vel nouitiæ; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſuæ ſubſtantiæ, monaſteriũ poſſideat. Ita Conc. Trid. loc. cit. vbi etiam præcipitur quod nouitio ante profeſſionem recedenti; omnia ſua integre reſtituãtur, ad quod ſi opus ſit religioſi ab Epiſcopo cenſuris cogantur.

3. Concl. Conuentus, & capitula ſub ſuſpenſione, Prælati & ſingulæ perſonæ regulares vtriuſque ſexus ſub excommunicatione Papæ reſeruata, tenentur in receptione nouitiorum vtriuſque ſexus, vel poſt receptionem non petere, vel exigere etiam indirecte, paſtus, prandia, cœnas, pecunias, vel alia localia, etiam ad Eccleſiaſticum, vel alium pium vſum. Ita præcipit ante Concil. Trid. *Greg.X.Bul.2.* ſed hic tantum vetatur prædictorum petitio, ſed non receptio eorum quæ libere donantur: item vetatur hæc petitio ex pacto. *Ita Caiet.ver.excom.c.73.* imo & licet petere ſolitas dotes, lectiſternia & ſimilia, cum iſta titulo alimentorum exigantur.

DV-

DVBIVM IV.

4 *Ad professionem sit necessaria ætas sexdecim annorum.*

1. Conclusio In omni religione virorum & mulierum, non fiat professio ante decimum sextum ætatis annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum in probatione steterit post susceptum habitum: aliter facta professio irritatur in Conc. Trid. ses. 25. c. 15. Post hæc *Pius V. Bul.* 11. concessit, pro nouitijs monialium ordinis Prædicatorum posse profiteri in articulo mortis ante annum probationis expletum, vt indulgentiam consequantur: sed hoc videtur iam reuocatum iuxta dicenda lib. 2. c. 3. dub. 6.

2. Conclusio. Religiosus prætendens per vim aut metum religionem intrasse, aut ante debitam ætatem esse professum, aut aliud simile, volensque habitum dimittere quacunque de causa, aut cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinque annos à die professionis causas deduxerit, quas prætendit, coram Ordinario & suo Superiore. Et si ante hoc sponte habitum dimiserit, non admittatur ad allegandum quamcunque causam, sed ad monasterium redire cogatur, & sicut apostata puniatur: interim tamen nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Ita statuitur in Conc. Trid. sess. 25. cap. 19.

Nota, quod qui cogit mulierem præterquam in casibus in iure expressis, ad ingressum monasterij, vel ad suscipiendum habitum cuiusuis religionis, aut profitendum, & ad id, consilium, auxilium, aut fauorem dantes, & qui coactionem scientes, quouis modo eidem actui præsentiam, consensum, vel authoritatem interposuerint, excommunicantur in Concil. Trid. sess. 25. c. 18. Et eadem pęna imponitur ibi impedientibus mulierem, ne velum accipiat, vel votum emittat. *Et Eug. IV. Bul.* 7. pro Cælestinis & Bul. 8. pro Benedictinis, excommunicat. non tantum extrahentes vel retinentes religiosos professos sine suorum Superiorum licentia, sed etiam impedientes alios (scilicet vi, aut dolo) religionem intrare. Item, in Conc. Trid. sess. 25. c. 17. dicitur quod Episcopus vel eius Vicarius, aut alius eorum subditus, ante mensem professionis monitus à præfecta monasterij, exploret monialis voluntatem: an libere, an coactè profiteatur.

Finis huius Libri primi.



LIBER SECVNDVS
DE PRIVILEGIIS REGVLARIVM.

PROLOGVS.

Qvamuis in primo Libro multa ſint Regularium adducta priuilegia: quibus ſtatus religioſus maximè illuſtratur: in hoc tamen libro ad particularia deſcendentes, ex profeſſo tractabimus de priuilegijs, eorum naturam oſtendentes, & ſpecialiter explicantes multa priuilegia Regularibus conceſſa, pro ſe & pro ſæcularibus: tàm circa ſpiritualia, & Sacramenta, quàm circa temporalia.

CAPVT I.

De natura Priuilegij.

SVMMARIVM.

Quid sit Priuilegium et quomodo differat à dispensatione? num. 1.
Ad vsum Priuilegij an necessaria sit scriptura? n. 2.
An et qua promulgatio sit de ratione legis? n. 3.
An interposita supplicatione suspẽdatur obligatio legis? n. 4
An efficacia legis pendeat ab acceptatione? n. 5.
An ad effectum priuilegij sit necessaria eius notitia? n. 6.

DVBIVM I.

Quid sit Priuilegium.

1. Concl. Priuilegium, quod (*vt dicitur in c. priuilegia, d. 3. et in D. Tho. 1. 2. q. 96. art. 1. ad 1.* priuatorum lex seu priuata lex nuncupatur) est singulare ius contra ius commune indultum. *Ita Silu. ver. priuilegium, ex c. Abbat. de verb. signif.* semper enim priuilegium operatur aliquid contra ius commune, *vt dicitur in l. fin. C. de inoffic. test. ff. de vsuris*, & licet aliquando non tribuat aliquid contra ius commune, aut præter ius commune, tamen vt vere dicatur priuilegium, sat est quod tribuat clarius & facilius, idem ius quod tribuit ius commune: & sic priuilegia continentia ius commune, hoc contra ius commune operantur.

2. Conclus. Priuilegium differt & à dispensatione in hoc quod priuilegium solet concedi sine causa: at dispensatio est prouida iuris relaxatio, seu moderatio vtilitate siue necessitate pensata: *Ita Pan. in c. cũ in cunctis 1. de elect.* sic adeo, quod dispensatio facta sine causa etiã à Papa, circa legem pẽdentem à iure diuino, erit nulla, sicut dispensatio in votis, aut iuramentis, & tam dispensantes, quã id procurantes peccent. *Ita Caie. 1. 2. q. 96. a. 5 & q. 97. a. 4. & Soto, 1. de iust. q. 7. art. 3.* imo licet dispensatio circa legem purè humanam, sicut circa ieiunia, qualitatem ciborum, & circa impedimenta matrimonij facta à legislatore sine causa sit valida, & dispensatus

possit

possit vti illa absq; peccato, saltem mortali, *vt ait Sot. 1. de iust. q. 3. Nau. in man. cap. 23. n 42. & Vict. de potest. Papæ n. 15. contra Caiet.* tamen si talis dispensatio fit à Prælatis inferioribus, taliter pendet à causa iusta, quod illa deficiente dispensatio erit nulla, *vt ait Nauar. in manu. prælud. 9. n. 13. & 14.* quæ tamen censeatur causa iusta in particulari, arbitrio prudentiū relinquitur, *vt ait Sil. ver. religio 4. §. 1. & 2.* omnis tamen causæ iustitia est sumenda in ordine ad bonum cōmune. Nam cum lex iusta non sit, nisi ad bonum commune referatur, sic nec dispensatio circa eam. Et iuxta istam doctrinam numerantur in Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de refor. quatuor causæ vt Prælatus licite dispenser in obligatione residendi de iure diuino & naturali cum suis ouibus: quæ omnes ad commune bonum referuntur: quarum prima est, Christiana charitas vt pro liberanda altera Ecclesia ab hæresibus: quibus proprius Episcopus resistere non valet, vel ad componenda dissidia inter Episcopum & clerum. *Secunda*, vrgens necessitas Ecclesiæ, vel Episcopi. *Tertia*, debita obedientia, vt si vocetur à Papa, vel à Rege pro negotijs Regni, vt pro iurando, vel baptizando Principe: tunc potest Episcopus illuc accedere pro paruo tempore. *Quarta*, euidens Ecclesiæ, vel Reip. vtilitas, &c. Ex dictis sequitur, quod ex eo quod dispensatio requirit causā, est strictius interpretanda, quam priuilegium, *vt late ostendit Rebuf. citatus à Rodr. in qq. reg. to. 1. q. 22. art. 2. Vide dicta supra lib. 1. c. 6. dub. 18. con. 5.*

DVBIVM II.

An Priuilegium sit dandum in scriptis.

1. Concl. Vt priuilegium in iudicio probetur, debet dari in scriptis; alias si viuæ vocis oraculis eadem fides quæ literis Apostolicis adhiberetur, multæ fraudes passim euenirent.

2. Conclus. Scriptura, seu bullatio, non est de essentia priuilegij. *Ita in Clem. dudum de sepul. in fine cum gloss. & Innocen. in cap constitutus de rescriptis, Archid. & Ioan. Andr. in prae. sexti.* Item *Leo* X. inter viua ora. n. 4. die 15. April. anni 1516. concessit Minoribus, quod vtantur secura conscientia omnibus concessis à Sede Apostolica, & à Romanis Pontificibus, siue per bullas, siue per breuia, siue per viuæ vocis oracula, pro vt in libris ordinis reperiuntur, ac si omnia tunc essent specifice expressa: & pro maiore conscientiarū securitate omnia de nouo concedit, item quod nō sint minoris

effi-

efficaciæ viuæ vocis oracula, quam si per breuia, aut per bullam ad perpetuam rei memoriam essent concessa. *Vide Silu. & Arm. verbo, Gratia.*

3. Concl. Priuilegia regularium, siue facta in forma breuis, siue per supplicationes expedita, in quibus placuit, vt sola signatura sufficiat, eandem omnino habent efficaciam, etiam in iudicio: ac si plumbeo sigillo essent signata. Ita concessit Augustinianis *Iul. II. Bul.* 22. vbi sic dicitur. *Praeterea, vt omnia firmissima sint, &c. volumus, vt hac nostra concessio, & quacunque alia tibi vel tuo ordini facta, siue per se, siue per commutationem cum alijs ordinibus, eandem vim & efficaciam habeant, tam in iudicio, quam extra ac si plumbeo sigillo signata essent. Quod intelligi volumus, tam de his qua in forma breuis, quam de his qua per supplicationes expedita sunt: in quibus placuit vt sola signatura sufficeret. Quamobrem, tam omnia pramissa; quam quacumque alia fuerunt tuo ordini vtcumque concessa, siue per ipsa exemplaria, siue istorum transumpta ostendantur, Pralati alicuius, vel publici notarij manu signata, vel etiam Generalis ordinis sigillo firmata, eodem motu, scientia & potestate, mandamus eandem omnino & vim esse & fidem adhiberi: ac si plumbi signum haberent*, hæc Iul. II.

DVBIVM III.

An ad valorem priuilegij, sicut & ad valorem legis, sit necessaria eius promulgatio.

1. Conclus. Promulgatio est de ratione legis. Leges enim instituuntur cum promulgantur, *vt habetur in c. in istis, d. 4. ita D Tho. & communiter, Th.* 1.2.*q.*90.*art.*4. & patet inductiue in omnibus legibus: lex enim naturalis satis omnibus promulgatur per lumen rationis, lex vetus fuit promulgata Exod. 20. quando populus Israeliticus audiebat voces, videbat fulgura montemq; fumantem, lex etiam Euangelica à Christo dum viueret, & in die sancto Pentecostes, fuit Hierosolymis solemniter promulgata; & de legibus humanis, canonicis & ciuilibus experientia constat earum promulgatio.

2. Conclusio. Vt lex humana dicatur satis promulgata, non sat est, quod in curia promulgetur; nec requiritur, quod singulis notificetur, sed sat est, quod in locis insignioribus pro-

promulgetur. Patet ex authen. *vt facta Constitutiones*: vbi præcipitur, quod leges ciuiles proponantur in omnibus Prouincijs:& quod post promulgationem non valeant vsque post duos menses elapsos: vt sic ad omnium notitiam perueniant: lex etiam Ecclesiastica debet promulgari in omnibus diœcesibus. Et hæc doctrina non tantum habet verum in legibus præceptiuis: sed etiam in legibus reuocantibus gratias & priuilegia quæ nullam vim habent, quousque promulgentur, non tantum in Prouincia, sed etiam in diœcesi. *Ita Soto* 1. *de iust.q* 2.*art*.4.*Silu.& Armi.ver.gratia,Med* 12.*q* 90. *art*. 4.*Rod.in qq.reg.to* 1. *q*.21. *art*.10. Facta tamen sufficienti promulgatione lex incipit obligare etiam ignorantes, licet ob ignorantiam inuincibilem, à culpa & pœna excusentur.

4 *An vero interposita supplicatione suspendatur obligatio legis: dum legislatori fit relatio de inconuenientibus obstãtibus executioni legis.* In hoc aliquibus viris doctissimis & timoratis visum est, quod sic:& ita obseruarunt absq; scrupulo in motu de largitione munerum supra explicato lib. 1. cap. 5.dub.5. *Ad hoc tamen dico*, quod licet executio literarum Papæ, aut alterius, etiam cum excommunicatione super aliquo negotio missarum, suspendatur interposita supplicatione, obediendo illis litteris,& allegando causas executioni obstantes, *vt habetur in cap.si quando de rescriptis,et ibidem Feli.Bart et Innoc.* secus tamen est de legibus generalibus latis pro conseruatione Ecclesiæ, vel reip. quia cùm legis sit consulere bono communi, & sit lata iuxta dictamen rationis;vult Papa, aut legislator, quod non suspendatur eius executio interposita supplicatione, licet aliqui ex illa grauentur: at præceptum litterarum particularium facit quoddam ius particulare, secundum allegata ex parte petentis, vel proponentis: in quo cum possit esse error ob malam relationem, non mirum si velit Superior, quod spectetur secunda iussio ipsius, vt executioni mandetur.

5 *An vero efficacia legis pendeat ex eius acceptatione. Ad hoc dico*, quod lex quæ reuocat gratiam aliquam, aut priuilegium, quale est decretum Papæ statuentis ne religiosi vtantur aliqua gratia bullæ Cruciatæ, verbi gratia, facultate eligendi confessorem in illa contenta,&c. non pendet ex acceptatione. Quia cùm istæ gratiæ & priuilegia ex mera principis voluntate concedantur, ex eadem voluntate sine ordine ad acceptationem possunt in toto, vel in parte reuocari: lex tamen præce-

ceptiua vel prohibitiua non obligat dum non recipitur per maiorem partem reip. *vt ait Nau.in man. cap.23. num. 41. et alij quos refert et sequitur Rod.in qq reg.tom.1. q.6.art. 10.* & dicitur lex non recipi, vel quando ignorante principe per decennium illi contrauenitur, *vt ait Con.2.variarum n. 6.* aut quando sciente, & tacente Principe per binos, aut trinos actus illi contrauenitur: cum ad inducendum consuetudinem sufficiant illi actus, *vt ait Panor. c.de tregua et pace, Bart. Casaneus, et alij Relati à Rodr.art.2.* imo sat est, quod isti actus fiant scientibus, & non contradicentibus auditoribus Regijs, & Principis correctoribus, si lex sit ciuilis: & si est Ecclesiastica, scientibus Nuntio Apostolico & ordinario, vel Superiore quibus incumbit prædicta executione, mandare, *vt ait Burgos in leg.1.Taur.n.132.et 133.*

6 3. Conclus. Non est necessaria notitia priuilegij in illo contra quem obtinetur, ad hoc quod suum effectum operetur. *Ita Bart.in l.omnes populi, q.105.par.principalis, n.37. ff. de iust. et iure.* Requiritur tamen scientia eius in priuilegiato, nisi oppositum constet de voluntate concedentis. *Ita Card.in proœ.Clem.c.3.de concessione prabenda in 6.Bart. et communiter in l.penul.C.de curia lib.10.* imo si quis per se, vel per alterum obtinet aliquod priuilegium, verbi gratia, ne ab ordinario possit excõmunicari: statim bullato priuilegio incipit habere suos effectus: licet priuilegiatus ignoret tale priuilegium. Nam tunc iam concurrit voluntas Papæ concedentis, & voluntas priuilegiati tale priuilegium acceptantis, per se, aut per alterum. *Ita Silu. ver. priuilegium, n.14.*

CAPVT II.

De interpretatione legum & priuilegiorum.

SVMMARIVM.

Quis possit leges et priuilegia interpretari? n.1.
Quis possit statuta et priuilegia dubia religiosorum? n.2.
Regula communes pro interpretandis legibus et priuilegijs? num.3.
Regula speciales pro interpretandis priuilegijs? n.4.
Alia speciales pro priuilegijs regularium? n.5.

DVB.

DVBIVM I.

Quis possit leges & priuilegia interpretari. 7

1. Concl. Iudicialis istorum interpretatio, soli legislatori reseruatur, in c. *cum venissent, de iudicijs.* Et aliquando alijs à Papa committitur, sicut interpretatio dubiorum emergentium circa Conc. Trid. commissa est Congregationi Cardinalium quorum declaratio, authenticata sigillo Congregationis, aut alio iuridico obligat in conscientia & in iudicio. Habet enim dicta Congregatio authoritatem declarandi ista dubia: maxime, quia consulit Papam, vt constat ex commissione sibi data, relata à Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 11. art. 1. quæ est *Sixt. V.* & talis est.

CONGREGATIO OCTAVA, pro interpretatione, & executione Concil. Trident.

DEo autem Patri misericordiarũ gratias agẽtes, qui in œcumenico Conc. Trid. Spiritus Sãcti lumine diffuso Catholicã veritatem omnibus patefecit, hæreses nostrorũ tẽporum confutauit, mores & disciplinã restituit, eiusdẽq; Concil. decreta ab omnibus obseruari volẽtes: cum ad singularẽ Romani Pontificis authoritatem tantummodo spectet generalia Concilia indicere, cõfirmare, interpretari, & vt vbiq; locorum seruentur curare, & præcipere, eorũ quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationẽ nobis ipsis reseruamus Cardinalibus vero præfectis interpretationi & executioni Concil. Trid. si quando in his quæ de morum reformatione, disciplina ac moderamine, & Ecclesiasticis iudicijs alijsque huiusmodi statuta sũt, dubietas, aut difficultas emerserint, interpretãdi facultatẽ, nobis tamen consultis, impartimur, &c.

2. Concl. Doctrinalis declaratio legum & priuilegiorum, licita est doctoribus, & literatis, & iudicibus in tribunalibus, pro communi vtilitate, iuxta tradita in Conc. Trid. sess. 25. c. 2 de refor. qui sæpè per epicheiam temperant legum rigorem, iuxta præsumptam legislatoris interpretationem, *vt docet Con. in regula possessor. 2. p. §. 6. num. 2. Caiet. & alij communiter cum D. Thom. 1. 2. q. 97. & 2. 2. q. 6. art. 5.*

Sot.1.de iust.q.7.art.5. & hoc ita expedit, maxime quando Superior adiri non potest pro interpretatione suæ legis.

Si obijcias, quòd *Pius IV.* in bulla confirmationis Concilij, quæ incipit, *Benedictus*, præcipit Prælatis sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, & alijs sub excõmunicatione, ne commentarios, glossas, scholia, vllumve interpretationis genus super ipsius Conc. decretis quouis modò edere, vel statuere audeant, etiam prætextu maioris corroborationis, vel executionis ipsius Conc. *Ad hoc respondetur*, quod in hoc decreto non vetamur facere annotationes, vel commentarios ad iuuandam memoriam, sed ne fiant ista commentaria & scholia ad publicandum, sicut qui imprimunt libros eo animo, vt ad omnium notitiam deueniant. Sic etiam Doctores licite in suis libris incidenter declarant, aliqua decreta Conc. cum hoc non sit edere commentarios, glossas, &c. super decreta Concilij.

DVBIVM II.

2 *Quis possit interpretari statuta & priuilegia dubia religiosorum.*

1. Conclusio. Archiepiscopi & alij inferiores Prælati illud non possunt. Ita concessit Prædicatoribus & Minoribus *Clem. IV. Bul. 31.*

2. Conclus. Generales ordinum possunt interpretari omnia dubia occurrentia in ordine, regula, statutis & consuetudinibus, & omnibus alijs vtpote in priuilegijs. Ita concessit Tertiarijs *Clem. VII. Bul. 5.*

Item, *Iul. III.* viuæ vocis oraculo concessit magistro ordinis Prædicatorum (qui tunc erat frater Stephanus Vlusmaris) vt quæcumq; in capitulo Romæ an. 1553 per eum sint instituta, concessa, declarata, & approbata, pro reformatione & bono sui ordinis statu, valida sint, derogando pro hac tantum vice omnibus oraculis & literis Papæ in contrarium. Ita habetur inter acta istius capituli, & in virtute istius indulti, in secunda declaratione dicti capituli sic habetur: Declaramus nullũ breue, vel oraculũ Apostolicum esse ponendum in vsu, in aliqua prouincia, nisi de licẽtia magistri ordinis obtentũ, & ab ipsa Prouincia prius petitũ, vel saltẽ postea acceptatum: & acta istius capituli, sunt acceptata in eodem anno 1553 à Prouincia Hispaniæ in capitulo Burgis celebrato 22. Octobris.

3. Concl.

3. Conclus. Prior Prouincialis, de consensu maioris partis capituli Prouincialis potest declarare, an sit abstinendum ab vsu alicuius viuæ vocis oraculi,& post talium declarationem, non possunt subditi, vti tali concessione ac si esset reuocata. Ita concessit Leo X. inter viua orac.

4. Concl. Vicarius generalis, cum aliqua persona in dignitate constituta, & duobus iurisconsultis, potest interpretari dubia, circa leges & priuilegia exorta. Et religiosi subditi possunt securè stare istis declarationibus. Ita concessit fratribus Prædicatoribus Hispaniæ Innoc. VIII. inter viua orac.

5. Concl. In rebus dubijs & scrupulosis conscientias Minorum tangentibus: eorum Generales, Prouinciales & Custodes, cum consilio aliquorum Patrum, si res sit magnæ importantiæ, possunt in his determinare, & istorum determinationi subditi secura conscientia possunt & debent stare. Ita concessit Minoribus *Leo X.* inter viua orac. nu. 14. Imo & nu. 61. concedit, quod fratres nimis scrupulosi possint in omnibus dubijs suas conscientias tangentibus, stare declarationi & determinationi sui Guardiani vel cuiusuis alterius Prælati.

Ex dictis patet declarationem Prælati in dubijs esse optimam ad quietandas timoratas subditorum conscientias: & religiosus debet captiuare intellectum tali declarationi acquiescendo, iuxta *D. Tho & Caiet.* 2.2. q. 147. art. 4. & Nau. in man. c. 21. n. 22. vbi ait imprudenter agere Prælatum, qui dubitantibus subditis an ad ieiunia teneantur, hoc suis conscientijs relinquunt, & idem ait Caiet. de qualitate ciborum.

DVBIVM III.

An sint aliquæ regulæ pro legum & priuilegiorum interpretatione.

1. Conclusio. Multæ à iuristis dantur regulæ pro interpretandis legibus & priuilegijs; ex quibus communiores & magis necessarias referam.

Prima, quod attẽdatur intentio legislatoris: quæ ex proœmio legis, aut priuilegij indagatur: proœmia enim ista causã finalem continent. *Ita in cap. Marcion.* 1. *q.* 3. *& c. sedulo d.* 28. *& c. intelligentia, & c. in his de verb signif. & in l. fin. ff de hæret. & inf. & ibi. Bart. Bal. & Ang.* Et huc tendit ista regula ab aliquibus assignata, scilicet, *verba legum & priui-*

legiorum sunt intelligenda, secũdum id ad quod principaliter proferũtur à legislatore, & sic verba posita ad vnũ finem, in ordine ad illum sunt interpretanda. *Ita in cap. intelligentiæ, & cap. fin. de verb. signif.* Et sic quando in Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. diffinitur nos iustificari per gratiam & charitatem in cordibus nostris diffusam, non intenditur nos iustificari per habitus infusos, sed quod non iustificamur ab extrinseco per non imputationem peccati; vt dicebat Lutherus, sed per internam renouationem.

2. Conclusio. Vna scriptura declaratur, & per vnam partẽ eius, & per alias partes omnino ab ea separatas Ita August. 3. de doct. c. 26. vbi ait, cum verba scripturæ apertius in vno loco ponũtur, ibi discendum est quomodo in locis intelligatur obscurioribus; & in c. *secundo requiris, de appellat.* dicitur, vtriusq; iuris argumenta nos docent ea quæ in principio ad medium, & ad finem, & quæ in medio ad finem & principium sępè referri cõtingat. Quod sumit Bald. ibi. his verbis. Per media declarãtur extrema, & per vnũ extremũ declaratur aliud.

3. Concl. Volũtas legislatoris à verosimili indagatur. *Ita in l. non est verosimile, ff. de eo quod metus causa.* Nã qui arguit à verosimili, arguit à ratione naturali: cum similitudo sit cognata naturæ, *vt ait Bal. cons.* 180. *n.* 3. *vol.* 3. Et pro lege habetur, vt ait Oldradus cons. 13. & Graueta cons. 292. n. 6. vbi refert eũ qui habet verosimile pro se, habere causam legis pro se: vnde verba generalia cõstitutionũ ad verosimilia extendũtur, ista tamen regula deficit in legibus pęnalibus: nam pœnæ legũ potius sunt molliendæ ex declaratione legũ; quã exasperandæ. Et sic primũ casum non excedunt. *Ita in l. e in his, ff. de condi. & demonst.* Secus est in alijs legibus, quia aliæ leges nõ pęnales taliter pendent à ratione quod ratio legis dicitur mẽs & anima legis. Et sic Panor. *in le. fin. de rescript. & Bald. l. nõ dubium. C. de legibus,* dicunt quod lex nõ est aliud quã ratio eius. Ita quod vbi illa eadẽ ratio inuenitur, ibi etiam eadem habeatur lex. At lex pœnalis non pendet omnino à ratione, sed ex legislatoris voluntate, in quantum certam pœnam decreuit: quia licet ex recta ratione procedat, quod crimina puniantur, nulla tamen ratio cogit quod tale crimen tali pœna puniatur, sed hoc pendet ex sola legislatoris voluntate.

4. Concl. Leges fauorabiles sunt ampliandæ, & odiosæ restringendæ, iuxta regulam vulgarem: & illa lex censetur fauorabilis, quæ principaliter intendit fauorem, licet ex con-

consequenti in alicuius damnum cedat. *Ita glos. in cap. sciāt cuncti, de elect. secundum Nau. lib. 3. cons. 32. de reg. de quo Feli. in c non dubiū, de elect.* & secundū hoc lex quæ excommunicat percussores clericorum, est fauorabilis, quia intendit præcipuè fauorem Ecclesiæ, licet sit pœnalis delinquenti.

1. *Regula*. Lex taliter interpretetur quod inutilis non reddatur. *Ita in l. non dubiū, C. de legi*, & sic licet lex sit pænalis & consequenter stricte interpretanda, debet etiam ampliari ne inutilis & ridicula reddatur; & eius verba sunt propriè intelligenda, vt eius mens seruetur. *Ita Sarmiento lib. 1. selec. c. 12. n. 7. & 8.* vnde licet in expositione legum pęnalium, semper præsumatur pro parte per quam pęna vitatur, *vt dicitur in l. proximè, ff. de his quæ in test. de lin.* non tamen quando casus est clarus; vtpote quia si proprietas verborum importaret pœnam, staremus proprietati, *vt dicitur in l. cum leg. vbi Aret. ff. de reg. iuris*; & confirmatur ex doctrina Panorm. *in c. 2. de const.* vbi ait, quod licèt in dubio præualeat interpretatio legis, quæ est benignior, tamen plurimum debet attendi verborum proprietas.

2. *Regula*. Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, nisi authoritate alterius legis. *Ita Bart in l. vnica, C. quorum leg.* quia constitutio generalis per aliam specialem limitatur. *Ita Bart. in l. quæsitum § fur. n. 12. ff. de fide instr.*

3. *Regula*. Lex non includit id ad quod mens & ratio authoris non se extendit. *Ita l. cum pater, §. dolo. ff. de leg. 2. & Panor. in c. suggestum: & in c. meminimus, de appell.* & in dubijs mens Principis semper præsumitur esse talis qualis de iure debet esse, *vt notat Bald. ex l. ex facto, not. 4.*

4 *Regula*. Verba legis intelliguntur, iuxta subiectam materiā, *vt dicitur in c. cum intelligentia, de verborum signif.* vnde quando *Clemens VIII.* præcipit, quod informationes intrantiū religionē fiant coram notario; non est necesse quod sit notarius regius, vel Apostolicus; sat est enim quod sit notarius ordinis creatus à Generali, vel Prouinciali, prout est consuetū in religionibus. Concessū enim est à *Pio V. Bul. 12.* Generali & Prouincialibus ordinis Prędicatorum posse creare quinque aut plures religiosos sui ordinis ab eis approbatos, in notarios publicos pro intimādis mādatis & rescriptis Apostolicis, publicā aut priuatā vtilitatē dicti ordini concernētibus.

5. Conclusio. Aliæ etiam regulæ sunt specialiter pro interpretatione priuilegiorum.

1. *Regula sit*. Priuilegia recipiunt interpretationem à supplicatis; cum mente enim supplicantis præsumitur se conformare concedens. *Ita in c. inter dilectos, §. caterum, de fide instrumentorum, cum glo. ibi.*

2. *Regula*. Quando priuilegium est obscurum & contrarium, debet stricte interpretari, vt minus quam possit deroget iuri communi. *Ita in cap. cum dilectus, de consuetu.* vt si cum illegitimo dispensetur ad ordines, intelligitur de ordinibus minoribus tātū. *secundum Panor. in cap. si quisquam, de cohabitat. clerici & mulie. Silu. & Armi. ver. priuilegium*: imo si non exprimitur causa concessionis, vel non sit ex certa scientia, vel motu proprio, non præsumitur de voluntate principis, *l. 1. C. de pet. bono*: imo per importunitatem obtētum *per l. 1. C. de fundis limi.* & vult Bald. & alij in c. *licet causam, de prob.* quod ponatur simul ex certa scientia & motu proprio, & idem est de rescripto tollente ius tertij, vt de priuilegio ad beneficia; vt habetur in c. *quamuis, de preb. in 6* & hoc nisi consuetudo aliter interpretetur: *vt notatur in cap quod dilectio, de consang. & affin.*: vel nisi verba aliud exprimant: quia ab illorum propria significatione non debemus recedere, nisi de mente aliter constet, *vt in cap. olim & c. in his, de verb. signif.*

3. *Regula*. Priuilegium enormiter lædens Ecclesiam, aut alios, non valet, nisi fiat mentio de ista enormi læsione: quia in dubio non præsumitur principem concedere aliquid cum alterius graui dispendio, *l. quoties, C. de praben. in pet. offi. & Pan. in c. cum ad hac, de cler. non resid.* vnde priuilegium immunitatis ab oneribus alicui concessum non liberat eum ab oneribus, quæ potest leuiter & breuiter expedire: vt est *casus in l. decurio. C. de decurio.*

4. *Regula* Priuilegium large sumptum pro omni concesso præter ius, largissime interpretetur in præiudicium concedentis: stricte tamen si est in aliorum præiudicium. *Ita in c quia circa, de priu. in glos. vlt & Innocen. in c. olim de verb. signif.* sed non interpretetur ita stricte, quod nihil operetur, sēper enim priuilegium debet aliquid operari. *Ita in c. si Papa, de priuil. in 6.* & seruetur proprietas verborū: quia quando in priuilegio sunt verba lata, vniuersalia & præcisa, est late interpretandum, *secundum Anton. de Butrio in c olim de ver. signif.* & licet materia sit odiosa, non excluditur lata interpretatio, quæ ex proprietate verborum nascitur, vt insinuat

Pan.

Pan.*in d.c.olim:* vbi ait, quod priuilegiũ late est interpretandum, vbi verba hoc patiuntur, & quando priuilegium concessum personę loquitur simpliciter, intelligitur secundum conditionem personæ. *Ita c.si placuit, & c.si viua* 16. *q.* 1. & quando constat de mente legis, vel priuilegij, debet seruari, *secundum Panor.in c.quanto in glo.fin.* in dubio requirendum est ad verba.reg.fi.de regu.iuris in 6.

5.*Regula*. Priuilegium latissime interpretetur, quantum fieri possit, *de donat.c cum dilectus ff.de consti.princ. l. beneficia* nisi præiudicet iuri alieno, quia tunc reducitur ad ius commune. *Ita in c.dilectus, de consue,§.pen.& fin.* dum tamen aliquid operetur. *Ita Innocen. Bernar. Gofe. relati à Silu.verb.priuilegium*.

6.Concl. Aliæ etiam regulæ solent specialter assignari pro interpretandis priuilegijs regularium. Prima regula. Priuilegia dubia regularium, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & ex iuristarum interpretationem, in fauorem regularium sunt intelligenda. Ita concessit Camaldulensibus *Leo X. & Iul.I.* Congregationi montis Oliueti, vt habetur in Compe Societatis, ver.*priuilegia*, §.4. & hæc regula notetur à regularibus pro decisione multorum dubiorum. 5

7.Concl. Statuta regularium non ita rigorose interpretentur, vt apices iuris seruentur, sed ampliari debent ex bono & æquo. Hoc est secundũ naturalẽ æquitatem, non ad libitum, sed secundũ terminos iuris; vt ait Bald. *in rub. C. de constit. pecu.* quod humanæ æquitates in se vim statuti minimè habent; nisi aliquo statuto & consuetudine legitimè præscripta sint munitæ, & sic (ait) debent interpretari, quæ ad regulares pertinent, non secundũ apices iuris, sed ex bono, & æquo secundum terminos iuris naturalis & gentium, & non ad libitum cuiusque.

CAPVT III.

De cessatione priuilegij.

SVMMARIVM.

An gratia vel priuilegium spiret morte concedentis? n. 1.
*An licentia delegata audiendi confessiones spiret mortuo vel amoto delegante? n.*2.

DVBIVM I.

An gratia vel Priuilegiũ cõcessum cesset morte concedẽtis.

Not. quod gratia, aut Priuilegium dupliciter conceditur. *Primo*, absolutè. *Secundo*, cum limitatione, vtpote ad beneplacitum concedentis, aut eius dignitatis, vel donec illud reuocet. Item, Priuilegium aut gratia, alia dicitur facta, quæ scilicet perfectè conceditur ei in cuius gratiam datur, & independenter ab eo cui facienda committitur; alia dicitur gratia facienda, quando non conceditur absolutè ei in cuius fauorem datur; sed dependenter ab alio cui facienda committitur; vt si in fauorem certæ personæ, cum qua dispensandum est, committitur alicui potestas dispensandi cum illa.

1. Concl. Gratia concessa cum limitatione, vtpote ad beneplacitũ personæ concedentis, eius amotione spirat; quia voluntas personæ morte petit, & cõsequenter peribit gratia cõcessa, dum ea voluntas durauerit; sicut etiã priuilegiũ concessum pro certo tempore, cessat elapso tali tempore; & priuilegium concessum ex certa causa, cessat cessante causa, iuxta c. *Suggestum de decimis:* vbi habetur quod Priuilegium concessum de decimis non soluendis certis monachis cessauit, ex eo quod postea creuerũt monasteria illius ordinis; & concessum fuit ex eo, quod cũ à principio essent pauca monasteria illius ordinis, paruum præiudicium sequebatur, his quibus de iure competebant. *Ita Panor. cum communi in c. cum accessissent.*

2. Concl. Gratia concessa etiam cum limitatione, sed ad beneplacitum sedis, vel dignitatis, scilicet perpetuæ & habentis successorem, non spirat morte concedentis; quia cum

cum dignitas sit perpetua, eadem reputatur in successore; & sic idem erit de gratia ad eius beneplacitum concessa; *Ita in c. si gratiose. de rescrip. in 6. de quo Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 28 num. 49. & 59. io. 3.*

3. Conclusio. Gratia absolutè concessa, si est gratia facta, non spirat morte concedentis, etiam re integra, si tamen sit gratia facienda, perit morte concedētis re integrá. Secus si res non esset integra, patet ex c. *si cui nulla, de preben. in 6.* Vbi habetur, facultatem alicui concessam concedendi beneficia, non spirare obitu concedentis, etiam re integra; secus si detur potestas conferendi personis expressis, non in gratiam & fauorem conferentis, sed eorum quibus beneficia conferenda sunt, ea enim facultas spirabit morte concedentis re integra; & glo. dat rationem ex textu deductam; quia in primo casu erat gratia facta & omnino perfecta, nullusque executione egens respectu eius in cuius fauorem concessa est, scilicet respectu collaturi beneficia; at in secundo casu non erat gratia facta, sed facienda. Mandabatur enim fieri in cuius fauorem conceditur; & sic habet vim commissionis & mandati, quod perit morte mandantis re integra. *Ita colligitur glo. Anchà. Bald. & alij quos refert & sequitur Sanchez n. 64. Rosc. & Silu. ver. gratia, & Nau. in manu. cap. 27. num. 253.* & intelligitur *primò* nisi sit gratia facienda sub nomine dignitatis concedentis, vel ad beneplacitum sedis; tunc enim non perit morte concedentis, etiam re integra, cum sedes illa non moriatur. *Secundò*, nisi potestas executoris, cui est facta commissio, sit accessoria gratiæ iam factæ; tunc non spirat morte concedentis re integra; sed sequitur naturam principalis gratiæ. Ita in c. *super gratia, de officio deleg. in 6.* de potestate data executori ad exequendam gratiam à Sede Apostolica concessam; & datur ibi dicta ratio; & idem est de executore gratiæ ab alijs inferioribus concessæ; cum sit eadem ratio. *Tertiò* intelligitur, licet gratia facta tempore mortis concedentis non esset acceptata ab eo cui est facta, non spirat. *Sic Doctores quos refert, & sequitur Sanchez, num. 43.*

Ex dictis sequitur primo, licentiam delegatam audiendi confessiones non spirare mortuo, vel amoto delegante. *Ita Frede. Ioan. Andre Panorm. & alij quos refert & sequitur Sanchez nu. 80. Anch. Rose. Sil. Armi. Tabie. ver. gratia, & Nau. lib. 5. consi. 1. de priuil.* quia licet ista licentia sit data in fauorem pœnitentium, cum non concedatur in fauorem perso-

personæ determinatæ, aut ad eius petitionem, reputatur potius gratia facta ipsis sacerdotibus, & in fauorem eorum: Et sic statim ac illis conceditur est perfectè concessa; & à nullius executione dependens; & hac ratione potestas dispensandi cum personis incertis, non spirat morte concedentis: quia cum in gratiam dispensaturi sit concessa, est gratia facta, vt in simili casu de potestate conferendi beneficia personis incertis dicitur in c. *si cui nulla de praben. in* 6. Patet etiam ex vsu: mortuo enim Episcopo confessores ab eo expositi, audiunt confessiones, sicut antea, donec licentiæ à successore, vel capitulo reuocentur.

Si arguitur: Iurisdictio contentiosa cessat morte delegantis re integra: quia delegatus non habet illam iure proprio, ac in se radicatam, ante eius vsum; sed ea est in delegante & censetur vna & eadē cum delegantis potestate quæ cū eius morte spirat, sed idem est in nostro casu, quando tali potestate vti nō ceperat: ergo. *Confir*. Licet iurisdictio Vicarij sit ordinaria, spirat morte Episcopi, ex eo quod ab eo est participata, ergo à fortiori iurisdictio confessorum, cum sint quasi Vicarij Episcopi *Ad argum. resp*. illam non esse rationem adæquatam, sed supposita dispositione iuris statuentis iurisdictionem delegatam contentiosam spirare morte concedentis re integra; Doctores tradunt illam cōgruentiæ rationem, quæ non est applicanda his, in quibus est contraria iuris dispositio; vt contingit in gratijs iam factis, inter quas computatur licentia audiendi confessiones. *Secundo resp*. quod cum istæ gratiæ à tempore concessionis sint iam omnino factæ, transferunt ex tunc efficaciter potestatem in delegatum. *Ad confir. resp*. Episc. & eius Vic constituere vnum & idem tribunal; & ita re etiam non integra perire potestatem Vicarij cum morte Episcopi.

Si arguitur secundo, quòd cap. *super gratiam, de offi. dele. in 6. & c. si cui nulla, de prab. in* 6 agunt de gratijs à Papa concessis; qui ob supremam potestatem potest priuilegia perpetua concedere; non sic autem Episcopus vel alius. Ob hoc, tenet oppositum Palud. *in 4. d 17. q. 4. ar. vlt. D. Anton. 3. p. ti. 17 cap. 9. Naua. in su. Hispana, c. 27 n. 264*. solum excipit quando nomine dignitatis delegantis concessa esset. *Sed ad hoc respondetur*, idem esse de gratijs concessis à Papæ inferioribus: nec dicti textus innituntur supremæ potestati Papæ, sed eo quod illæ gratiæ factæ iam sunt, quæ non pereunt morte concedentis: vt enim colligitur ex cap *si cui nulla, de prab.*

prab. gratia absolute, & sine temporis limitatione concessa, non spirat morte concedentis re integra: si tamen sit gratia facienda, perit morte concedentis re integra: secus si res non esset integra; quæ verificantur de licentijs Episcopi pro audiendis confessionibus, cum in eo gratias factas computentur: eo idem est de licentia data alicui absoluendi à reseruatis: *Ita Sa. ver. gratia, & Suarez de pœnit. disp. 26. sect. 3. num. 9.*

Secundo sequitur, licentiam datam sacerdoti audiendi confessionem pęnitentis determinati, & in illius fauorem, spirare morte concedentis re integra, hoc est, quoad confessionem nondum ante mortem inceptam: quia cum ista gratia sit concessa in istius pęnitent s fauorem, & nondum perfecta, sed per confessorem exequenda, non habet rationem gratiæ factæ, sed gratiæ faciendæ: quæ morte concedentis re integra spirat.

An vero licentia data à Pralato, vel à valente eam iure ordinario concedere, alicui eligendi confessorem, spiret morte concedentis In hoc Panor. Ange. Silu. Cord. Feli. & alij citati à Sanchez tenent quod sic: at Sanchez nu. 74. & 75. tenet non spirare morte concedentis, etiam re integra. Quia (ait) ista facultas non tanquam delegatio, sed tanquam gratia facta reputatur, vt etiam contrarij fatentur; alias, etiamsi esset à Papa concessa, periret; & patet, quia in hoc casu non datur directè facultas confessori, sed pęnitenti, & consequenter confessori electo indirectè; & sic statim ac conceditur, censetur gratia absoluta & perfectè facta respectu pęnitentis cui conceditur. 3

Si arguitur: Iurisdictio non datur sacerdoti eligendo quousque actu eligatur; at quando eligitur, non potest ei dari iurisdictio ab Episcopo mortuo, nec à pęnitente, qui solet esse laicus, ergo. *Ad hoc resp* quod datur à concedente licentiam, cuius virtus moraliter manet in priuilegio, vel gratia ita concessis; quia concedens istam facultatem ex tunc transfert iurisdictionem in alium quantum est ex efficacia voluntatis quam tunc habet, quæ dum non retractatur à concedente, vel successore, sat est absque noua voluntate, & sola applicatio quasi materialis ad talem personam deest, quæ sufficienter fieri potest virtute priuilegij permanentis. *Ista est sententia Nau. in cap. placuit num. 162. de pœni. d. 6. Man. Rod. in qq reg. tom 2. q. 46. a. 8. Enr. lib. 7 de indul. c. 22. n 9. Suarez de pœnit. disput. 27. sect. 4. numer. 8. & 9. Sa. ver.*

gratia,

gratia, num.4. et alij quos refert Sanch. loc.cit.

Tertiò sequitur, licentiam celebrandi in priuato oratorio concessam ab Episcopo non spirare eius morte; cum sit gratia facta. *Ita Nau. ex decis. Rota. in c. placuit. n. 163. de pœni. d. 6.* & idem est de licentia faciendi alias vetita; vt comedendi carnes, non ieiunandi, aut prædicandi. Istæ enim sunt gratiæ factæ. *Ita Nau. lib. 5. cons. 6. de priui.* Item non spirat facultas dispensandi cum personis incertis & indeterminatis; quia cum in gratiam dispensaturi sit concessa, censetur gratia facta, vt in simili de potestate conferendi beneficia personis incertis statuitur in ca. *si cui nulla, de præb. in 6.* cum enim hæc non sit potestas ad iurisdictionem contentiosam exercendam, numeratur inter gratias factas. *Ita Fred. Ioan. And. Panor. Feli. et alij quos refert et sequitur Sanch. n. 80. Ange. Ros. Sil. Armi. Tabie. ver. gra. et Nau. in Man. c. 27. n. 253.* Idem etiam dicendum de licentia testandi concessa Episcopo monacho, est enim gratia facta. *Ita Cou. Nau. Enri. Gutie. et alij quos refert et sequitur Sanch. n. 82.* & ob eandem rationem, idem dic de dimissorijs ad ordines concessis ab Episcopo, capitulo, vel Prælatis religionum. *Ita Doctores cit. et Led. c. 8. de ordi.* Item, licentiæ ad omnia concessæ à quouis superiore absolute, & non ad certum vsum temporaneum, vel ad certum tempus, sunt perpetuæ dum à concedente successore vel superiore non reuocantur, cum sint gratiæ factæ. *Ita Panor. Card. et alij quos refert et sequitur Sanch. n. 85.*

Et intellige prædicta stando in iure communi, & seclusis peculiaribus statutis alicuius status, aut religionis, quæ semper erunt seruanda, sicut in religione Seraphica inter acta c. generalis Toleti celebrati an. 1583. c. 6. §. *de casibus reseruatis*, habetur, quod gratia alicui à Generali, vel Prouinciali concessa pro absoluendo à casibus reseruatis, non spirat mortuo concedente, si alius eius loco non sit electus: itaque secundum hoc quando alius concedentis loco sit electus, spirat.

DVBIVM II.

4 *An priuilegium cesset per non vsum.*

1. Concl. Priuilegium concessum Ecclesiæ, cessat per non vsum quadraginta annorum, secundum *Innoc. 3 in ca. accedentibus, de priui.* Et contra Ecclesiam Romanam est necessaria præscriptio, seu non vsus centum annorum.

2. Conc. Contra monasteria, loca, personas, vel alia bona reli-

religioforum, non currit præscriptio non vsus nisi post 60. annos. Ita concessit Benedictinis *Eug. IV. Bul. 7. imo Bul. 17.* concedit Benedictinis Romæ, quod sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currat præscriptio. Ita dicto monasterio minoris temporis præscriptio non obstat. Et iam hoc priuilegium est ad totum ordinem extensum, ac alijs ordinibus communicatum, iuxta dicenda ca. 4.

3. Conc. Priuilegium concessum personæ priuatæ, cessat per non vsum decem annorum: *iuxta l. 1. de nundinis, & Bald. in l. omnes populi. ff. de iurisd. Armi. ver. priuileg.* & idem tenet Bart. cum communi, de priuilegio concesso communitati, in cap. *cum accessissent*, secluso scilicet priuilegio circa hoc stando in iure communi.

4. Conclu. Vt currat dicta præscriptio, requiritur *Primo*, quod habeatur notitia talis priuilegij, & voluntas non vtendi illo. *Secundo*, quod occurrat casus de quo loquitur priuilegium infra tempus talis præscriptionis: alias si non occurrat, non amittitur priuilegium.

5. Conclus. Non potest Prouincialis renuntiare priuilegio concesso. *Ita Sil. & Armi. ver. exemptio*; & patet ex cap. *cum tempore, de arbi.* vbi dicitur, exemptũ non posse renuntiare, quando scilicet cedit, non tantum in suum fauorem, sed etiam in fauorem aliorum; & constit. ordinis Prædicatorum d. 1. c. 18. imponitur pęna grauioris culpæ renuntianti alicui priuilegio ordini concesso, sine assensu capituli generalis; & ibi dicitur, quod renuntiatio sine tali licentia facta est nulla.

6. Conc. Quãdo Papa cõfirmat aliqua priuilegia hoc tenore, scilicet, *quatenus sunt in vsu*, hoc est, quæ adhuc sunt in vsu, per ista verba fit, quod si sint aliqui anni transacti pro pręscriptione cõtra talia priuilegia, incipiant de nouo priuilegia ex instãti talis cõfirmationis; ac si tũc de nouo cõcederentur, & sic anni trãsacti nil deseruiũt præscriptioni. *Ita Cord. in add. ad comp. ti absolutio, quo ad seculares, 2. vers. quod d. §. 15.* Itẽ si in cõfirmatione priuilegiorũ addantur ista verba, scilicet, *de nouo concedimus*; intelligitur de priuilegijs alias non reuocatis; Ita declarat Iul. II. Bul. 9. nisi alias addãtur ista verba, scil. *nõ obstãtibus reuocationibus Apostolicis*: tũc enim per ista verba viuificãtur & de nouo cõcedũtur, etiã priuilegia reuocata. *Ita Cord. et Panor. in c. cũ super. de can. pos. et propr. et Ros. tit. absolutio* 1. §. 121. 122. & multi Doctores Salmantini ita determinarunt, *vt testatur Rodrig. in quæstionibus regul.*

regul.tom.1.q.8.art 2. alias illa verba, *non obstantibus reuocationibus Apostolicis, &c.* nil operarentur: cum tamen verba posita in litteris Apostolicis, aliquid debeant operari.

DVBIVM III.

An priuilegium cesset per vsum contrarium.

5

1\. Conclusio. Stando in iure communi priuilegium cessat vnico actu contrario directè facto ab habente potestatem renuntiandi priuilegio; sic enim censetur ille renuntiare, nisi alias fiat protestatio in contrarium, iuxta doctrinam Bartol. communiter receptam, in le.1.C.de his qui spon. Et intelligitur conclusio, *Primo*, de priuilegio habente actum momentaneum, sicut in casu cap. *cum accessissent, de const.* Si n. alicui Ecclesiæ conceditur, non habere primicerium, & canonici contraueniunt huic priuilegio, eligendo etiam semel primicerium, amittitur illud priuilegium. Non tamen intelligitur conclusio de priuilegio habente actum successiuum; vt si conceditur alicui priuilegium non soluendi decimas, aut alia tributa, semel illa soluendo, etiam sine protestatione, non amittitur priuilegium. *Ita Bart. in l.fin. infra de constit principum, & Alexand.cons* 193. *qui citat Bosium in pract crim. ti.de princ.& priu.n.*320. Vbi etiam aduertit, quod siue priuilegium consistat in faciendo, siue in non faciendo, non amittitur quando potest capi alia coniectura, quam coniectura renuntiationis priuileg.j, secundum glo. communiter receptā in c. *cum illorum de preb. Secundo,* intelligitur conclusio de priuilegio concesso personæ priuatæ, non de concesso communitati, aut Ecclesiæ. *Ita Armi.verb priuileg. ex gl. in c. cum accessissent. Et si obijcias* quòd decisio istius cap. *cum accessissent,* procedit de priuilegio non eligendi primicerium concesso canonicis Ecclesiæ Tulingensis; quod tamen ibi decernitur amitti per vnam contrauentionem; *Ad hoc respondetur,* quod hoc priuilegium non est datum fauore Ecclesiæ, sed fauore & intuitu personarum, & sic amittitur vna contrauentione. Ita habetur ibi in glo.

2\. Conclusio. Priuilegia religiosorum non amittuntur per vnam, aut plures contrauentiones. Ita concessit Benedictinis *Eug.4.Bul.9.*& Celestinis *Bul.11,*

DV-

DVBIVM IV.

An priuilegia cessent per reuocationem.

1. Conclusio affirmatiua & omnibus certa. *Nota* tamen, quod quando gratia seu priuilegium concessum reuocatur, non spirat ante certificationem de reuocatione; nisi quando Papa velit expresse statim non valere. *Ita Siluester ver. gratia, & Gemini, ca. 1. de concessione praeben. in 6. & iuxta dicta cap. 1. dub. 3. Secundo not.* quod gratia iam facta, seu dispensatio, aut priuilegium non tollitur per legem contrariam sequentem; etiamsi effectus pendeat à futuro euentu, sicut forma data pro testamentis faciendis non comprehendit testamenta iam facta, licet nondum sint sortita effectum. Praeterita enim perfecte acta non tolluntur per dispositionem sequentem, etiamsi effectus eorum pendeat à futuro euentu. *Ita Naua. lib. 4. cons. 1. ti. qui filij sunt legi. cum Panor. Imola Feli. & Bart.*

2. Concl. Priuilegia regularium non reuocantur per generalem reuocationem omnium priuilegiorum; quia cum ista ob merita concedantur, non reuocantur, licet in reuocationibus verba generalia & geminata ponantur. *Ita Mando. in regula Cance. 3. q 8. nu. 6.* Secundo *Leo* 10. inter viua ora n. 19. concessit Minoribus die 15 April. anni 1516. quod per reuocationem omnium priuilegiorum etiam mendicantium, non intelligantur reuocata, vel suspensa priuilegia, indulta, vel gratiae Minorum; nisi de illis fiat expressa mentio specificè & nominatim, & ista cõcessio saltem quoad illa verba, *specificè, & nominatim*, tantum verificatur respectu reuocationũ priuilegiorum mendicantium ab eodem *Leone* promulgatarum, non respectu Pontificum successorum; iuxta modo dicenda.

3. Conclusio. Ad hoc quod regularium priuilegia reuocentur, non est necesse, quod illorum fiat expressa mentio de verbo ad verbum, licet hoc in eorum concessionibus aliquando postuletur. Sat est enim quod eorum fiat mentio sub quauis forma generali; & iste est stylus Curiae, nec in vllis fere reuocationibus priores litterae inseruntur. Nisi forte aliquando ad abundantiorem cautelam: alias si hoc esset necessarium, manus Pontificum essent ligatae ad reuocandum concessa à suis praedecessoribus; cum sit moraliter impossibile omnia scire;

ad

ad hoc, quod in litteris reuocatorijs priores literæ inserantur. Ita Armi. ver. priuilegium. Et idem ait de testamentis reuocantibus aliqua ex prioribus testamentis.

DVBIVM III.

7 *An priuilegia regularium reuocata à Leone X. sint postea reualidata.*

1. Conclusio. *Leo X.* in Con Latera. anno 1516. die 19. Decemb. (*& refertur à Rod. in compen. Bul. 45. inter Bullas Leonis.*) reuocat aliqua priuilegia regularibus antea concessa.

Primò, Alex. 4. Bul. 25. concesserat, quod pacta & conuentiones factæ in præiudicium ordinum & suorum priuilegiorum, cum Prælatis, Rectoribus & clericis Ecclesiarum, aut cum alijs: sint irritæ sine licentia Generalis vel Prouincialis factæ; aut nisi acceptentur à Generali, aut à capitulo generali. Ita etiam concessit *Honorius 4. Bul. 1.* & licet hoc sit postea reuocatum *à Bonif.* 8. tamen post hæc *Iul. 2. Bul 26.* declarat nullas esse transactiones & concordias super funeralibus & quartis, etiam si fiant cum licentia Prouincialis, vel Vicarij generalis, sine consensu generalis, vel capituli generalis, aut sine confirmatione eorumdem. Sed in Bul. 45. prædicta *Leo* 10. statuitur, pacta & conuentiones factas inter Curias & Prælatos & regulares valere: nisi per sequens capitulum generale, vel prouinciale refutentur, & talis refutatio sit debito tempore intimata.

Secundò, statuitur Presbyteros seculares posse in Ecclesijs regularium deuotionis causa celebrare, & quod regulares libenter eos recipiant.

Tertiò, quod religiosi non intrent processionaliter cum Cruce in alienas parochias ad leuanda corpora defunctorum in suis domibus sepelienda: nisi vbi de hoc sit consuetudo, vel nisi clerici requisiti ad deferendum corpus id facere recusent, vt etiam concesserat *Sixt. 4.* inter viua orac.

Quartò, quod non possint religiosi absoluere laicos & clericos à sententijs ab homine latis: sed de hoc c. 7. d. 1.

Quintò, quod religiosi ordinandi posint per ordinarios examinari, & per eosdem si competenter respondeant libere admitti, ac in eorum domibus ab alio, quam à diœcesano Episcopo, (nisi ipso, aut eius Vicario super hoc cum debita

instantia

instantia requisito, & sine causa rationabili contradicente, vel eo à diœcesi absente) ad dictos ordines promoueantur, sed de hoc c.8.dub 1.

Sextò, quod Ecclesiæ, aut altaria religiosorum consecrentur & benedicantur ab Episcopo diœcesano: nisi bis, vel ter requisitus cum debita reuerentia, & instantia venire recuset: & sic manet reuocata Bul.1.*Vrba*.2.& Bu.5. *Innocen.* 8. concessa Abbati Cisterc. & communicata à *Greg.* 14. Bu. 3. alijs Abbatibus dicti ordinis, quibus poterant prælati regulares Ecclesiam, altaria, etiam de nouo constructa, translata, restaurata, aut mutata chrismate sacto ab aliquo antistite Catholico recepto consecrare: de quo cap.5.dub.9.

Septimò, quod non possint religiosi sine consensu curatorum sponsos benedicere.

Octauò, quod religiosi sub pœna centum ducatorum, non pulsent campanas in Sabbato sancto: antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsetur: & nomine Matricis Ecclesiæ, intelligitur Ecclesia Cathedralis, vt habetur in ca. *venerabilis de verb signifi.*

Nonò, quod religiosi moneant seculares, vt soluãt decimas.

Decimò, quod conseruatores religiosorum sint in dignitate Ecclesiastica constituti, nec vllum reum trahant vltra duas dietas à loco suæ solitæ habitationis, sed de hoc dicemus, c. 10.dub.1.& 3.

Vndecimo, quod excommunicati ob aliquod interesse, Ordinem Mendicantium intrare volentes, non possint absolui, nisi præuia satisfactione; procuratores etiam, operarij, & famuli religiosorum subsint sententijs excommunicationis Episcoporum, sed de hoc ca.5.dub.4

Duodecimo, quod fratres & sorores tertij Ordinis, mantellati, corregiati, pinchochere Cordelati, & alij quouis nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes; non gaudeant priuilegijs collegialiter viuentium, & castitatem vouentium. Et post hæc idem *Leo X.Bu.*44. apud Manu. Rod. quæ est posterior quam dicta bulla 45. vt patet ex eorum datis, ista declarat sic, quod dicti fratres & sorores, licet possint eligere sepulturam vbi velint, tenentur tamen Eucharistiam in Paschate, extremam Vnctionem, ac alia sacramenta præter pœnitentiam, à proprio sacerdotio recipere. Et tenentur ad alia onera laicorum, nec sunt admittendi ad diuina, quando interdicto causam, vel dantibus causam, dede-

runt auxilium, consilium, aut fauorem: ac collegialiter viuentes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto etiam simplici, vt ibi declaratur, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs quibus fratres ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debent; prout in Conc. Late. continetur, etiamsi habitent in proprijs, vel consanguineorum domibus.

Vltimò, in dicta Bul. 44. statuuntur alia quæ postea in Concil. Trid. iterum renouantur: vt dicemus dub. 6. *Primo*, quod Episcopi possunt visitare Ecclesias parochiales monasterijs vnitas. *Secundò*, quod religiosi à Prælatis requisiti vadant ad processiones solemnes. *Tertiò*, qualiter religiosi debeant ordinarijs præsentari, pro confessionibus sæcularium audiendis. *Quarto*, quod suis tantum famulis dum durant in eorum obsequio (cum limitatione dicenda dub. 6.) possunt viaticum, pœnitentiam, extremam vnctionem ministrare. *Quinto*, quod teneantur publicare & seruare in suis Ecclesijs, censuras ab ordinario in eius Ecclesijs promulgatas; quando ab eisdem ordinarijs sint requisiti. Prædicta omnia statuuntur in dicta
8 Bulla reuocando contraria priuilegia religiosorum. *Et de istis dubitatur, an adhuc modo sint reuocata:* & non procedit dubium de modo numeratis in Conc. Trid. reuocatis: de his enim, ac de alijs ibi reuocatis dicetur dubio sequenti, sed de solis reuocatis, aut moderatis in dicta Bulla 45.

2. Conclusio. Aliqua ex priuilegijs in dicta Bulla reuocatis sunt postea à Pontificibus successoribus iterum religionibus concessa in toto, vel in parte, vt notabimus in suis locis.

3. Conclusio. Probabilissimum puto esse iam reualidata priuilegia *à Leone X. in Bulla 45.* prædicta reuocata: & ad hoc moueor non propter rationes Man. Rod. quibus in qq. reg. to. 1. q. 8. tenet & probat istam sententiam, sed ex eo, quod multi Pontifices post *Leonem* diuersorum ordinum priuilegia confirmarunt, excipiendo tantum quæ per non vsum sunt reuocata, & quæ sunt contraria decretis Conc. Trid. ac sacris Canonibus, eiusdem scilicet Concil. Trid. cum in illo decreta & canones contineantur. Sic confirmat *Greg. 13. Bul. 1.* priuilegia Minorum. Eodem etiam tenore confirmat idem *Greg. Bul* 20. priuilegia Cistercienſium; & Bul. 13. priuilegia sancti Hieronymi, Iesuatarum; & Bulla 14. priuilegia Militiæ sancti Ioannis; & Bul, 15. priuilegia Præmonstratensium; &

sic

sic de alijs;& excipiendo tantum quæ non sunt in vsu & quæ sunt tantum contra Concil. Trident. firmat magis nostram conclusionem. Nec valet dicere, quod dicta priuilegia erant reuocata saltem per non vsum: quia ad istam reuocationem per non vsum, vt constat ex dubio tertio, est necessarius non vsus centum annorum; quos certum est, non transisse à reuocatione Leonis vsque ad primam confirmationem dictorum priuilegiorum; imo nec sexaginta. Item, per hoc quod Conc. Trid. reuocat aliqua ex priuilegijs reuocatis in dicta Bulla *Leo.X.* virtualiter insinuat, & vult alia non esse reuocata, sed in suo robore permanere, sicut ex eo, quod apponendo *Pius V.* in suo proprio motu de censibus aliquas conditiones ex appositis *à Martino V. & Calisto 3.* in suis decretis de censibus & omittendo alias, colligunt Theologi istas conditiones omissas à Pio V. non esse iam necessarias pro censibus.

Tandem ista conclusio efficacius comprobatur, tum ex quadam Bulla *Paul. V.* quæ incipit; *Ad perpetuam rei memoriam*, data Romæ, 1. die Decemb. Anni 1609. vbi confir. mat & innouat, tam pro foro conscientiæ, quam pro foro externo, omnes gratias, indulgentias, priuilegia, &c. Minoribus etiam per communicationem cum alijs ordinibus concessa: ac etiam à *Clem.* 8. ex certa scientia antea confirmata, non excipiendo priuilegia, quæ non sunt in vsu, sed illa tantum quæ aduersantur decretis Concil. Trident. & saluis etiam decretis ab eodem Clem 8. concessis in fauorem Fratrum Reformatorum. Tum etiam adhuc fortius ostenditur conclusio ex quibusdam litteris monitorialibus Auditoris Cameræ Apostolicæ, ad fauorem & pro manutentione priuilegiorum ordinis Prædicatorum, incipientibus: *Ioannes Dominicus Spinula*, datis Romæ die 12. Oct. anni 1612. Vbi fidem facit *Paulum* 5. ad instantiam procuratoris generalis dicti ordinis manutenere, & velle in suo robore manere omnia Priuilegia, quomodolibet à prædecessoribus etiam per viam communicationis dicto ordini concessa; & præcipit ordinarijs, & omnibus alijs sub grauissimis censuris, excommunicatione, suspensione, &c. ne eos impediant quo minùs eisdem priuilegijs, gratijs, immunitatibus & exceptionibus vti valeant: & signanter manutenet priuilegium *Iulij*, die decima *Iulij* an. 1551. in quo amplissimam facit cõmunicationẽ ordini Prædicatorũ priuilegiorũ omniũ ordinum. Et specialiter communicat dicto ordini, omnia priuilegia con-

gregationi Sanct. Mariæ Fulienſis conceſſa, in quibus inter alia ab ordinario eximuntur, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubduntur, & à decimatum talium & exactionum aliarum ſolutione liberãtur. Item tollitur ab omnibus facultas interpretandi illorum priuilegia, & ſoli Papę iſtorum interpretatio reſeruatur. Deinde præcipitur ne quis per ſe, vel per alios audeat iſtos Religioſos, Conuentus, Eccleſias, domos contra formam dictarũ literarum Apoſtolicarum moleſtare, vexare, vel perturbare, aut in eos aliquam iuriſdictionẽ vllo prætextu exercere, viſitare, punire, corrigere, ſeu emendare aut de reditibus & bonis Conuentus Fratrũ & Monialium, aut receptis, & expoſitis eorumdẽ aliquam exigere rationem, &c. Hæc & alia communicat *Pau. 5.* in iſta bulla Ordini Prædicatorũ; & tam iſta quam omnia alia ab alijs Pontificibus conceſſa, ſine exceptione aliqua vult in ſuo robore permanere. *Vbi nota* quòd licèt in hac bulla, ſicut nec in Bul. 26. Greg. 13. vbi priuilegia Societ. Ieſu confirmãtur, non excipiantur priuilegia contraria Conc. Trid. tamen ex ſtylo Curiæ Romanæ ſępet iſta priuilegia intelliguntur excepta; vt teſtantur Naua, & alij curiales.

DVBIVM VI.

9 ***An priuilegia Regularium à Conc. Triden. reuocata adhuc ſint etiam pro foro conſcientia reuocata.***

1. Concl. In Concil. Trid. multa decreta ſtatuuntur, expreſsè reuocando priuilegia regularium contraria dictis decretis. *Primo*, in ſe. 5. c. 2. de ref. præcipitur religioſis ne prædicent, etiam in ſuis Eccleſijs, ſine ſuorũ Superiorum approbatione, & cum iſta approbatione Epiſcopo ſe præſentent, & ab eo benedictionem petant. Et quòd in Eccleſijs quæ non ſunt ſuorum ordinum, non prædicent ſine Epiſcopi licentia, nec in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicent contradicente Epiſcopo; ſed de hoc dixi lib. 1. c. 7. du. 2. *Secundo* ibidem dicitur, quod ſi Prædicator quis errores. vel ſcandala diſſeminet, etiã in ſuo monaſterio, Epiſcopus ei prædicationem interdicat; & ſi hæreſes prædicet, ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſtitutionem procedat, licèt Prædicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio, exemptum ſe eſſe prætendat.

Tertio, in ſ. 14. c. 11 dicitur, quod nullus ſuperior regularium, etiam vigore cuiuſuis facultatis, religioſum alterius Ordinis

dinis ad habitum, vel promissionem admittat; nisi in ordine ad quem transfertur sub obedientia Superioris in claustro perpetuo viuat. Et sic translatus etiamsi sit canonicus regularis, ad beneficia etiam curata incapax existat.

Quarto in se. 22. decreto de obserua. in Missa præcipitur Episcopis; vel alijs ordinarijs, ne patiantur Missam celebrari, etiam à regularibus in domibus priuatis; atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda. sed de hoc dicitur c. 5. dub. 7.

Quintò, in se. 23. c. 10. dicitur quod non liceat abbatibus, aut alijs quantumuis exemptis infra fines alterius diœcesis, vel subditis alterius, sed tantum suis regularibus tonsuram, & Ordines Minores conferre.

Sexto, ibi cap. 12. dicitur, quod nullus ad subdiaconatum ante vigesimum secundum ætatis annum, nec ad diaconatum ante 23. nec ad Presbyteratum ante 25. promoueatur; etiam si sint regulares; nec sine diligenti examine ordinentur isti, non obstante quouis priuilegio.

Septimo, ibi c. 13. dicitur quod nemini etiam regulari, duo sacri ordines eodem die conferantur.

Octauo, ibi c. 15, dicitur quod nullus etiam regularis audiat confessiones sæcularium etiam sacerdotum; nisi sit parochus; vel ab Episcopo per examen si ei videatur, vel alias idoneus iudicetur. Et approbationem quæ gratis detur obtineat; & in omnibus prædictis expresè reuocantur regularium priuilegia, vt ibi patet.

Nono in se. 25. multa præcipiuntur regularibus reuocando eorum priuilegia in contrarium. *Primo*, in 2. dicitur quod religiosi non habeant bona immobilia; imò nec mobilia, vt propria, vel nomine conuentus, sed conuentui incorporentur, & superiori tradantur, sed de hoc dixi lib. 1. c. 3. dub. 2. *Secundo*, in c. 3. præcipitur, quod non fundentur Conuentus sine Episcopi licentia obtenta, sed de hoc c. 9 dub 1. *Tertio*, in c. 5. vetatur egressus Monialium à Conuentu, & ingressus ad eas, de quo dixi, l. 1. c. 5. dub. 2. & 2. *Quarto*, in c. 6. ponitur modus seruandus in electionibus, scilicet per vota secreta; & nō supplendo absentium voces. *Quinto*, in c. 7. ponitur modus seruādus in electione prælatæ Monialiū, scilicet quod eligatur non minor annis quadraginta; & quæ octo annis post professionē expressam laudabiliter vixerit; & si nulla talis in Conuentu re-

peritur, ex alio Conuentu eiusdem ordinis eligi potest. Et si hoc incommodum præsidenti electioni videatur, ex his quæ ibi annum trigesimum excesserint, & quinque saltē annis post professionem rectè vixerint; Episcopo, vel alio, superiore scilicet monialiũ consentiente eligatur; & quod præsidens electioni, claustra monasterij non intret, sed ante cancellorũ fenestellam vota singularium audiat, vel accipiat; sed de hoc dixi l.1.c.5.dub.1. *Sexto*, in c.10. dicitur, quod Eucharistia intra chorum, vel intra septa monasterij monialium, & non in publica Ecclesia minime seruetur, non obstante quouis priuilegio. *Septimo* in c.11. dicitur, quod in monasterijs habentibus curam animarum, præter eas quæ sunt de eorum familia, regulares & sæculares istam curam exercentes subsint immediate in pertinentibus ad istam curam & sacramentorum administrationem, iurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi in cuius diœcesi sunt sita; nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputentur, nisi de consensu Episcopi & præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo: excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus; & exceptis monasterijs in quibus capita ordinum sedem ordinariam principalem habent; & exceptis monasterijs vbi Prælati regulares Episcopalem & tēporalem iurisdictionem in parochos, ac parochianos exercent; saluo tamen Episcoporum iure, qui maiorem in dicta loca, vel personas exercent iurisdictionem. *Vbi not.* 1. non posse Episcopos visitare sacristias, paramenta, vasa sacra, altaria, Eucharistiam in Ecclesijs regularium, quibus non incumbit cura animarum sæcularium. Ita declarauit Congregatio Cardi. in tempore *Clem.* 8. vt refert Rod. in compendio. *Secundo not.* quod religiosi & Vicarij etiam sæculares Ecclesiarum monasterijs vnitarum, in vacatione istarum Ecclesiarum non sint vocandi ad concursum per edicta iuxta Concil. Trid. sed præsentati à Prælatis religiosorum approbentur ab ordinarij. Ita concedit *Sixtus* 5 *bu.*22 & *in bu.*24. concedit, quod isti Vicarij, seu parochi sint ad nutum amouibiles per monachos, & taxato eis seruientibus salario decenti, reliqui fructus monasterio cedant. *Octauo*, in cap. 12. dicitur quod censuræ & interdicta etiam ordinariorum mandante Episcopo, à regularibus in eorum Ecclesijs & publicentur & seruentur, & dies festi ab Episcopo præcepti seruentur, etiam à regularibus. *Nono*, in cap. 13. dicitur, quod Episcopus amota omni appellatione componat regularium controuersias,

etiam

etiam circa præcedentiam in processionibus exortas, & quod exempti omnes, tam clerici sæculares, quam regulares & monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur: his tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo viuunt: & exceptis etiam illis qui distant à ciuitate per dimidium milliare, vt declarauit Congregatio Card. in tempore Clem. 8. vt refert Manu. Rod. in compendio.

Decimo, in c. 14. dicitur, quod regulares extra claustra monasterij ita notorie delinquentes, quod populum scandalizēt, instante Episcopo à superiore intra tempus ab Episcopo taxatum seuerè puniantur; ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus à suo superiore ab officio priuetur, & reus ab Episcopo puniri possit.

Vndecimo, in cap. 15. dicitur, quod professio regularium vtriusque sexus non fiat ante decimum sextum annum expletum: & nisi habitu suscepto per annum in probatione steterint alias professio sit nulla.

Duodecimo, dicitur in c. 16. quod renuntiatio nouitij vt valeat, fiat de licentia Episcopi, aut eius Vicarij: & infra duos menses proximos ante professionem; ac non aliter suum effectum sortiatur, nisi professione secuta: nec ante professionem præter victum & vestitum aliquid à parentibus, propinquis, vel curatoribus ex bonis nouitij monasterio detur: ne sic discedere nequeat, quia monasterium totam, aut maiorem partem suæ substantiæ possideat: nec facilè si discedat recuperare possit. Et sub anathemate præcipitur dantibus & accipiētibus, ne hoc vllo modo fiat. Et quod abeuntibus ante professionem omnia sua restituantur, & ad hoc per censuras si opus sit ab Episcopo compellantur, sed de hoc dixi lib. 1. c. 8. dub. 3.

Decimotertio, in cap. 19. præcipitur regularibus ne transeant ad laxiorem religionem: nec possit alicui concedi licentia ferendi occultè habitum sui ordinis, de quo dixi lib. 1. cap. 7. dub. 4. & statim in cap. 22. subditur, Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta præcepit sancta Synodus obseruari in omnibus Cœnobijs, monasterijs, collegijs, &c. non obstantibus eorum priuilegijs, &c. Vbi illa verba, in superioribus decretis contenta, loquuntur de decretis istius 25. sessionis, non de alijs aliarum sessionum: & sic priuilegia decretis istius sessionis contraria tantum reuocantur in illis verbis, ***non obstantibus eorum priuilegijs.*** Ita Rod. in qq. reg. to. 1. q. 8. art. 6.

Decimo 4. in se. 25. cap. de refor. vetantur locationes bonorum Ecclesiæ anticipatis solutionibus in damnum successorum.

Decimo quinto ibi c. 13. statuitur de quarta funerali soluenda Cathedralibus & Parochialibus Ecclesijs, quæ solita est persolui ante annos quadraginta, sed de hoc dicetur latius infra c. 9. dub. 5 In prædictis ergo decretis expresse reuocantur regularium priuilegia. Et ista tantum priuilegia sic reuocata censentur contraria Conc. Trid. de quibus fit sermo quoties in confirmatione priuilegiorum regularium, excipiuntur priuilegia contraria Conc. Triden. Ita sentiunt multi sapientissimi quos refert & sequitur Rod. in qq. reg. tom. 1. qu. 8. artic. 6.

Ex hoc sequitur, quod licet in eodem Con. Trid. se. 23. c. 1. de refor. statuatur; quod ordines celebrentur temporibus à iure statutis: quia tamen ibi non reuocantur regularium priuilegia, quæ habent circa hoc, possunt religiosi iuxta illa ordinari extra tempora statuta pro ordinibus celebrandis; & ita declaratum est à Congregatio. Card. in tempore Greg. 13 de quo Rod. in compen. Nec ista & similia priuilegia censentur contraria illi decreto, nec per illud reuocari. cum lex generalis non reuocet priuilegium paucorum, quando de illo saltem in generali non fit expressa reuocatio iuxta dicenda c. 6. dub. 1. & ita tenent multi sapientissimi Theologi & Iuristæ, quos refert & sequitur Rod. quam sententiam, ait, secutus quidam Episcopus ordinauit extra tempora quosdam religiosos.

Secundo sequitur, quod licet in sess 24. cap. 4 de reformatio statuatur; quod non subdiaconus voce careat in cap. quia tantum ibi non reuocantur priuilegia religiosorum, nec eorum statuta, aut consuetudines, possunt religiosi, si circa hoc habent priuilegium, vocem habere prædictam, etiam non subdiaconi; & ita declarauit Congregatio Card. fratri Gaspari Paraselo generali Minimorum, anno 1573. quod scilicet Concilium non contrariatur constitutionibus regularium; si in aliquo ordine non subdiaconi de consuetudine, constitutione, vel priuilegio ad actus capitulares admittantur.

10 Dubium ergo præsens procedit de priuilegijs modo explicato contrarijs Concilio Tridentino, *an per illud sint adhuc etiam in foro conscientiæ reuocata*; vnde ad hoc sit.

I. CONCLVSIO.

Prædicta priuilegia saltem pro foro externo, sunt adhuc reuocata in dictis decretis, & clarius in Bulla Paul. IV. quæ incipit, *In Principis Apostolorum sede*. Secundò, quia quoties Pontifices post Conc. Trident. confirmant priuilegia regularium; addunt expresse, *Dum tamen non sint contra Conc. Trid.* Ita confirmant priuilegia Minorum *Greg XIII. Bul.* 1. *et Clem. IV. Bul.* 9. sic confirmat priuilegia Hieronymianorum & Bul. 20. priuilegia Præmonstratensium, & Bul. 21. & 22. priuilegia Benedictinorum. Et idem de alijs confirmationibus, vna excepta confirmatione *Greg.* 13. *Bul.* 26. priuilegiorum Societatis Iesu, de qua dixi dubio quinto. Nec obstat, quod *Pius V. Bulla* 7 quæ incipit: *Etsi mendicantium ordines*, multa concedit religiosis ex priuilegijs in Conc. Trid. reuocatis: quia postea *Greg* 13. *in Bul.* 38 quæ incipit: *In tanta rerum, et negotiorum mole*, statuit de prædictis, & alijs literis *Pij V.* de eisdem rebus pro quorumlibet regularium ordinibus editis: eam dispositionem, ac decisionem haberi de cætero, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris decretis Concil. Trid. siue alias legitime ante editionem dictarum literarum erat: ac si ipsæ non emanassent, ad quam dispositionem illa omnia reducit.

II. CONCLVSIO.

Certissimum puto non posse religiosos vti etiam in foro conscientiæ priuilegijs modo explicato contrarijs Conc. Trident. Ista conclusio est contra Man. Rodr. in qq. reg. to. 1. qu. 8. art. 9. vbi suam sententiam probat ex quodã viuæ vocis oraculo *Pij V.* vbi *Pius V.* confirmat priuilegia Minorum pro foro conscientiæ, & consequenter aliorum religiosorum: etiam illa, quę sunt contra Conc. Trid. Nec ista concessio (ait Manuel) reuocatur à *Greg.* 13. loco cit. quia ibi (ait) tantum reuocantur literæ & constitutiones concessæ mendicantibus contrariæ Concil. Trid. ex quibus perturbatio inter Episcopos & religiosos solet oriri: at ex istorum priuilegiorum vsu in foro tantum conscientiæ, nulla perturbatio oriri potest.

Secundò probat, quia in dicta Bulla Greg. non reuocantur (ait) viuæ vocis oracula, etiam contra Concil. Trident.

con-

concessa: sed solæ litteræ & constitutiones: ergo possunt religiosi in virtute viuæ vocis oraculi *Pij* prædicti, vti priuilegijs sibi concessis, etiam contrarijs Conc. Trid.

Sed istæ rationes nihil conuincunt; quia vt ait Lud. Lop. *in sum. 1. p. cap. 8. de Bul. Greg. XIII. in sua Bulla* non tantum reuocat priuilegia scripta, & literas, sed etiam reliqua indulta, etiam sine literis expedita: dum dicitur, ***quin etiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcumque alia nostris statutis, ordinationi & reductioni contraria***: ecce quomodo abrogantur quæcumque alia, &c. vbi per ista verba satis intelligitur reuocatum illud viuæ vocis oraculi.

Secundo, quia *Greg. XIII.* in dicta bulla etiam meminit cōfessionum audiendarum, pœnitentiarum iniungendarum a religiosis: quæ pertinent ad forum conscientiæ. Et etiam, quia non fiunt ista ita secrete, quin factum in publicum prodeat, & ad aures Episcoporum deueniat: ex quo oriuntur turbationes & lites. Has cupiens Papa vitare, & confessiones & iniunctiones pœnitentiarum, quæ in foro conscientiæ fiebant ex indultis *Pij V.* contra decreta supra dicta Concil. Trident. concessas, voluit reuocare illas. Ex dictis patet nostra conclusio, & argumentorum Manuelis solutio.

DVBIVM VII.

11 ***An priuilegia regularium suspendantur per bullam Cruciatæ in regno vbi ista bulla prædicatur.***

Not. quod inter priuilegia regularium quædam conceduntur Prælatis regularium pro sibi subditis: alia conceduntur religiosis pro sibi ipsis, vt quod tali die lucrentur tales indulgentias: alia conceduntur religiosis pro sæcularibus, vt quod possint eos absoluere à talibus peccatis & censuris.

1. Conclus. Quando in bulla, vel alibi suspenduntur aut reuocantur omnia priuilegia, intelligitur de priuilegijs similibus priuilegijs bullæ. Qualia sunt priuilegia assistendi diuinorum celebrationi in tempore interdicti, eligendi confessorem, lucrandi indulgentias, edendi lacticinia, &c. Secus est de priuilegijs circa alias materias dissimilibus illis quæ in bulla conceduntur. ***Ita Aug. ver. excommunicatio, quinto, casu 31. Fe. Pan. & alij quos refert & sequitur Man. Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 13. art. 23.***

2. Con-

2. Concl. Priuilegia concessa Prælatis religionum pro sibi subditis, & quæ conceduntur religiosis pro sibi ipsis, non suspenduntur in bulla: sed potius ibi excipiuntur à generali suspensione priuilegiorum. *Et Leo X. Bul.* 45. concessit, quod non intelligantur suspensa per bul. Cruciat. aut alias indulgentias, indulta concessa quoad personas Minorum.

3. Concl. Priuilegia concessa religiosis pro sæcularibus, non suspenduntur in bul. Ita Rod. qq. reg. to. 1. qu. 61. art. 14. vbi retractat oppositum, quod docuerat in expositione Cruciatæ: & ait istam esse sententiam sapientissimorum, & patet, quia in bulla tantum suspenduntur gratiæ concessæ aut concedendæ alicui monasterio, hospitali, vel alteri loco pio, vniuersitati, confraternitati, aut alicui singulari personæ: sed priuilegia ista tertiæ conclusionis sunt concessa ordinibus in eorum fauorem & authoritatem: ergo non suspenduntur; sed possunt religiosi absoluere secundũ illa priuilegia, à peccatis & censuris, dispensare & commutare vota & iuramenta, licet sæculares absoluendi aut dispensandi, careant bulla Cruciatæ. Sicut etiam per sua priuilegia, possunt religiosi in suis domibus ministrare Eucharistiam fidelibus, etiam carentibus bulla Cruciatæ; quia licet hoc & alia priuilegia cedant in bonum sæcularium, sed immediatius & principalius, respiciunt authoritatem & fauorum religionum *Si obijcias*, quòd in bulla tantum excipiuntur à generali priuilegiorum suspẽsione priuilegia concessa Superioribus regularium quoad sibi subditos: ergo manent suspensa priuilegia illis pro sæcularibus concessa: *Ad hoc respondetur*, quod illud dictum bullæ, *exceptis gratijs, &c concessis Superioribus mendicantium*, &c. non est exceptio gratiarum concessarum religionibus: cum istæ, vt dixi, non suspendantur in bulla, sed est exceptio suspensionis gratiarum, &c. concessarum monasterijs, verbi gratia, indulgentia plenaria concessa visitantibus nostras Ecclesias in die *S. Dominici* Patris nostri, suspenditur pro sęcularibus, qui sine bulla illam non lucrantur, non tamen suspenditur pro religiosis, sed sine bulla lucrantur illam; & ita etiam declarauit *Leo X.* inter viua orac. n. 19. quod scilicet per bullam, aut alias indulgentias reuocantes generaliter vel suspendentes alia priuilegia, etiam mendicantium, non intelligantur reuocata, vel suspensa indulta, priuilegia & gratiæ concessæ quoad personas Fratrum Minorum de Obseruantia, & quoad suspendendum interdictum, in festis Sancto-

cto-

ctorum sui ordinis: nisi de his specificè & nominatim fiat mentio, hoc autem quomodo sit intelligendum, dixi dub. 3.

DVBIVM VIII.

12 *An excommunicationes contra statuta, priuilegia, benefactores, seruitores religiosorum, sint valida et idem de alijs literis.*

1. Conclus. Quæuis priuilegia & literæ obtentæ à Sede Apostolica contra religiosorum statuta, sunt nullæ. Ita concessit Cistercienfibus *Clem IV. Bul. 1.*

2. Concl. Censuræ latæ contra priuilegia religiosorum sunt nullæ. Ita concessit Minimis *Iul. 2. Bul. 26.*

3. Concl. Excommunicationes latæ contra benefactores vt sic religiosorum, vel quia communicant cum religiosis, aut ab eis Sacramenta recipiunt, à quocumque sint latæ, irritantur ab *Eug. IV. Bul 9.*

4. Conclus. Familiares seruitores religiosorum molentes in eorum molendinis, vel coquentes in eorum furnis, aut aliter cum religiosis communicantes, non possunt excõmunicari in fraudem priuilegiorum religiosorum: & aliter factum est irritum. Ita concessit Cistercienfibus *Innocen. IV. Bul. 26.*

CAPVT IV.

De communicatione priuilegiorum.

SVMMARIVM.

Omnes religiones communicant in priuilegijs? n 1.
Quomodo hac communicatio sit intelligenda? n. 2.
An alia religiones cõmunicẽt priuilegijs Societatis Iesu? n. 3

DVBIVM.

1 **A***N omnes religiones communicent in priuilegijs*, id est, an eo ipso, quod alicui religioni conceditur aliquod priuilegium, censeatur alijs religionibus concessum.

1 Concl. Omnes religiones, etiam non mendicantes, commu-

municant in priuilegijs; *Leo enim X. Bul. 13.* communicauit, & de nouo cõcessit ordini Prædicatorum & illius Ecclesijs & oratorijs, & ista loca visitantibus, & contribuentibus pro earũ manutẽtione & ornatu, & domibus ipsis Generali, Prouinciali, Priori, Fratribus, Sororibus, Monialibus, conuersis, oblatis, ac vtriusq; sexus personis de pęnitentia nominatis, & alijs personis eiusdẽ ordinis: omnes & singulas gratias, concessiones, indulgẽtias, remissiones peccatorũ, pręrogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia & tẽporalia qualiacũque illa sint, concessa ab ipso, vel à suis prædecessoribus; & cõcedẽda ab ipso; vel à suis successoribus coniunctim vel diuisim, in genere vel in specie, ordini Minorũ, Augustinianorum, Carmelitarum, Seruorum S. Mariæ ac Minimorũ & eorum Ecclesijs & oratorijs, ac ipsas Ecclesias & oratoria visitãtibus & domibus & Præsidentibus, Generalibus, Prouincialibus & Prioribus Cõuentualibus, Fratribus, Sororibus, Monialibus, conuersis & oblatis, ac vtriusq; sexus personis de pęnitentia, seu tertij habitus nuncupatis. Et licet per hoc priuilegium tantum communicentur ordini Prædicatorum exprefsè priuilegia Minorũ, Augustinianorũ, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum: tamen Clem. VII. Bul. 2. cõmunicat Minoribus priuilegia & gratias concessas, & concedendas mendicantibus, & non mendicantibus: & sic Prædicatorũ ordo, ac alij quibus Minorũ priuilegia communicantur, gaudent eisdem, per priuilegia communicationis, cum concedantur eis priuilegia Minorum, Augustinianorum, &c. qualiacumq; illa sint in genere, vel in specie, coniunctim vel diuisim concessa & concedenda. Prætérquã, quod *Iul. III. Bul. 3.* concessit ordini Prædicatorum, domibus, Ecclesijs ac alijs locis eius, omnia priuilegia, ab ipso & prædecessoribus concessa: alijs mendicantibus, alijsq; ordinibus, cõgregationibus, confraternitatibus, Fratribus, & personis, Ecclesijs, monasterijs, domibus, & oratorijs, ac alijs locis pijs. Hęc de priuilegijs excõmunicationis Pręedicatorũ & Minorũ.

Aliæ etiam religiones mendicantes habent similia cõmunicationis priuilegia. Ita cõcessit Augustinianis *Alex. VI.* Bul. 12. & Carmel. *Sixt. IV. Bul.* 37. *&* 38. & Minimis *Pius V. Bul.* 19. *&* 20. ibi numerat illos inter mendicantes. Et idem statuit ibi de ordine Seruorum B. Mariæ, & de ordine Iesuatarum, B. Hieronymi, ac de ordine Societatis Iesu. Hos enim quatuor ordines facit mendicantes *Pius V.* ibi: Et sic gaudent pri-

uilegijs aliorum mendicantium, religiones etiam monachales, & alij non mendicantes: habent etiam similia priuilegia cõmunicationis: ita concessit Benedictinis *Eug.IV Bul. 7.* & Cisterc.*Greg.13.Bul.3.*Carthusiensibus *Greg. 11. & Pius V.* vt refert Man.Rod.in qq.reg. to.1. q.55. art.8. & ordini S. Hieronymi *Pius IV. & V. Sixtus V.* vt refert Rod. loc.cit.art. 6.& *Adri. Bul 4.* fecit amplam communicationem pro fratribus & monialibus SS. Trinitatis & Redemptionis captiuorum: & pro Mercedarijs *Leo X.*& *Sixtus V.* vt refert Rodrig. art.12. & refert in hac quæstione alia priuilegia communicationis pro alijs religionibus etiam militaribus. *Item*, moniales Prædicatorum, vt constat ex priuilegio *Leo.X.* citato in principio: & moniales minoribus subiectæ ex concessione *Bonif.VIII Bul.5.* habent etiam similia cõmunicationis priuilegia cum mendicantibus, & non mendicantibus, etiam si dictæ moniales sint tertiæ. Ita concessit. *Leo X. Bul. 16.*

2 2.Concl. Communicatio priuilegiorum sic intelligitur, quod ea quæ conceduntur, v.g. magistro generali ord. Præd. censeantur communicata generalibus aliorum ordinum: & quæ conceduntur Prouincialibus, vel prioribus, censeantur communicata similibus Prælatis aliorum ordinum: & quæ conceduntur vni religioni, & festis eius, censeantur communicata alijs religionibus & festis eorum. Ita declarauit & cõcessit Prædicatorum ordini *Iul.II. Bul.18. & Sixtus 4. Bul. 32.* & sic priuilegia & indulgentiæ concessæ pro festis Sanctorum ordinis Minorum, intelliguntur communicata Prædicatoribus pro festis suorum Sanctorum, non obstante quod plures Sancti in vno, quam in alio ordine celebrentur.

3.Concl. In communicatione priuilegiorum non communicatur vsus vel non vsus priuilegij, sed ius vtendi priuilegio; & sic licet vnus non vtatur priuilegio multis concesso; non præiudicat alijs vtentibus illo. *Ita Panor. in cap.cum accessissent, de constit. & Silu. ver priuilegium* §. 11. Vnde priuilegia vni ordini concessa; quæ per communicationem alijs ordinibus sunt communia, non omittuntur nisi legitimo tempore contra illa præscribatur modo dicto cap.3. dub. 2. vt habetur in c. *accedentibus, de priu.* Et cum contrariorũ sit eadem ratio; si aliquis ordo vtitur aliquo priuilegio, alius ordo, vbi contrarius viget vsus sufficiens ad præscriptionem contra tale priuilegium, non potest iuberi ex alterius vsu ad gaudendum priuilegio præscripto. Quod enim à Papa im-

pe-

petratur per viam communicationis & extensionis, est ius vtendi priuilegio; non tamen vsus, vel non vsus, cum in ista non in iure, sed in facto contingant.

Ex dictis sequitur, Primò, quod cum *Pius IV.* ad instantiam Catholicissimi & prudentissimi Philippi II. Hispaniarũ Regis, de quo Rod. art. 9. & *Clem. VIII. Bul. 19.* priuilegia spiritualia & temporalia concessa vni monasterio D. Hieron. cõmunicauerit toti ordini: & idem *Clemens Bul. 20.* idem & eodẽ modo concesserit Præmonstratensibus: & in Bul. 21. & 22. gratiæ & priuilegia monasterij Montis Serrati ordinis Sancti Benedicti, communicauerit toti ordini Sancti Benedicti, & ante hæc *Iul. II. Bul. 26.* concessa vni monasterio Minimorum, toti ordini communicauerit: consequenter aliæ religiones per priuilegia communicationis eodem gaudent extensionis indulto, ac si eis specia'iter concederetur: & sic priuilegium concessum vni monasterio nostri ordinis Prædicatorum eo ipso ad alia extenditur monasteria eiusdem ordinis: priuilegia tamen singulis religiosis concessa, non communicantur alijs etiam eiusdem ordinis, alias tota religionis obseruantia funditus euerteretur: & sic quoad hoc manet in suo robore declaratio *Leonis X.* quod fratres ordini Heremitarum gaudeant priuilegijs generaliter concessis congregationibus, personis & locis congregationum, non domibus & personis particularibus congregationum, seu ordinum concessis. Ita in supple. conces. 157. & Rod. art. 8.

Secundo sequitur, omnes religiosos gaudere omnibus 3
priuilegijs Societatis Iesu per priuilegia communicationis: cum in illis communicentur priuilegia concessa & concedenda. *Nec obstat*, quod quando *Leo X.* & *Iul. 3.* concesserunt, verbi gratia, Prædicatoribus priuilegium communicationis, ordo Societatis nondum erat fundatus, ratione cuius aliqui tenent communicationem istam non extendi ad priuilegia concedenda ordinibus nondum fundatis; sed ad concedenda ordinibus iam tunc existentibus. *Ad hoc respondetur*, quod postea *Paul. 4. Bul. 1.* pro Minoribus: & Pius IV. Bul. 2. pro eisdem: & Pius V. Bul. 7. pro mendicantibus: & *Greg. 13. Bul. 1.* pro Minoribus; & Bul. 10. pro Cistercienfibus: & Bul. 13. 14. & 15. pro alijs ordinibus; & *Sixt. V. Bul. 14. 18. 19.* & 20. approbarunt & de nouo concesserunt priuilegia dictorum religiosorum; quando iam ordo Societatis erat fundatus, & post hæc *Greg. 14. Bul. 3.* determinauit ordinem

Ci-

Cistercienſium frui poſſe priuilegijs Societatis: dum ei concedit cõmunicationem omnium priuilegiorum omnium ordinum: & vt refert Rod. loco cit. art. 7. idem *Greg. XIV.* ſpecialiter conceſſit ordini Crucifigerorum, vt fruantur priuilegijs Societatis. Et ſic aliæ religiones gaudent illa conceſſione, cum communicent in priuilegijs Ciſtercienſium & Crucifigerorum. Ex quo patet, quod ſi ante *Greg.* XIV. conceſſum fuit Societati Ieſu aliquod priuilegium, tollendo eius communicationem pro alijs ordinibus, tamen iam per dictam communicationem, & extenſionem *Greg.* 14. manet communicatum: cum abſolute à Greg. 14. concedantur & communicentur omnia priuilegia Societatis prædictæ abſque vlla reſtrictione.

Tertio ſequitur, quod licet religioſi Societatis Ieſu non poſſint vti ſuis priuilegijs, niſi à præpoſito generali, vel ab alio per ipſum deputato eis communicentur, prout illis conceſſit *Greg. XIII.* cuius indulti tenorem refert Man. Rod. ar. 5. probabile tamen eſt poſſe vti talibus priuilegijs Societatis alios religioſos abſque eo, quod à ſuis generalibus, vel ab alijs ſibi communicentur. Ita tenet Rod. & patet, quia *Greg. XIV.* conceſſit Ciſtercienſibus & Crucifigeris communicationem priuilegiorum Societatis abſolute: & abſque dicta dependentia, & nobis etiam abſolutè, ac ſi eſſet noſtra conceduntur, per communicationem ſiue reſtrictionibus quibus ab alijs ordinibus ob eorum peculiare regimen ſunt à Papa impetrata.

CAPVT V.

De priuilegijs regularium circa Sacramenta,

Circa Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Quibus competat ſolemniter baptizare? n. 1.
Religioſi in Indijs poßunt baptizare & alia Sacramenta ſicut Parochi miniſtrare? n. 2.
In ſuis tamen Eccleſijs, & non alienis? n. 3.
Et in baptiſmo licite vtuntur Chriſmate 4. annorum? n. 4.

DVB.

DVBIVM I.

An religiosi possint baptizare.

Et non est sermo de Baptismo in necessitate: certum est enim licere tunc cuilibet etiam infideli, & non baptizato, viro, vel fœminæ baptizare, *vt docet D.Tho. 3 p.q.67. art.3. & 4.* sed sermo est de Baptismo extra casum necessitatis.

1. Concl. Stando in iure diuino, cuilibet sacerdoti etiam monacho competit ex officio baptizare. *Ita D.Tho.art.2. & intelligitur ex c.diaconos, d.93.* Et patet quia soli Sacerdotes consecrantur ad conficiendum Eucharistiam, quæ est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis: ergo ad solum Sacerdotẽ spectat conferre Baptismum quo homo fit particeps Ecclesiasticæ vnitatis, & acquirit ius accedendi ad mensam Dei. 1

2. Concl. Stando in iure communi canonico, soli Parocho competit ex officio baptizare. Ita in cap. *placuit,16.q.1.* vbi dicitur hoc esse ministerium parochi, & non alterius etiam Sacerdotis: ergo peccat mortaliter sacerdos qui baptizat inuito Parocho & volente baptizare: cum vsurpet eius officium in re graui. *Ita Soto,cum communi sent.d.4 q.1.art.3.conc.3.* non tamen est excommunicatus vel irregularis, cum nulla talis pœna imponatur in iure isti delicto.

3. Concl. Cuilibet Sacerdoti etiam monacho, imo & diacono potest à Parocho committi, vt etiam extra necessitatem, & cum solemnitate baptizet. *Ita in c.diacono,d 39* & si obijcias quòd in c.*placuit 16.q.1.* prohibentur Monachi baptizare: ad hoc resp. quod intelligitur sine licentia Parochi.

4. Concl. Religiosi Indiarũ possunt ibi omnia sacramenta infidelibus & nouiter conuersis ministrare. Ita concessit *Leo X.Bul.3.* duobus fratribus Minoribus euntibus ad Indos. *Et Adria.6.Bul.1.* cõcedit Prouincialib. & religiosis quibus ipsi cõmiserint, posse baptizare filios etiã Hispanorũ, & alios citra necessitatẽ cum limitationibus ibi positis, vtpote concedit istis, vbi nõ sint Episcopatus creati, vel si creati sint infra duas dietas ipsi, aut officiales eorũ inueniri nõ possint; tam quoad suos fratres & alios cuiusuis ordinis, vbi sũt deputati, ac super Indos ad fidẽ conuersos, quã ad alios Christicolas ad dictum opus eosdem mittentes, omnimodã authoritatẽ suã in vtroq; foro habeãt, tantã quantã ipsi, & per eos deputati de fratribus

suis iudicauerint opportunam, & expedientem, pro conuersione dictorum Indorum & manutentione, ac profectu eorũ & aliorum præfectorum, in fide Catholica, & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ viuentium. Et quod dicta authoritas extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt ordinem Episcopalem. Idem postea concessit *Paul. IV.* inter viua orac. Fratribus Prædicatoribus de Mexico, de Chiapa, & de Peru; vt fidem fecit Cardinalis Alexandrinus, qui fuit postea electus Papa *Pius V.* Et confirmauit omnia suorum prædecessorum priuilegia pro Indorum conuersione. Præsertim, quod possint fratres mendicantes omnia Sacramenta ministrare infidelibus & nouiter conuersis: & de nouo roborauit Apostolica authoritate non obstantibus, &c. & sic manent roborata priuilegia Leo X. & *Adria. VI.* & idem postea concessit dictus *Paul. IV.* inter viua orac. cuidam religioso ordinis Minorum.

3 5. Conclusio. Religiosi Indiarum non debent baptizare in aliena parochia, alias confunderetur Ecclesiasticus ordo contra sacros canones in c. *peruenit* 11. *q.* 1. sed in suis Ecclesijs debẽt baptizare, nec aliter colligi potest ex dictis priuilegijs. Numquam enim Papa in generali concessione, visus est alicui præiudicare: imo & *Pius V. Bul.* 4 concessit religiosis Indiarum, vt in suis monasterijs & locis sibi deputatis ibidem, possint baptizare, & alia Sacramenta, sicut parochi ministrare; quo priuilegio gaudent omnes prouinciæ Indiarum, & sic religiosi omnes in suis Ecclesijs, & locis suorum monasteriorum possunt baptizare, non tantum Indos subditos, sed etiam non subditos: & ita est obseruatum, vt testantur viri graues.

DVBIVM II.

An dicti religiosi possint vti in Baptismo, Oleo sancto & Chrismate antiquo.

1. Concl. Licet chrisma & oleum catechumenorum & infirmorum sit quotannis in die cœnæ conficiendum & vetus comburendum, vt dicitur in c. *literis, de cons. d.* 3. non tamen debet vetus comburi quousque nouum sit allatum. Nam præoccupante morte potest sacerdos veteri chrismate baptizare: nam licet sit peccatum mort. *secundum Nauar. in man. cap.* 25. *n.* 75. *& glo. in c. quoniam, de sententia excommunicatio-*

tionis, vti dictis materijs veteribus, ex natura rei, secus est in articulo mortis. *Ex quo sequitur* licere semper vti veteri chrismate in Baptismo paruulorum, si nondum venit nouum: cum isti ob eorum teneram ætatem semper sint in periculo mortis: & ob hoc mandatur iam quod in omni tempore anni possint pueri baptizari, quod olim non licebat extra tempora ab Ecclesia statuta, nisi in articulo mortis.

2. Conclusio. Religiosi in Indijs ex concessione *Leo X. Bul.* 3. possunt vti oleo & chrismate trium annorum, imo & quatuor annorum, ex concessione *Greg. XIII.* vt refert. Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 51. art. 5. quia in istis partibus oleum & balsamum difficile habentur.

CIRCA EVCHARISTIAM.

SVMMARIVM.

An & quando liceat religiosis Eucharistiam ministrare? n. 1
An id liceat eis in paschate? n. 2.
Vel in articulo mortis? n. 3.

DVBIVM II.

1 *An liceat religiosis Eucharistiam fidelibus ministrare*: & non est sermo de articulo mortis: tunc enim absente Parocho aut nolente eam ministrare illud licet cuilibet sacerdoti; imo Sacerdote deficiente aut nolente Eucharistiam conferre, id potest diaconus. *Ita Soto, d. 13. q. 1. art. 4. quem sequitur Suarez 3. p. disp. 72. sec. 1. & Man. Rod. in qu. reg. tom. 1. q. 56. art 8. contra Card. & Silu. quos refert & sequitur Nauar. in man. c. 21. n. 52.* Sermo est hic de ministratione Eucharistiæ extra mortis articulum.

1 Conclusio. Stando in iure diuino, omni & soli Sacerdoti competit Eucharistiam ministrare: *vt late probat D. Tho. 3. p. q. 82. art. 5.*

2. Concl. Stando in iure communi canonico soli Parocho ex officio competit Eucharistiam ministrare. Patet ex *Clem. 1 de priuil.* vbi etiam excommunicantur religiosi Eucharistiam, Extremam-Vnctionem ministrantes, vel matrimonia solemnizantes, sine Parochi licentia speciali, vel generali iuxta declarationem *Eugen. IV*, vsu etiam comprobatam: de

Xx 2 qua

qua fit mentio in supplem. concess. 4.

Secundo, quia Sacramentorum administratio (vt ait Soto) est actus iuridicus: ergo, qui administrat illa, debet habere iurisdictionem, ex iure communi, vel priuilegio, vel ex commissione concessam in eos quibus illa ministrat.

3. Conclusio. Religiosi ex priuilegio possunt vbiq; saltem extra tempus Paschæ, Eucharistiam fidelibus ministrare: quia *Nicol. V. Bul. 2. & Sixtus IV. Bul. 11.* concesserunt Minoribus, vt quorum confessiones audierint, eisdem Eucharistiam ministrent in omni tempore, excepto die Paschatis Resurrectionis. Et postea *Leo X.* inter viua orac. extendit illam concessionem ad omnes religiosos Sacerdotes: imo & postea *Iul. II.* vt habetur in supplem. concess. 160. de qua Rod. loco cit. art. 3. concessit Minoribus, vt in suis Ecclesijs quoties opus sit ministrent, vel ministrare faciant Eucharistiam. Et sic Sacerdotes sæculares de licentia religiosorum in istorum Ecclesijs, idem præstare possunt, quoties religiosis illud facere licet. *Ita Med. in sum. lib. 1. c. 11. §. 13. & Enriq. tom. 2. de Euchar. lib. 7. n. 1.* Vide quando possunt religiosi vti istis priuilegijs, etiam extra sua loca, sup. c. 6. dub. 5. conc. 5.

DVBIVM IV.

2 *An liceat religiosis ministrare in Paschate Eucharistiam fidelibus*. Et sumitur modo Pascha pro toto tempore ab Ecclesia taxato, ad communionem annualem, scilicet à Dominica in Ramis, vsque ad Dominicam in Albis inclusiue.

1. Concl. Licet religiosis ministrare, etiam in Paschate, & in articulo mortis, omnia sacramēta familiaribus & seruitoribus actualiter religiosis seruientibus, & intra monasteria, aut loca religiosorum cōmorantibus: & sub eorum obedientia viuentibus. Patet ex concessione *Clem. IV. & Sixti IV.* pro Benedictinis, vt habetur in monu. ord. concess. 315. & confirmatur hoc à Conc. Tr. sess. 24. c. 11. respectu istorum sic seruientiū; vbi etiam à iurisdictione ordinarij eximuntur: licet sit ibi reuocata dicta concessio respectu familiarium extra septa, ac domos religiosorum cōmorantium, quibus in dictis priuilegijs etiam erat concessum recipere dicta Sacramenta à religiosis tunc. *Secundo*, consulti Cardinales in tempore *Greg. XIII.* vt refert Manu. Rod. in compend. an Prælati regulariū possint audire cōfessiones sæculariū qui sunt de sua familia;

aut

aut alias deseruiunt in eorum monasterijs, absque licentia & approbatione Episcoporum: & similiter confessores aliorum religiosorum idem possint, respondet sic *Congr. Conc. censuit dictos religiosos audire posse confessores saecularium; qui sint de sua familia & continui commensales, non tamen eorum qui deseruiunt in eorum monasterijs: & idem est de Eucharistia, & extrema vnctione*. Vide cap. 6, dub. 1.

2. Conclusio. Licet religiosis ministrare etiam in Paschate, Eucharistiam fidelibus cõmunicantibus ob deuotionem: nam quando in dictis concessionibus excipitur cõmunio Paschalis, sermo est de cõmunione impletiua praecepti cõmunionis: haec enim siue fiat in Paschate, siue intra dies taxatos pro impletione praecepti communionis, debet fieri in propria Parochia, vt ait Suar. 3. p. dis. 82. sess. 2. Secus sit de communione quae fit ob deuotionem, haec enim etiam in Paschate licitè fit in Ecclesijs religiosorum: contr. Nau. in Man. c. 21. n. 52.

3. Conclusio. Licet religiosis ministrare fidelibus in suis Ecclesijs Eucharistiam in Paschate, etiam ad implendum praeceptum cõmunionis. Ita concessit fratribus de Guadalupe *Nic. V. & Iul. II.* vt habetur in compend. istius ordi. § 2. & 6. & eisdem concessit *Paul. III.* inter viua orac. quod tam intus, quam extra in oratorijs, grangijs, & locis monasterij, non contradicente Priore, vel Vicario, in absentia Prioris possint ministrare Eucharistiam, etiam in Paschate subditis monasterij, & ab eo dependentibus & illuc confluentibus vtriusq; sexus: licentia curatorum, vel rectorum, vel locorum dioecesanorum minime requisita, & sic Ecclesiae praecepto satisfaciant, non obstantibus contrarijs quibuscumque; &c. *Ita in compend. istius ordinis, ti. Eucharist. Sacrament. §. 6.* Et cum hoc & alia priuilegia vni monasterio D. Hieron. concessa, sint toti ordini communicata, iuxta dicta c. 4. alijs ordinibus censentur communicata.

Nec ista priuilegia sunt per non vsum reuocata: tum quia priuilegia Minorum, & consequenter aliorum ordinum, sunt à *Pio IV. Bul. 2.* confirmata ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, quae verba vt ait Rodr. in qq. reg. tom. 1. qu. 8. art. 3. confirmant priuilegia per non vsum reuocata, non tamen aliter reuocata, iuxta dicta cap. 3. dub. 2. tum etiam, quia idem Papa non tantum confirmauit; sed & de nouo cõcessit dicta priuilegia; & sic de nouo roborauit

cessit Minoribus per communicatione, priuilegia dicta, *Nic. V. Iul. II & Paul. III.* Tum potissime, quia *Paul. V.* confirmauit, & de nouo roborauit priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vsum reuocata iuxta dicta c. 3. dub. 5.

DVBIVM V.

3 *An liceat religiosis ministrare Eucharistiam fidelibus in art. mortis.*

1. Conclusio negatiua, in sententia asserente non licere religiosis ministrare Eucharistiam fidelibus in Paschate, eo quod talis communio est impletiua præcepti: cum etiam sumptio Eucharistiæ in articulo mortis sit etiam impletiua præcepti. Ita Suarez sec. 2. dub. vlt. & ait esse communem sententiam, & refert. priuil. Paul. III. concessum Societati Iesu, vbi illis concedit posse Eucharistiam fidelibus ministrare, excipiendo communionem in Paschate, & in artic. mort.

2. Conclusio. In sententia asserente licere religiosis ministrare fidelibus Eucharistiam in Paschate, idem videtur dicendum de ministratione Eucharistiæ in art. mort. maxime, quia *Leo X.* loco citato dub. 3. tantum excipit communionem Paschatis.

CIRCA MISSAM.

SVMMARIVM.

An liceat religiosis celebrare ante & post horam ab Ecclesia statutam? n. 1.
An liceat eis celebrare extra Ecclesiam? n. 2.
Satisfaciunt recitando collectas promissis vsque ad nouem & quando? n. 3.
Soli Ordini Prędic. licet solemnizare festum Corporis Christi dominica infra Octauas? n. 4.
Vestes sacerdotales & Corporalia benedicuntur à Pralatis regularium? n. 5.
Ab eisdem calices consecrantur, Chrisma conficitur in suis terris Ecclesia consecrantur & reconciliantur? n. 6.

D V-

DVBIVM VI.

An liceat religiosis Missas celebrare ante horam & post horam ab Ecclesia statutam. 1

1. Concl. Interstitium temporis intra quod est Missa celebranda, est ab initio auroræ vsque ad meridiem: *vt communiter docent Doctores cum D.Tho. 3.p. q. 83. art. 2. ad 4.* & initium auroræ est initium crepusculi diei, & prima lucis irradiatio, & adhuc moraliter taxetur: licet enim crepusculum non sit æquale in omni tempore, tamen in omni tempore licet incipere Missam hora & dimidia ante ortum Solis. *Ita tenet Suarez, 3.p dist. 8. sec. 4. & Led. c. 19. de Euch.*

2. Concl. Religiosi ex causa rationabili, possunt Missam celebrare ante horam & post horam ab Ecclesia statutam. Ita concessit Minoribus *Sixt. IV.* inter viua orac. & *Pius V.* etiam inter viua orac. concessit Generali Minorum posse concedere suis religiosis licentiam celebrandi Missas per vnam horam ante auroram: & *Alex. VI. Bul.* 13. concessit Benedictinis Montis Serrati, posse in suo monasterio celebrare Missas immediate post duas horas post mediam noctem. Et *Leo X.* inter viua orac. concessit Minoribus posse de licentia suorum Superiorum, illicò post matutinum Missam celebrare, & post meridiem, quando itinerando non potuerunt venire ad locum, vbi commode celebrent, vel Missam audiant, maxime in festis. Item *Eug. Bul.* 11. concessit Cælestinis itinerantibus posse Missas celebrare, vsque ad nouam exclusiuè. Imo inter viua ora. absolutè concedit Minoribus posse Missas sine scrupulo celebrare vsque ad nonam. Item *Greg. XIII. Bul* 22. cōcessit religiosis Societatis posse Missas celebrare, de licentia sui Generalis, vel alterius ab eo deputati, ante auroram circa lucem, & infra horam post meridiem, itineris, aut alterius legitimi impedimenti existente causa legitima.

DVBIVM VII.

An liceat religiosis extra Ecclesiam celebrare. 2

1. Conclus. affirmatiua. Ita Soto d. 13. q. 2. art. 1. & de Prędicatoribus & Minoribus habetur in c. in his de priuilegijs.

2. Concluſ. Licet religioſis Miſſas celebrare in grangijs,& alijs locis monaſterij. *Ita* conceſſit Prędicatoribus *Sixtus IV. Bul.33. & Iul. 2. Bul. 20. & Innoc. IV. Bul. 24. & Alex. VII. Bul.* 14. conceſſit Ciſtercienſibus poſſe in grangijs & alijs locis monaſterij capellas, Eccleſias & oratoria conſtruere, vbi ſine licentia ordinarij, vel alterius, poſſint Miſſas & diuina officia celebrare, & vaſallorum, colonorum, incolarum ibi commorantium, confeſſiones audire, pœnitentias iniungere, Euchariſtiam & alia Sacramenta ſine Parochiæ præiudicio, per monaſteriorum Abbates, & ſuos monachos ad id deputatos miniſtrare: & per Parochiæ præiudicium intelligitur, quoad exactionem decimarum & primitiarum, quæ ſolent clericis exhiberi: ſi enim in hoc nullum ſequitur clericis præiudicium, poſſunt religioſi prædicta exercere. Ita declarauit *Sixtus IV.* vt habetur in li. monu. ord. conceſ. 465.

Si obijcias ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſer. in Miſſa, vbi præcipitur Epiſcopis, ne patiantur Miſſas celebrari, etiam à regularibus, in domibus priuatis,& omnino extra Eccleſias & oratoria ad diuinum cultum dedicata, deſignanda & viſitanda ab eiſdem Epiſcopis: *Ad hoc reſpondetur*, quod ibi tantum intenditur, quod in domibus priuatis non erigantur oratoria, ſine approbatione ordinarij, vbi Miſſa celebretur. Secus eſt de grangijs monaſteriorum: vbi ſicut in eorum infirmarijs erigi poſſint oratoria, & patet ex contex. dum dicitur, non patiantur Epiſcopi vt Miſſæ celebrentur etiam à regularibus, omnino extra Eccleſiam: Oratoria enim & altaria portatilia in grangijs & infirmarijs religioſorum erecta, non cenſentur eſſe omnino extra Eccleſiam: quia ſecundum DD. communiter, nomine Eccleſiæ monaſteria intelliguntur. *Ita Man. Rod. in qq. reg. tom. 2. q. 75. art. 1. Et confir.* quia *Eug. IV.* vt habetur in compen. Ciſter. ti. grangiæ. §. 2. conceſſit, iſtorum grangias ſicut & Eccleſiarum atria, prauorum hominum incurſu & violentia, debere eſſe liberas & quietas. Ita vt nemo in eis poſſit hominum capere ſpolium & ruinam exercere præſumat: & hoc in virtute Spiritus Sancti inhibendo ſtatuit: ergo non debemus de iſtis grangijs iudicare, ſicut de domibus priuatis: vbi Concilium vetat diuinorum celebrationem: cum domus priuata non gaudeat prædicta immunitate, & *Leo X.* vt habetur in ſupplem. conceſſione 186. conceſſit, quod infringentes, aut violentiam facientes, in Eccleſijs, aut locis religioſorum, ſint excommunicati, nec poſ-

possint absolui, nisi à Papa, aut à conseruatoribus religiosorum: grangiæ autem inter loca religiosorum computantur.

3. Conclusio. Licet religiosis in castris & arcibus, ad quæ ob bella confugiunt, altare portatile erigere, & ibi Missas & officia diuina celebrare, saluo iure parochialium Ecclesiarũ, & cuiusuis alterius. Ita concessit Cister. *Vrb.5. Bul.* 1.

4. Conclusio. Religiosi vbique etiam in priuatis domibus sæcularium possunt Missas celebrare. Ita concessit Minoribus *Sixtus 4. Bul. 14. & Alexand. 6.* inter viua ora. concessit eisdem, posse Missas celebrare in cameris sæcularium, & in plateis, dato, quod non videantur loca honesta: quia in cameris sæcularium dormiunt coniugati, & in plateis fiunt multa prophana.

Si obijcias decretum Concil. Triden. supra relatum: ad hoc Nauar. *in Manu. c. 25. n. 8. &* alij dicunt dicta priuilegia esse reuocata per hoc decretum? at Rod *in qq. reg. to* 1 *q. 28. art.* 3. tenet oppositum, sed ad hoc dico, quod Concilium aliquo modo reuocat ista priuilegia: licet enim religiosi antequam ab Episcopo moneantur; possint vti dictis priuilegijs, non tamen post monitionem; quia in Concilio sic dicitur, *non patiantur Episcopi, quod sacerdotes etiam regulares in domibus priuatis, & omnino extra Ecclesiam, vel oratoria &c. celebrent.* ergo dum Episcopi illud non vetant, poterunt religiosi ibi celebrare. Secus tamen erit post prohibitionẽ cum ibi expressè reuocentur contraria priuilegia, etiam religiosorũ. Ex dictis patet à fortiori licere religiosis celebrare iuxta dicta priuilegia in Ecclesia violata; nec hoc vetatur in dicto decreto Conc. Trid. sed celebratio in domibus priuatis & omnino extra Ecclesiam.

Not. 1. quod *Iul* 2. *Bul.* 28. concessit generali Minorũ, qui tunc erat, posse dispensare, vt valeant collectæ pro missis vsq; ad nouẽ, tam pro Ecclesiarum fabricis, quam pro alijs fratrũ necessitatibus, quando inuenerit conuentus ita grauatos multitudine Missarum, vt eas celebrare non possint, applicando etiam porrigentibus talium eleemosynas Missarum, alia suffragia, beneficia & satisfactiones. Et postea *Leo* 10. anno 1513. in constitutione quæ incipit, *Exposcit dilectorum*: idem extendit & concessit cuilibet generali dicti ordinis pro tempore existenti, vt refert Parasellus in lib. priui. fol. 45. & 58. 3

Secundo, not. quod licet *Greg.* 13. concesserit omnibus religionibus, posse celebrare solemniter cum processione festum

ſtum SS. Corporis Chriſti in Domini, infra octauas eiuſdem ſolemnitatis, reuocando priuilegium *Pij V.* noſtro Prædicatorum ordini conceſſum: vbi ſoli noſtro ordini illud concedebatur, vt videre eſt in Bul. 39. *Greg.* 13. tamen poſt hæc *Clem.* 8. noſtro ordini maximè affectus, in Bulla quæ incipit: *Dudum felicis recordationis Pius Papa* 5. edita die 8. Martij, anni 1592. & habetur authenticatum tranſumptum illius Bullæ in Conuentibus noſtri Ordinis, reuocat Bullam *Greg.* & ſoli noſtro Prædicatorum Ordini concedit, poſſe tunc dictum feſtum celebrare, & poſſe tunc deferre Euchariſtiam per vicos & plateas, & per loca à nobis electa. & concedit indulgentiam plenariam aſtantibus tali ſolemnitati: & merito hoc noſtro ordini conceditur, ex eo quod noſter Doctor Angelicus *D. Thomas* officium de SS. Euchariſtiæ Sacramento, ab omni Eccleſia receptum & decantatum, & tot diuinis refertum ſententijs, diuino numine in lucem protulit.

D V B I V M V I I I.

An liceat regularibus benedicere veſtes ſacerdotales & corporalia.

5 1. Concluſio. Religioſi ſacerdotes, poſſunt benedicere omnes veſtes ſacerdotales. Ita conceſſit *Sixtus* 4. Minoribus inter viua ora.

2. Concluſio. Prælati regularium, & iſtis abſentibus eorum vicarij, & qui habent principale regimen monaſterij; poſſunt benedicere non tantum veſtes ſacerdotales, & alia ornamenta Eccleſiæ, ſed etiam corporalia. Ita conceſſit Minoribus pro veſtibus & corporalibus pro eorum vſu tantum, *Leo X. Bul* 6. *ſed Pius* 5. *& Innoc.* 8. *pro Hier.* idem abſolute, & ſine vlla limitatione conceſſerunt: vt refert Rod. in qq. reg. to. q. 16. art. 2.

Not. poſſe religioſos, etiam laicos, tangere calices & corporalia, cum reuerentia tamen. Ita conceſſit *Sixt.* 4. inter viua ora. poſſunt etiam lauare corporalia, & alia Eccleſiaſtica ex conceſſione *Calix.* 3. inter viua ora. & idem *Sixtus* conceſſit etiam monialibus ſub clauſura, & in congregatione viuentibus; poſſe tangere corporalia & purificatoria prius à religioſis lota.

D V-

DVBIVM IX.

An liceat religiosis consecrare calices, benedicere & reconciliare Ecclesias & chrisma conficere.

1. Conclusio. Prælati regularium possunt consecrare calices & patenas suorum Monasteriorum, grangiarum & beneficiorum. Ita concessit Benedictinis *Iul.* 2. *Bul.* 25. imò iuxta concessionem *Innoc.* 8. *Bu.* 5. factam Abbati Cisterc. & alijs primis coabbatibus dicti Ordinis, & iam communicatam per *Gregor.* 14 *Bu.* 3. omnibus Abbatibus dicti Ordinis possunt consecrare calices etiam extraneos. 6

2. Concl. Prælati regularium possunt in suis terris conficere chrisma, Ita concessit *Vrba.* 2 *Bu.* 1. Nec hoc priuilegium sicut nec alia primæ conclusionis, sunt reuocata per non vsum. Tum quia vt priuilegium per non vsum reuocetur, requiritur notitia talis priuilegij, & non vsus centum annorum: iuxta dicta ca. 3. dub. 2. Tum etiam, qui iuxta dicta cap. 3. dub. 5. priuilegia per non vsum reuocata, iam sunt per *Paulum* 5. reualidata.

3. Conclusio, Prælati regularium possunt consecrare Ecclesias, vel altaria a chrismate sacro ab aliquo antistite Catholico recepto. Ita concessit *Innocen.* 8. *&* *Vrba.* 2. locis cit. & licet postea *Leo* X. vt dixi c. 3. dub. 5. statuerit, quod Ecclesiæ, vel altaria religiosorum consecrentur & benedicantur ab Episcopo diœcesano, nisi bis, vel ter, cum instantia & debita reuerentia requisitus, venire recusasset (per quod etiam reuocabatur priuilegium concessum Augustinianis à *Sixto* 4. *Bul.* 34. *&* *Eugen.* 4. *Bul.* 9. quod quilibet Episcopus absque diœcesani licentia possit Ecclesias monasteriorum & altaria consecrare) tamen iam *Pau.* 5. vt dixi loco cit. imo & alij ante ipsum vt probaui, confirmarunt & reualidarunt priuilegia à *Leo* 10. *Bul.* 45. reuocata: & ad minus certissimum est, non esse reuocatum priuilegium post *Leo.* 10. à *Paul. Bul* 8. concessum pro religiosis Societatis, vt eorum Ecclesiæ & cæmiteria consecrentur à quouis Episcopo si diœcesanus vltra quatuor menses illud facere differat: imo si diœcesanus ter requisitus modo dicto venire recusasset, potest quilibet Episcopus iuxta priuilegium *Sixti* 4. *&* *Euge.* 4. dictas Ecclesias & altaria consecrare, non expectatis dictis quatuor mensibus. 7

4. Concl.

4. Concl. Prælati regularium, possunt reconciliare Ecclesias etiam consecratas, cæmiteria & oratoria quouis modo polluta: & hoc cum aqua ab eis benedicta: maxime in locis remotis, vbi Episcopum per duas dietas adire non possunt pro aquæ benedictione. Ita concessit Minoribus *Leo. 10. Bul. 6. & Iul. 2.* idem concessit Minimis, vt habetur in supplem. conces. 30. quod etiam intelligitur iuxta conces. Leo. 10. quando Episcopus non exstat intra duas dietas & vna dieta continet viginti milliaria, seu septem leucas, *secundum Sil. ver. benefic. 2. §. 1. & Mandos. in Cancel reg. 3. q. 2. n.* 20. imo secundum *l. 8. tit. 3. l. 2. fori, & l. 25. in prog.* vna dieta continet decem leucas.

5. Concl. Religiosi in terris infidelium, possunt Ecclesias erigere, & reformare; vestes, corporalia, calices, cæmiteria (si Episcopus non adsit) benedicere, ac Ecclesias violatas reconciliare, & statuta necessaria facere, & ea mutare, & bis in die celebrare. Ita concessit religiosis Societatis Iesu *Pau. 3. Bul. 8.* & supra cap. 5. dub. 1. concl. 4. adduxi priuilegium *Adria. 6.* concedentis religiosis ordinis Minorum, in terris Indiarum omnem Episcoporũ authoritatẽ, pro actibus non requirentibus ordinem Episcopalem cum limitationibus ibi positis.

CAPVT VI.

De priuilegijs circa Sacramentum Pęnitentiæ.

SVMMARIVM.

Religiosi vt audiant confessiones regularium debent ab Episcopo admitti. n. 1.

Prædicatores tamen & Minores præsentati Ordinarijs & sine causa reiecti, sunt à Papa expositi. n. 2.

Religiosi ab Episcopo approbati, possunt inuitis parochis audire confessiones ouium talis Episcopi. n. 3.

Dominicani sine licentia superiorum non absoluunt valide, secus de alijs cum licentia Ordinarij, n. 4.

An religiosi approbati ab Episcopo, prohibiti ab audientia confessionum per superiores, valide absoluant. nu. 5.

An Approbatio regularium possit limitari ad certum tempus, locum & personas. n. 6.

An approbatio regulariũ sit perpetua & irreuocabilis. n. 7.

An

DVBIVM I.

An Religiosi cum sola licentia suorum Prælatorum, & sine licentia ordinarij possint absoluere sæculares.

1. Concl. Religiosi cum sola licentia suorum Prælatorum, possunt etiam in Paschate, & in articulo mortis ministrare Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, suis famulis qui in eorum morantur obsequijs; & possunt eos in suis domibus sepelire, & gaudent isti famuli in articulo mortis priuilegijs & indulgentijs religiosorum. Ita concessit Augustinianis *Innoc.6.Bul.*1. & Carmelitis *Sixtus* 4. *Bul.*37. & Minimis *Leo* X. *Bul.*41. & Congregatio Cardinaliū, vt refert Manu. Rod. in compen. in tempore *Greg.* 13. declarauit posse religiosos audire confessiones sæcularium, qui sunt de sua familia. & continui commensales, non tamen eorum qui deseruiunt in eorum monasterijs iuxta dicta c. 5. dub. 4.

2. Concl. Religiosi omnes præter Prædicatores & Minores, non absoluunt valide sæculares, qui iuxta modo dicta non sunt de sua familia, si non habent licentiam ordinarij ipsorum sæcularium. Patet ex Concil. Trident. sess. 23. ca. 15. vbi dicitur, quod nullus sacerdos etiam regularis audiat confessiones sæcularium etiam sacerdotum, nisi sit parochus, aut ab ordinario approbatus, non obstante quouis priuilegio, & consuetudine etiam immemoriali in contrarium. Dixi 2 præter Prædicatores & Minores, nam de istis disponitur in Clem. *dudum de sepul.* quod electi à suis Prælatis coram ordinario se præsentent, humiliter petentes, vt suo placito liceat suarum ouium audire confessiones: & si ordinarius ex causa rationabili aliquem expellit, non potest confessiones audire: si tamen sine causa expellatur, non manet expulsus, sed à Papa tunc sibi conceditur ibi iurisdictio; imo si non

expe-

expectata præsentatione dicta, ordinarius præmoriens dicat; non præsentetis aliquos Religiosos; quia non admittemus, secundum Card. ibi possint qui erant præsentandi, confessiones audire absque alia præsentatione. Nec reuocatur dicta Clementina in Conc. Trid. loc. cit. quia ibi tantum reuocantur mera priuilegia & consuetudines contrariæ, vt ibi exprimitur. At illa facultas Prædicatorum & Minorum est inserta in iure communi illius Clementinæ, sicut aliæ leges Ecclesiæ, & iuxta morem loquendi Iuristarum, nomine priuilegij non intelligitur quod est in corpore iuris insertum. *Secundo*, quod lex de nouo instituta non reuocat priuilegia in iure inserta, nisi de illis fiat expressa mentio, licet apponat quaslibet non obstantias generales & reuocet omnia priuilegia, quia priuilegia in iure inserta vendicant sibi aliud nobilius nomen, & sunt iam leges communes; *Ita communiter Iurista in l. hæreses absens, ff. de iudicijs. Feli. c. 1. de rescrip n. 12. Naua. lib. 3. cons. 87. tit. de regu. Bart. vel diuersius in authen. qua in prouincia, & alij quos refert & sequitur Manu. Rod. in qq. reg. to. 1. qu. 59. art. 2.*

Si arguas ex ca. licet de const. in 6. vbi habetur, quod Princeps condens legem censetur abrogare priorem contrariam, cum præsumatur habere totum ius in scrinio pectoris sui: *Ad hoc respondetur*, quod hoc decretum non intelligitur generaliter, ita quod ferente Papa aliquam legem negatiuam, deroget omnibus affirmatiuis circa eadem materiam. Hoc enim est contra Doctores communiter sentientes quod nulla lex posterior absolutè lata derogat legi speciali, vel priuilegijs in iure insertis, si nulla sit istorum mentio. Sicut lex concedens nobilibus noctu arma deferre, non reuocatur per legem postea absolutè præcipientem, quod nullus tunc arma deferat, sine reuocatione prioris legis; & patet hoc ex regula 34. de reg. iuris in 6. quæ sic ait. *generi per speciem derogatur*, id est, legi generali per specialem derogatur; & secundum hoc ait Naua. *lib. 3. cons. 1. de clericis non residen.* quod leges generales limitantur per particulares. Intelligitur ergo illud decretum, quando duæ leges contrariæ conduntur, & dicuntur contrariæ, non quando vna est negatiua, & altera affirmatiua; sed quando sunt incompatibiles, vt istæ; compatres possunt contrahere matrimonium, compatres non possunt cõtrahere matrimonium. Tunc enim quando vna istarum legum editur, altera reuocatur, licet non fiat mentio illius. Bene tamen compatiun-

patiuntur inter se duæ leges, quarum vna est vniuersalis negatiua, altera particularis affirmatiua; vt istæ; Nullus regularis sine approbatione ordinarij, audiat sæcularium confessiones; Fratres Prædicatores, & Minores sine tali approbatione audiant sæcularium confessiones Præterquam quod Concilium tantum procedit contra audientes sæcularium confessiones ex consuetudine, aut priuilegio; vt patet ex tex. dum subditur, *quibusuis consuetudinibus & priuilegijs in contrarium non obstantibus*; quod est priorum verborum explicatio, non tamen loquitur contra Fratres Prædicatores, & Minores, qui ex iure communi dictæ *Clem.* dudum de sepul. cum sola præsentatione coram Episcopis modo ibi declarato, illud (vt iam dixi) præstare possunt.

2. Conclu. Religiosi ab Episcopo approbati, etiam parocho renuente, possunt audire confessiones ouium talis Episcopi. Ita concessit minoribus *Alexan.* 4. *Bu.* 24. vbi eis concedit, posse prædicare, & confessiones audire assensu parochorum minime requisito. *Et Clem.* 4. *Bul* 10 concedit Minoribus, quod si talis licentia prædicandi, & confessiones audiendi, detur eis à legatis Papæ, possint ea vti sine consensu inferiorum Prælatorum & curatorũ, & à *Ioan.* 22. *Bu.* 1. damnatur Ioannes de Poliaco asserens quod confessi religiosis expositis tenentur iterum eadem peccata confiteri proprio Sacerdoti, aut parocho; & *Sixt.* 4. *Bu.* 33. pro Prædicatoribus, committit inquisitoribus hæreticæ prauitatis hoc punire. Ex dictis patet, quod licet clerici ab Episcopo expositi cum limitatione ne confessiones audiant renuente parocho, non possint confessiones audire parocho renuente, cum iurisdictio istorum sit à solo Episcopo, & sit ab eo limitabilis; secus tamen est de religioso exposito cum eadem limitatione: quia dicta Pontificum priuilegia religiosis concessa hoc illis concedunt expresse, quæ concessio non potest ab Episcopo tolli aut limitari. 3

DVBIVM II.

An religiosi cum sola licentia ordinarij & sine præsentatione facta per suos superiores possint audire confessiones ouium talis ordinarij. 4

1. Conclusio. Religiosi nostri Ordinis Prædicatorum sine dicta præsentatione, etiam cum licentia ordinarij, non absol-

soluunt validè. Cauetur enim in constitutionibus istius ordinis, ne isti religiosi audiant extraneorum confessiones, sine licentia & approbatione sui ordinis. Ita in dis. 2. c. 12. Et in ca. Romæ, anno 1589. statuitur authoritate Apostolica, quod nullus admittatur ad confessiones fratrum, aut sæcularium, nisi per quinque examinatores, & vbi tot non suppetunt idonei patres, per tres ad minus idoneus iudicetur; & præcipitur examinatoribus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub excommunicatione latæ sententiæ; vt per vota secreta sua dantes suffragia, secluso omni particulari affectu insufficientes excludant, & sufficientes admittant tantum. Et in capitulo Venetijs celebrato anno 1592. idem etiam statuitur, & suspenduntur non approbati, vt supra, ab audientia confessionum, quousque per quinque examinatores per vota secreta sint approbati.

Secundo, in quadam Bulla Iul. 2. intimata in capitulo generali Salmanticæ, an. 1551. sub Francisco Romeo Castelionensi tunc Magistro generali, & in isto capitulo acceptata, annullantur omnes licentiæ obtentæ, & obtinendæ ab ordinarijs per dictos religiosos ad confessiones audiendũ sine licentia & consensu suorũ Prælatorum. Ita etiam refert Rod. in qq. reg. to. 1. q. 60. art. 3. Et licet aliæ religiones possint vti ista Bulla per communicationem, cum contineat priuilegium concessum in fauorem iurisdictionis Prælatorum regularium, ad quos spectat præsentare suos religiosos ab ordinario approbandos, si tamen tales Prælati ista Bulla non vtantur, eorum religiosi possunt absoluere sæculares iuxta potestatem sibi ab eorum ordinarijs concessam. Non tamen poterunt absoluere à casibus tali ordinario reseruatis: quia priuilegia Papæ concedentia religiosis posse absoluere à casibus ordinario reseruatis, supponunt quod sint ordinario præsentati per suos superiores. *Ita communiter Doctores in 4. d. 17. Nau. in Man. c. 9. nu. 6. Enriq. l. 3. de pœnit. c. 6. n. 6. & idem sentit Manu. Rod. de casibus Papæ reseruatis:* nõ enim est credibile Papã concedere absolutionẽ à suis casibus, & non à casibus Episcoporum.

5 2. Concl. Taliter est necessaria omnibus religiosis dicta præsentatio, quod si semel per suos superiores præsentati, & ab ordinario expositi, iuridicè & legitimè per suos Prælatos inhibeantur, & suspendantur ab audientia confessionum & intentent absoluere, nihil faciunt. *Ita Sil. ver. confessor. 2. §. 11. Lud. Lop. to. 2. c. 8. de Bulla, & Man. Rod, art. 2.* Et patet ex priui-

priuilegio à Leo. 10. concesso Prædicatoribus ad instantiam sui generalis Stephani Vsus maris, dato Romæ die 7. Ian. anni 1515. vbi reuocantur licentiæ concessæ & concedendæ suis religiosis, ad confessorē eligendum, & confessiones audiendū, quas ipse magister generalis reuocandas iudicauerit, & vndecumque manaturas gratias, sine licentia Superiorum concedendas annullat, nisi manu Papæ, aut Cardinalis protectoris sint signatæ; ergo religiosi Ordinis Prædicatorum, & alij etiā per communicationem, non faciunt confessiones validas contra prohibitionem iuridicam suorum Prælatorum. Dixi, si iuridice inhibeantur; nam si per prohibitionem extraiudicialem interdicatur religiosus à suo superiore, ne audiat confessiones, peccabit illas audiendo, *secundum Soto d. 18 q. 4. a. 3. circa fin. & Lu. Lop. contra Cano. relec. de pœni p. 5.* tamen confessiones erunt validæ; & ita intelligit Ledesm. c. 13. de pœn. dub. 12. & patet, quia iam iste est adeptus legitimam approbationē, sed in religionibus bene & suauiter omnia disponentibus, non potest quis priuari officio Prædicatoris, vel Confessoris, nisi per sententiam latam in conuictum; cum priuatio ista inter pœnas grauiores computetur; ergo per simplicem Prælati prohibitionem non manet religiosus dictis officijs priuatus.

DVBIVM III.

An approbatio regularium possit ab ordinario limitari ad certum tempus, locum & personas. 6

1. Conclusio. Si ordinarius sine rationabili causa limitat regularium approbationem, manet limitata quantum ad iurisdictionem ab eo delegatam, non tamen quantum ad iurisdictionem ex priuilegio Papæ concessam ipsis Religiosis semel approbatis; sed quantum ad hoc sunt habendi veluti absolutè approbati; *Ita Enriq. lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 8.*

2. Concl. Si ordinarius ex rationabili causa sicut ex defectu scientiæ pro mercatoribus, &c. restringat regularium approbationem, valet restrictio, nec potest religiosus etiam per Bullam, aut sua priuilegia agere contra illam restrictionem; *Ita Angelus. ti. confessor. 4. n. 25.* conceditur enim Episcopis in Clem. *dudum, de sepult.* posse ex rationabili causa non approbare religiosum à suo Prælato præsentatum; ergo à fortiori possunt limitare approbationem ex causa rationa-

bili, ita vt sit approbatus ad certum locum & non ad alia vbi maiori scientia opus est, & sit approbatus ad certum tempus; vt vacet studijs. Ex dictis patet; quod sicut approbatus pro omnibus, exceptis negotiantibus ex defectu scientiæ, non est ab istis, etiam per bullam, eligibilis in confessorem, sic nec approbatus pro omnibus, exceptis mulieribus ex defectu ætatis, est ab istis etiam per bullam eligibilis in confessorem, nec pro illis idoneus censetur: quia idoneitas confessoris consistit non tantum in sciendi peritia, sed etiam in probitate vitæ, in morum venustate, modestia & discretione, vt colligitur ex Clement. *dudum. de sepult.* quæ idoneitas regulariter non reperitur in sacerdote iuueni respectu fœminarum. *Ita tenet Lud. Lop. 2 p. c. 8. de Bulla, & hoc reputat securius Led. c. 13 de pœnit. & Manu. Rod. in sum. 1. p. c. 60 nu. 4. licet alij aliter probabiliter sentiant, sicut Antolinez in expositione Cruciata, Enr. to. 1. l. 6. c. 6 num. 8. Vega t. 1. c. 62. casu 75. in fi. Et Sanch. to. 3. de matrim. disp. 74. n. 16.*

DVBIVM IV.

7 *An approbatio, seu expositio regularium ad confessiones audiendum, sit perpetua.*

1. Conclu. Sacerdos sæcularis aut regularis expositus pro certo tempore, illo tempore finito, finitur eius expositio: nisi in casu, quo quis sit expositus, vsque ad Dominicam in Albis, verbi gratia, & audita infra illud tempus alicuius confessione, oportuit differre absolutionem per aliquot dies, tunc poterit ille sacerdos illum pœnitentem absoluere, etiam post Dominicam in Albis. Ita Ledes. c. 12. de pœnit. licet oppositum reputet securius: sed patet, quia confessor ille habuit tunc iurisdictionem ad audiendam illam confessionem, & differendam absolutionē pro tempore sibi viso conuenienti, iuxta cap. *omnis vtriusque sexus, de pœnit. & rem.* ergo potest perficere Sacramentum, licet enim expirasset licentia audiendi nouas confessiones, non tamen licentia finiendi inceptas.

2. Concl. Religiosi semel expositi ad confessiones audiendum in aliqua diœcesi, si inde exeant & iterum reuertantur, non tenentur se iterum præsentare eidem Episcopo pro noua licentia. Ita concessit *Eug 4.* inter viua ora, de quo Soto, *d. 18. qu. 4, art. 3. & Nau. in Man. c. 27. n. 262.* Imo nec tenen-
tur

tur se præsentare Episcopo successori dum non reuocat eorum licentias, *vt ait Silu. ver. confessor. 2. n. 4. & Ange. ver. confessor. 4. n. 25.* & idem etiam est de quouis confessore, etiam sæculari, *vt ait Led. & iuxta dicta a nobis c. 3. dub. 1.*

Maior difficultas est, *an talis expositio possit reuocari ab Episcopo qui exposuit, vel saltem ab Episcopo succedente;* & ad hoc sit.

1. Concl. Expositio regularium non potest reuocari ab Episcopo qui exposuit, nec à capitulo Sede vacante. Ita concessit *Clem. 4. Bul. 4* potest tamen reuocari ab Episcopo succedente. Ita *Pius 5 Bul. 10.* vbi decernitur, quod religiosus semel ab Episcopo præuio examine approbatus, ab eodem iterũ non debet examinari, bene tamen ab Episcopo successore: non obstantibus priuilegijs, &c. vbi reuocat quoad hoc, quod antea concesserat inter viua orac. die 23. Martij anno 1567 reualidando priuilegia Minorũ in foro conscientiæ, licet sint cõtra Conc. Trid. Item, similis declaratio facta à Congregatione Card. refertur à Man. Rod. in qq. reg. to. 1. q. 95. art. 4. Et talis Congregatio Concilij censuit regulares semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterũ ab eodẽ Episcopo non esse examinandos Bene tamen à successore iuxta constitutionem prædictã *Pij V* quæ à *Greg 13.* nõ est reuocata per reductionẽ priuilegiorum mendicãtium ad terminos iuris, & Conc. Trid. & ista declaratio Congreg. Cardin. in tempore *Sixt. 5.* & post *Greg. 13.* facta est, & sic à *Greg. 13.* non potuit reuocari.

4. Concl. Probabile est expositionem fratrum Prædicatorum & Minorum esse perpetuam. Ita tenet Manu. Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 59. & probat *primo*, & extraua. *inter cunctas,* vbi ista perpetuitas istorum ordinum pro confessionibus audiendis, videtur insinuata dum dicitur: data vero licentia (prædictis scilicet religiosis) per diœcesanorum mortem nolumus terminari; quæ verba videntur approbari in Clem. *dudum de sepult.* dum conceditur Prædicatoribus & Minoribus eadem authoritas quam habent parochi, sed Episcopi à parochis tollere authoritatem absoluendi minime possunt cum de iure diuino illam habeant: vt patet ex Conc. Trid. sess. 23. c. 15. id insinuant: ergo idem videtur dicendum de prædictis religiosis. *Si dicas,* dictos religiosos habere extensiue tantam authoritatem, quantam parochi; & hoc probare argumentum, non tamen quod illam habeant eo modo quo parochi; alias de iure diuino illam haberent: Ideo proba-

faciunt possint audire confessiones, vbi non sunt approbati. Ita in compend. Societ. rit. confessores. §. 2.

Quinto, in bulla plumbea Cruciatæ conceditur sumenti illam, posse eligere in confessorem ex regularibus semel tantũ approbatum, hoc est, approbatum semel ab aliquo ordinario.

3. Concl. Religiosi possunt vti dictis priuilegijs, etiam extra sua monasteria, quia secundum Pan in ca. *tuarum*, & in c. *cum capella, de priuil.* quando datur exemptio ratione loci, scilicet ratione alicuius Ecclesiæ, aut monasterij, sicut sunt priuilegia concessa religiosis ad celebrandum in suis Ecclesijs in tempore interdicti, non habet locum, nisi in suis Ecclesijs, attamen quando datur exemptio ratione personæ, sicut priuilegia dicta supra, comitatur ipsam personam. *Secundo*, quia *Pius 4. Bul. 3. & Pius 5. Bul. 7.* concesserunt religiosis, alias scilicet expositis, posse vbique etiam extra conuentum ministrare fidelibus Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

DVBIVM VI.

9 *An religiosi expositi possint absoluere à casibus Papæ.*

1. Concl. Regularis, sicut & alius Sacerdos ab ordinario approbatus, potest absoluere habentes Bullam Cruciatæ, à casibus Papæ (sola hæresi excepta) semel in vita, & in articulo mortis. Ita habetur in Bulla: vbi etiam conceditur, bis sumenti Bullam intra annum, posse bis in vita à prædictis (excepta hæresi) absolui.

2. Conclusio. Regulares (alias approbati, iuxta Concil. Triden. sess. 23. ca. 15.) possunt iuxta sua priuilegia absoluere quoties opus sit, omnes fideles à casibus, sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis. Ita habetur in priuilegio *Pau. 3. Bul. 6.* de qua dub præc. conc. 2. & intelligitur satisfacta parte modo explicando cap. 7. dub. 1. nec hoc priuilegium suspenditur per Bullam, iuxta dicta cap. 3. dub. 7.

3. Concl. Religiosi in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere, etiam à reseruatis in Bulla Cœnæ. Ita concessit religiosis Societatis *Pau. 1. Bul. 8. & Adri. 6. Bul. 1.* iam concesserat ad instantiam *Carol. 5.* Imperatoris, quod Prouinciales Indiarum & fratres

quibus

quibus ipsi commiserint, possint omnes Indos & omnes Christicolas comitantes ad opus conuersionis absoluere in vtroque foro, & Papæ authoritatem quantam iudicauerint expedire pro conuersione Indorum, & manutentione ac profectu illorum, ac aliorum præfectorum in fide Catholica & obedientia Romanæ Ecclesiæ viuentium. Vide c. 5. dub. 1.

DVBIVM VII.

An religiosi expositi possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis. 10

1 Concl. Regularis sicut & alius sacerdos ab ordinario approbatus, potest quoties opus sit absoluere habentes Bullam Cruciatæ à casibus Episcopo reseruatis. Patet in Bulla.

2. Concl. Probabilius est posse religiosos, stando in solo iure communi & secluso priuilegio, absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis. *Ita Diuus Ant. 3. p. tit. 17. cap. 11. Silu. ver. casibus, & ver. confessio. n. 28. Tabie. ver. dispensatio, §. 15. Armi. ver. absolutio. n. 25. Panor. in c. super specula, ne cler. vel monach. Bonif. in clem. dudũ, de sepult. & alij contra Nau. in man. c. 27 n. 363. & contra alios*: sed conclusio patet, quia quando alicui conceditur priuilegiũ ad instar aliorum, non limitatur isti, si postea alijs limitatur, sed in Clem. *dudum de sepult.* conceditur Prędicatoribus & Minoribus, & consequenter alijs religionibus per cõmunicationem, *iuxta dicta dub. 4. in finem*, facultas absoluẽdi à casibus, à quibus curati de iure possunt absoluere: & ibi datur facultas curatis absoluendi ab omnibus, exceptis casibus in iure Episcopo reseruatis: ergo licet post hæc sit limitata curatis ista potestas per Episcopum, vel Papam, non ex hoc limitatur religiosis, sicut è contra, si extenderetur curatis, non ex hoc extenderetur religiosis, secundum Bonif. loco cit. *Secundo*, quia in dicta Clemen. datur religiosis à Papa tanta facultas, quanta in iure conceditur curatis: nec habuit Papa respectum ad statuta Episcoporum, quæ pro loco & tempore variantur: maximè, quia Episcopi tunc habebant alios casus ex consuetudine sibi reseruatos, vt patet ex extrau. *inter cunctas, de priuil.* quæ præcessit dictam Clem. *dudum*.

3. Concl. Religiosi iuxta sua priuilegia, possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis.

Patet *Primò*,ex concessione *Paul.* 3.cit. dub. 5. vbi conceditur religiosis Societatis, posse absoluere ab omnibus casibus,censuris & pęnis,solis casibus Bullæ Cęnæ exceptis.
Secundò,*Eug.* 4. *Bul.* 11.concessit Benedictinis, posse absoluere fideles ab omni peccato, excommunicatione, suspensione,ac interdicto,exceptis Papæ reseruatis: & inter viua ora. concessit Confessoribus Ordinis Prædicatorum, vt dum sunt in itinere, aut alibi, ita quod non possint petere casus Episcopales,eo ipso possint vti plenarie authoritate Episcopi. *Tertio*,*Vrba*.4. vt constat ex Bu. 37.*Sixt.*4. concessit Carmelitis, posse audire confessiones fidelium, nisi talia commisetint, ob quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda. Et *Eug.* 4.vt constat ex eadem Bul.*Sixti* concessit eisdem Carmelitis, eandem in hoc potestatem quam habent ex officio Minores pœnitentiarij Romanæ Curiæ. Nec obstat si Carmelitæ non vtantur isto priuilegio, ad hoc quod alij religiosi illo vti valeant per communicationem: cum per communicationem non communicetur priuilegiorum vsus, aut non vsus, sed ius vtendi priuilegijs, iuxta dicta l.2.c. 4. Ex dictis patet, quod licet *Pius* 2.& *Sixtus* 4.*Bu.*42.concesserint Benedictinis Valeoleti; posse absoluere sæculares in suo conuentu à casibus Episcopi, tamen in dictis priuilegijs nulla ponitur restrictio: & sic religiosi possunt absoluere à concessis in illis, etiam dum existunt extra sua monasteria.
Si arguas primo, quòd videntur dicta priuilegia reuocari in Conc.Trid.ses.14.c.7. vbi declaratur, posse Episcopos reseruare casus, à quibus inferiores absoluere non possunt: *ad hoc respondetur*,quod in Conc.Trid. non reuocantur regularium priuilegia,& multo minus, Clem.*dudum de sepult.* vbi Prædicatoribus & Minoribus, & consequenter alijs per communicationem,conceditur posse absoluere à casibus Episcopo extra ius reseruatis:cũ non fiat expressa mentio istorum priuilegiorum,sicut fit semper quoties in aliquo decreto intenditur alicuius priuilegij reuocatio: iuxta dicta ca.3.dub. 6. Nec ista Episcoporum reseruatio est impertinens;tum quia est alias necessaria de lege ordinaria & efficaciam habens secluso priuilegio,tum etiam,quia vim habet respectu non habentium priuilegium,scilicet clericorũ.*Si arguas secundo*, quòd consultus Papa cum Cong.Card. an religiosi per sua priuilegia, possint absoluere à casibus Episcopi,resp.*Greg.*13.Romæ die 5.Sept. anni 1577.quod non. Item,Episcopo Caiet.consulenti Congr.
Card.

Card an per bullas ordinarias,in quibus conceditur posse absolui à casibus Papæ, comprehendantur etiam casus reseruati Episcopis & Prælatis religionum; respond. quod non, nisi de eis fiat expressa mentio, *ad hoc respondetur Greg XIII.* die 10.Maij anni 1583.declarasse, non esse mentis suæ, quod per dictam reuocationem sit derogata facultas religiosorum Societ.Iesu,eamq; quatenus opus est confirmat Ita refert collector priuilegiorum Societatis absolut. §. 1. Ex quo sequitur religiosos istos, & alios cum istis communicantes, posse virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopi,iuxta dicta c.4.conc.3.maxime in 2. corollario.

DVBIVM VIII.

An religiosi in Sacramento pœnit possint cum fidelibus dispensare in votis & iuramentis. 11

1. Conclus. Religiosi ad confessiones expositi ab ordinario, possunt dispensare in votis Episcopo reseruatis, quia *Eug IV.bul.25.& Iul.II.bul.23.* hoc concesserunt priori, seu præsidẽti & quatuor monachis ab istis deputatis, vel ad nutũ deputandis conuẽtus Benedictini Valeoletani: & licet istæ cõcessiones petant talium dispensationẽ fieri debere in istorum conuentu,tamen *Mart.V.* idem eisdem sine tali restrictione concessit. Ita habetur in com.Soc.ti.de pœn.§.10. imo licet religiosi non possint dispensare in votis Papæ reseruatis,scilicet in votis simplicibus absolutæ & perpetuæ castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ & Cõpostellanæ,quãdo sunt absoluta, bene tamen quãdo ista vota sũt pœnalia, aut cõditionata,quia vt sic non sunt Papæ reseruata.

2. Concl. Licet qui etiam ex priuilegio potest dispensare in votis possit illa à fortiori commutare, cum sit minus commutare quam dispensare, tamen vltra hoc possunt religiosi commutare in quoduis opus pium omnia vota præter illa quinque Papæ reseruata. Ita concessit Benedictinis. *Eug. IV. bul.11.& Paul.III.* Societati *bul.7.& Greg. XIII. vt refert Manu. Rod. in qq.reg. tom.1.q.61.art.5.* extendit prædictam concessionem ad vota iurata eiusdem materiæ, dum tamen non fiat commutatio in præiudicium tertiæ personæ, non tamen fit in præiudicium tertiæ personæ, quando iuramentum factum Deo, de dando calicem vni Ecclesiæ, commutatur aut

appli-

applicatur alteri Ecclesiæ: vt cum communi sententia tenet Nauar. & ista concessio *Greg.* est peculiaris: quia licet qui potest dispensare & commutare vota, idem possit circa iuramenta votiua, cum idem sit & simul reseruentur & concedantur, *vt ait Sot. 8. de iust. q. 1. art. 9.* non tamen potest ex hoc dispensare aut commutare vota iurata, ob duplex vinculum, voti scilicet, & iuramenti. *Ita Enriq. l. 7. de indulg. c. 30. lit. Y & Man. Rod. loco cit. Secundo, Sixtus IV.* vt dicitur cap. 7. dub. 1. conc. 2. inter alia concessit Minimis, posse omnia vota commutare & relaxare, sicut potest diœcesanus.

3. Conclusio. Qui potest dispensare & commutare vota, melius faciet vtendo in hoc vtraque potestate; vt sic defectus in assignando sufficientem materiam pro commutatione, suppleatur per dispensationem: & causa sufficiens maior pro dispensatione quam pro commutatione, suppleatur per commutationem.

4. Conclusio. Probabilis est sententia Nauar. in Manu. c. 27. n 272. quod cui conceditur dispensare & commutare vota, non ex hoc possit dispensare, & commutare iuramenta votiua: cum sint distincta vincula, & quando Papa hoc concedere intendit, exprimit illud, tamen opposita sententia Soto, loco cit. vt dixi, est etiã valde probabilis: quod pro certo tenẽdum est de religiosis: cum ex cõcessione *Greg.* vt dixi, possint dispensare & cõmutare vota iurata, cũ limitatione prædicta.

DVBIVM IX.

12 *An religiosi ad confessiones expositi, possint cum coniugibus incestuosis, aut voto castitatis astrictis, dispensare in petitione debiti.*

1. Conclusio. Isti religiosi ex commissione suorum Prouincialium, possunt in foro tantum conscientiæ dispensare cum coniugibus qui carnaliter peccauerunt cum consanguineis alterius suis coniugis, vt possint petere debitum à suo coniuge. *Ita Pius V.* inter viua orac. imo & *Iul. II. Bul. 23.* iam concesserat Priori seu Præsidenti monasterij Benedictini Valleoletani, & tribus, aut quatuor monachis eiusdẽ conuentus per Priorem, seu Præsidentem deputandis, & ad nutum reuocandis, vt possint in suo monasterio cum prædictis dispensare: & ista concessio vt in eadem bulla habetur, est iam ex-

extensa ad alia monasteria dicti ordinis: & consequenter alijs ordinibus communicata iuxta dicta cap. 4.

2. Concl. Dicti religiosi ab ordinario expositi, ex commissione suorum Prouincialium, possunt in foro tantū conscientiæ, dispensare cum eo qui ante matrimonium vouit castitatem, vt possit à suo coniuge petere debitum. Ita cōcessit *Pius V.* inter viua ora. sed aduertant confessores, dispensatum, si soluto matrimonio superuixerit, non posse aliud matrimonium contrahere, & sic de facto peccando illud contrahat, non posse petere debitum à nouo coniuge sine noua dispensatione.

3. Concl. Prædictorum dispensatio, non potest fieri sine causa legitima, & erit pro tunc causa legitima, si coniuges non se possunt continere. *Ita Manu. Rod in sum. 1. p. c. 238.*

5. Conclus. Religiosi ab ordinario expositi, designati à suo generali, aut de istius licentia ab alio superiore dicto generali subordinato, possunt aperire literas sacræ pœnitentiariæ obsignatas & directas in foro conscientiæ Doctoribus in Theologia, vel iure canonico, & absoluere & dispensare iuxta earum tenorem. Ita concessit Societati Iesu *Greg. XIII. Bul. 33.*

CAPVT VII.

De priuilegijs regularium circa censuras Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Priuilegia regularium circa absolutionem à censuris? n. 1.
Priuilegia circa interdictum & cessationem à diuinis? n. 2.
An sint iam reuocata? n. 3.
An suspendantur per bullam cruciatæ? n. 4.

DVBIVM I.

An religiosi expositi possint absoluere à censuris. 1

1. Concl. Religiosi ab ordinario expositi possunt quoties opus sit absoluere ab omnibus censuris, etiam Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis. Patet ex dictis cap. 6. dub. 6. & 7. consequenter possunt absoluere manifestos percussores clericorum, & nominatim excommunicatos & alijs sententijs

latis

latis ab homine ligatos: non obstante quod *Leo X. in bul.* 45. de qua supra c. 3. dub. 5. decreuerat non posse religiosos absoluere sæculares à sententijs ab homine latis, reuocando contraria priuilegia: tum quia iuxta dicta ibi, priuilegia in illa bulla contenta, iam sunt iterum per alios Pontifices, maxime per *Paulum V.* confirmata & reualidata: tum etiam, quia alij Pontifices post *Leonem*, vt patet ex c.6. dub. 6. & 7 absolutè concesserunt religiosis posse absoluere à censuris, non excipiendo censuras ab homine latas, sed tantum reseruatas Papæ in bulla Cœnæ: & sic præter istas, alias à Papa, & alijs inferioribus latas tollere possunt, iuxta dicta l. 1. c. 6. dub. 15. *Item, Sixt. IV.* concessit Minimis posse absoluere ab omni excommunicatione, suspensione, interdicto, ac irregularitate, tã à iure, quam ab homine reseruatis, quoties opus sit, ac omnia vota commutare & relaxare, sicut potest diœcesanus: & quia posset dubitari an ista concedantur religiosis pro sæcularibus: ideo *Iul. II.* in confirmatione ordinis Minimorum, ait quod dicti Minimi quarumlibet personarum Ecclesiasticarum & sæcularium vbilibet possint audire confessiones, & ipsis auditis personas ipsas iuxta tenorem priuilegij *Sixti IV.* Minimis dudum concessi ac confirmati absoluere & pœnitentiam salutarem illis iniungere possint. *Ita refert Man. Rod. in q. reg. tom.* 1. *q* 61. *art.* 3.

2. Conclusio. Prædictæ absolutiones, sicut & absolutiones factæ per bullam Cruciatæ, valent etiam pro foro externo præmissa satisfactione: & sine illa pro foro conscientiæ tantum. *Ita Med. in sum l* 2. *c.* 12. *Nau. l.* 5. *cons.* 26. *tit. de sent. excomm. Man Rod. q.* 61. *art* 6. *contra Guti. & Cou. ab eo relatos.* Et confir. ex declaratione *Pij V* in quodam Iubileo ab eo concesso 15. Kalend. Nouemb anni 1568. vbi sic ait: *declarantes insuper tam præsentes quam alias quascumq; concessiones similium & dissimilium indulgentiarum, à nobis & prædecessoribus nostris emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas literas Christi fidelibus ipsis nisi ad eorum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum dumtaxat, non tamen in foro contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari*: vbi duo insinuantur.

Primo, quod satisfacta parte, possunt absolui etiam à censuris ab homine latis etiam in foro contentioso.

Secundo, quod possunt in foro conscientiæ absolui sine satisfactione: maxime cum cautione de satisfaciendo, cum

com-

cōmode fieri possit, sicut cum subscriptione pœnitentis, fideiussore, pignore, vel saltem præstito iuramento, si alia non sint possibilia.

CIRCA INTERDICTVM.

DVBIVM II.

An religiosi habeant aliquot priuilegia circa interdictum, & cessationem à diuinis, & an sint reuocata.

1. Conclus. Religiosi in hoc habent multa priuilegia. *Primò*, in conuentibus separatis à populo, possunt religiosi in tēpore interdicti generalis diuina celebrare alta voce, campanis pulsatis, ianuis apertis, exclusis tamen interdictis, scilicet specialiter, & excōmunicatis, scilicet non toleratis Ita concessit Cisterc. *Vrban. IV.* Bul. 3. & iuxta hoc *Iul. II. Bul. 9.* pro Minoribus cōcessit, quod si in aliquo oppido promulgetur interdictū extendendo illud ad tria milliaria, sic cōprehēdat aliquod Monasteriū religiosorum: non teneātur religiosi illud seruare, nisi alias Monasteriū existat intra terminū ex more præscriptū, vt iuxta ius cōmune teneantur religiosi illud seruare.

Secundò, Ecclesiæ religiosorum non possunt interdici specialiter, nisi religiosi dederint causam interdicto; vel nisi ille ad cuius instantiam interdicuntur, prouideat religiosis de victu. Ita concessit Minoribus *Leo X. Bul. 29.*

Tertiò, Religiosi in tempore interdicti, alias nō Apostolici, possunt canere benedictionem mensę, & gratias post refectionem, & facere processiones per claustra, canēdo hymnos, litanias & alia quæ sunt in vsu. Ita in cōpen. tit. interdictū. 1. §. 20

Quartò, in interdicto & cessatione, possunt religiosi bini, & plures extra Ecclesiam officiū diuinum recitare. Ita ibi §. 18.

Quintò, in interdicto etiam Apostolico, possunt religiosi celebrare publice & solemniter, festa Sanctorum ordinis etiam si talia festa in octauis habeant solam memoriam. Et etiamsi ista festa sint translata, cum quibus etiam indulgentiæ pro illis diebus transferuntur: & intelliguntur ista, nisi alias Ecclesiæ religiosorum sint specialiter interdictæ, aut ipsi religiosi sint nominatim interdicti, vel dederint causam interdicto. Ita concessit Prædicatoribus *Leo X. Bul. 34.* Et idem concessit pro cessatione *Iul. II Bul. 15.* idem concessit *Leo. X. Bul. 38. & 39.* cū dicta limitatione, & exclusis nominatim in-

ter-

bili, ita vt sit approbatus ad certum locum & non ad alia vbi maiori scientia opus est, & sit approbatus ad certum tempus, vt vacet studijs. Ex dictis patet, quod sicut approbatus pro omnibus, exceptis negotiantibus ex defectu scientiæ, non est ab istis, etiam per bullam, eligibilis in confessorem, sic nec approbatus pro omnibus, exceptis mulieribus ex defectu ætatis, est ab istis etiam per bullam eligibilis in confessorem, nec pro illis idoneus censetur: quia idoneitas confessoris consistit non tantum in sciendi peritia, sed etiam in probitate vitæ, in morum venustate, modestia & discretione, vt colligitur ex Clement. *dudum. de sepult.* quæ idoneitas regulariter non reperitur in sacerdote iuueni respectu fœminarum. *Ita tenet Lud. Lop. 2 p. c. 8. de Bulla, & hoc reputat securius Led. c. 13 de pœnit. & Manu. Rod. in sum. 1. p. c. 60 nu. 4. licet alij aliter probabiliter sentiant, sicut Antolinez in expositione Cruciata, Enr. to. 1. l. 6. c. 6 num. 8. Vega t. 1. c. 62. casu 75. in fi. Et Sanch. to. 3. de matrim. disp. 74. n. 16.*

DVBIVM IV.

7 ***An approbatio, seu expositio regularium ad confessiones audiendum, sit perpetua.***

1. Conclu. Sacerdos sæcularis aut regularis expositus pro certo tempore, illo tempore finito, finitur eius expositio: nisi in casu, quo quis sit expositus, vsque ad Dominicam in Albis, verbi gratia, & audita infra illud tempus alicuius confessione, oportuit differre absolutionem per aliquot dies, tunc poterit ille sacerdos illum pœnitentem absoluere, etiam post Dominicam in Albis. Ita Ledes. c. 12. de pœnit. licet oppositum reputet securius: sed patet, quia confessor ille habuit tunc iurisdictionem ad audiendam illam confessionem, & differendam absolutionẽ pro tempore sibi viso conuenienti, iuxta cap. *omnis vtriusque sexus, de pœnit. & rem.* ergo potest perficere Sacramentum, licet enim expirasset licentia audiendi nouas confessiones, non tamen licentia finiendi inceptas.

2. Concl. Religiosi semel expositi ad confessiones audiendum in aliqua diœcesi, si inde exeant & iterum reuertantur, non tenentur se iterum præsentare eidem Episcopo pro noua licentia. Ita concessit *Eug 4.* inter viua ora. de quo Soto, *d. 18. qu. 4, art. 3. & Nau. in Man. c. 27. n. 262.* Imo nec tenentur

tur se presentare Episcopo successori dum non reuocat eorum licentias, *vt ait Silu. ver. confessor. 2. n. 4. & Ange. ver. confessor. 4. n 25.* & idem etiam est de quouis confessore, etiam sæculari, *vt ait Led. & iuxta dicta a nobis c. 3. dub. 1.*

Maior difficultas est, *an talis expositio possit reuocari ab Episcopo qui exposuit, vel saltem ab Episcopo succedente*; & ad hoc sit.

1. Concl. Expositio regularium non potest reuocari ab Episcopo qui exposuit, nec à capitulo Sede vacante. Ita concessit *Clem. 4. Bul. 4* potest tamen reuocari ab Episcopo succedente. Ita *Pius 5 Bul. 10.* vbi decernitur, quod religiosus semel ab Episcopo præuio examine approbatus, ab eodem iterũ non debet examinari, bene tamen ab Episcopo successore: non obstantibus priuilegijs, &c. vbi reuocat quoad hoc, quod antea concesserat inter viua orac. die 23. Martij anno 1567 reualidando priuilegia Minorũ in foro conscientiæ, licet sint cõtra Conc. Trid. Item, similis declaratio facta à Congregatione Card. refertur à Man. Rod. in qq. reg. to. 1. q 95. art. 4. Et talis Congregatio Concilij censuit regulares semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterũ ab eodẽ Episcopo non esse examinandos Bene tamen à successore iuxta constitutionem prædictã *Pij V* quæ à *Greg* 13. nõ est reuocata per reductionẽ priuilegiorum mendicãtium ad terminos iuris, & Conc. Trid. & ista declaratio Congreg. Cardin. in tempore *Sixt. 5.* & post *Greg. 13.* facta est, & sic à *Greg. 13.* non potuit reuocari.

4. Concl. Probabile est expositionem fratrum Prædicatorum & Minorum esse perpetuam. Ita tenet Manu. Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 59. & probat *primo*, & extraua. *inter cunctas*, vbi ista perpetuitas istorum ordinum pro confessionibus audiendis, videtur insinuata dum dicitur: data vero licentia (prædictis scilicet religiosis) per diœcesanorum mortem nolumus terminari; quæ verba videntur approbari in Clem. *dudum de sepult.* dum conceditur Prædicatoribus & Minoribus eadem authoritas quam habent parochi, sed Episcopi à parochis tollere authoritatem absoluendi minime possunt cum de iure diuino illam habeant: vt patet ex Conc. Trid. sess. 23. c. 15. id insinuant: ergo idem videtur dicendum de prędictis religiosis. *Si dicas*, dictos religiosos habere extensiue tantam authoritatem, quantam parochi; & hoc probare argumentum, non tamen quod illam habeant eo modo quo parochi; alias de iure diuino illam haberent: Ideo proba-

tur *secundo*, quia *Pius V. Bul.* 12. declarat expositionem prædictorum religiosorum esse perpetuam. Nec reuocatur ista declaratio à *Greg.* 13. *Bul.* 38 vbi reuocantur omnia concessa Mendicantibus per *Pium V.* contraria Conc. Trident. Tum quia declarationes *Pij V.* cum sint declarationes Concil. Trid. non sunt contra Concil. Trident. vt dicemus cap. 9. dub. 5. Tum etiam, quia *Greg.* 13. reducit istam reuocationem ad terminos iuris communis, & Concil. Trid. sed concessio & declaratio *Pij V.* prout concernit Prædicatores & Minores, non est contraria decretis iuris, vel Conc. Trid ergo.

Si obijcias, quòd ex declarationibus allatis in tertia conclusione, sequitur Prædicatores & Minores, posse iterum examinari ab Episcopo successore, cùm ibi reuocentur contraria Priuilegia; *Ad hoc dico*, quod si declaratio *Pij V.* allata in tertia conclusione sit à *Greg.* 13. reuocata & reducta ad ius commune: iam secundum ius commune Clem. *dudum*, *de sepult.* non reuocatum in Conc. Trident. Prædicatorum & Minorum expositio est perpetua: si tamen non sit reuocata dicta declaratio, vt declarauit Congreg. Card. adhuc ista Prædicatorum & Minorum expositio est perpetua: cum ista perpetuitas competat illis ex iure communi dictæ Clementinæ, & non ex priuilegio, sicut alijs religionibus. In declaratione enim prædicta *Pij V.* sicut & in Concil. Trident. non reuocatur ius commune, vt ibidem patet, nec priuilegia in iure communi inserta, quia cum ista vendicent sibi aliud nobilius nomen, & sint iam leges communes, non manent reuocata per generalem reuocationem omnium priuilegiorum: *Ita communiter Iurista, in l. hæres absens ff. de iudicijs Feli. cap. 1. de rescrip num.* 12 *& Nau. l. 3. cons. 87. tit. de regularibus*, secus tamen est de alijs priuilegijs. Ex dictis patet, quod licet ante declarationes allatas in 3. Conc. Clem. *dudum* esset extensa, & communicata August. per *Clem. V.* & Carmelitis per Ioannem 21. vt refert Manua. Rod. quia tamen extensio ista non competit illis ex iure commubi, sed ex mero priuilegio reuocato iam per istas declarationes, si valent, vt certum puto, vel per Conc. Trid. si dictæ declarationes sint reuocatæ & reductæ ad ius commune, & à Conc. Trident. iam non fauent eis, vt patet.

D V.

DVBIVM V.

An expositio regularium pro vna diœcesi, valeat pro aliis diœcesibus. 8

1. Concl. negatiua; stando in iure communi: *Ita Archidi. in cap. per lectis 25. d. 17. Sil. ver. confessor. 1. §. 14. Soto d. 18. q. 4. art. 3. & communiter*: & quando in Conc. Triden. sess. 23. c. 15. dicitur, quod confessarius sit ab Episcopo approbatus, intelligitur ab Episcopo eius cuius confessionem audit: nec est audiendus Cord. in addit. ad § 16. vbi ait, quod regularis in vna diœcesi approbatus, est pro omnibus approbatus: ex eo, quod *Clem. 7. vt habetur in compen. mend ti. absolutio quo ad saculares 1. §. 16.* concessit Minimis alicui Episcopo præsentatis, non debere iterum præsentari, licet ad aliam transeant diœcesim, sed ista concessio *Clem. 7.* est similis illi concessioni *Eug. 4* de qua dub. præce. conc 2.

2. Concl. Religiosi ex priuilegio possunt aliquando audire confessiones ouium diœcesis, vbi non sunt approbati.

Primò, Nic. 5. Bul. 2. & Leo 10. inter viua ora. concesserunt Minoribus obseruantiæ, vt in diœcesi vbi sunt expositi, audiant confessiones quorumlibet fidelium.

Secundò, Sixtus 4. inter viua ora. concessit Minoribus posse audire confessiones sæcularium, vndequaque venientium ea authoritate quam habent ab Episcopo diœcesis vbi existunt.

Tertiò, Pau. 3. Bu. 7. concessit Presbyteris Societatis *Iesu* (alias scilicet iuxta Conc. Trid. ses 25. c. 15. approbatis ab ordinario) posse absoluere omnes fideles, etiam à reseruatis Papæ extra Bullam Cœnæ. *Et not* quod licet ista concessio vniuersaliter loquatur de omnibus fidelibus, non tamen intelligitur de religiosis, quidquid aliqui improbabiliter dicant: cum isti ex vi suorum statutorum & Priuilegiorum, non possint absolui sine licentia suorum Superiorum, aut alio clariori indulto, iuxta dicta l. 1. c. 6. dub. 11. & 12. nec in concessionibus generalibus, vnquam Papæ videantur derogare statutis quæ ignorant: iuxta notata in c. *ex parte, de foro competenti: ita Silu. ver. confessor 2. n. 6. Armi. ver. absolutio. n. 2.*

Quartò, Greg. 13. concessit Confessoribus & Prædicatoribus Societatis, semel ab aliquo ordinario approbatis, & à suis Superioribus ad ista officia deputatis; vt quoties iter

 faciunt

faciunt possint audire confessiones, vbi non sunt approbati. Ita in compend. Societ. rit. confessores. §. 2.

Quinto, in bulla plumbea Cruciatæ conceditur sumenti illam, posse eligere in confessorem ex regularibus semel tantū approbatum, hoc est, approbatum semel ab aliquo ordinario.

3. Concl. Religiosi possunt vti dictis priuilegijs, etiam extra sua monasteria, quia secundum Pan in ca. *tuarum*, & in c *cum capella, de priuil.* quando datur exemptio ratione loci, scilicet ratione alicuius Ecclesiæ, aut monasterij, sicut sunt priuilegia concessa religiosis ad celebrandum in suis Ecclesijs in tempore interdicti, non habet locum, nisi in suis Ecclesijs, attamen quando datur exemptio ratione personæ, sicut priuilegia dicta supra, comitatur ipsam personam. *Secundo*, quia *Pius 4. Bul. 3. & Pius 5. Bul. 7.* concesserunt religiosis, alias scilicet expositis, posse vbique etiam extra conuentum ministrare fidelibus Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

DVBIVM VI.

9 *An religiosi expositi possint absoluere à casibus Papæ.*

1. Concl. Regularis, sicut & alius Sacerdos ab ordinario approbatus, potest absoluere habentes Bullam Cruciatæ, à casibus Papæ (sola hæresi excepta) semel in vita, & in articulo mortis. Ita habetur in Bulla: vbi etiam conceditur, bis sumenti Bullam intra annum, posse bis in vita à prædictis (excepta hæresi) absolui.

2. Conclusio. Regulares (alias approbati, iuxta Concil. Triden. ses. 23. ca. 15.) possunt iuxta sua priuilegia absoluere quoties opus sit, omnes fideles à casibus, sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis. Ita habetur in priuilegio *Pau. 3. Bul. 6.* de qua dub præc. conc. 2. & intelligitur satisfacta parte modo explicando cap. 7. dub. 1. nec hoc priuilegium suspenditur per Bullam, iuxta dicta cap. 3. dub. 7.

3. Concl Religiosi in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere, etiam à reseruatis in Bulla Cœnæ. Ita concessit religiosis Societatis *Pau. 1. Bul. 8. & Adri. 6. Bul. 1.* iam concesserat ad instantiam *Carol. 5.* Imperatoris, quod Prouinciales Indiarum & fratres

quibus

quibus ipsi commiserint, possint omnes Indos & omnes Christicolas comitantes ad opus conuersionis absoluere in vtroque foro, & Papæ authoritatem quantam iudicauerint expedire pro conuersione Indorum, & manutentione ac profectu illorum, ac aliorum præfectorum in fide Catholica & obedientia Romanæ Ecclesiæ viuentium. Vide c. 5. dub. 1.

DVBIVM VII.

An religiosi expositi possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis. 10

1 Concl. Regularis sicut & alius sacerdos ab ordinario approbatus, potest quoties opus sit absoluere habentes Bullam Cruciatæ à casibus Episcopo reseruatis. Patet in Bulla.

2. Concl. Probabilius est posse religiosos, stando in solo iure communi & secluso priuilegio, absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis. *Ita Diuus Ant. 3. p. tit. 17. cap. 11. Silu. ver. casibus, & ver. confessio. n. 28. Tabie. ver. dispensatio, §. 15. Armi. ver. absolutio. n. 25. Panor. in c. super specula, ne cler. vel monach. Bonif. in clem. dudũ, de sepult. & alij contra Nau. in man. c. 27 n. 363. & contra alios*: sed conclusio patet, quia quando alicui conceditur priuilegiũ ad instar aliorum, non limitatur isti, si postea alijs limitatur, sed in Clem. *dudum de sepult.* conceditur Prędicatoribus & Minoribus, & consequenter alijs religionibus per cõmunicationem, *iuxta dicta dub. 4. in finem*, facultas absoluẽdi à casibus, à quibus curati de iure possunt absoluere: & ibi datur facultas curatis absoluendi ab omnibus, exceptis casibus in iure Episcopo reseruatis: ergo licet post hæc sit limitata curatis ista potestas per Episcopum, vel Papam, non ex hoc limitatur religiosis, sicut è contra, si extenderetur curatis, non ex hoc extenderetur religiosis, secundum Bonif. loco cit. *Secundo*, quia in dicta Clemen. datur religiosis à Papa tanta facultas, quanta in iure conceditur curatis: nec habuit Papa respectum ad statuta Episcoporum, quæ pro loco & tempore variantur: maximè, quia Episcopi tunc habebant alios casus ex consuetudine sibi reseruatos, vt patet ex extrau. *inter cunctas, de priuil.* quæ præcesit dictam Clem. *dudum*.

3. Concl. Religiosi iuxta sua priuilegia, possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis.

Patet *Primò*, ex concessione *Paul.* 3. cit. dub. 5. vbi conceditur religiosis Societatis, posse absoluere ab omnibus casibus, censuris & pœnis, solis casibus Bullæ Cœnæ exceptis.

Secundò, *Eug.* 4. *Bul.* 11. concessit Benedictinis, posse absoluere fideles ab omni peccato, excommunicatione, suspensitione, ac interdicto, exceptis Papæ reseruatis: & inter viua ora. concessit Confessoribus Ordinis Prædicatorum, vt dum sunt in itinere, aut alibi, ita quod non possint petere casus Episcopales, eo ipso possint vti plenarie authoritate Episcopi. *Tertio*, *Vrba.* 4. vt constat ex Bu. 37. *Sixt.* 4. concessit Carmelitis, posse audire confessiones fidelium, nisi talia commiserint, ob quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda. Et *Eug.* 4. vt constat ex eadem Bul. *Sixti* concessit eisdem Carmelitis, eandem in hoc potestatem quam habent ex officio Minores pœnitentiarij Romanæ Curiæ. Nec obstat si Carmelitæ non vtantur isto priuilegio, ad hoc quod alij religiosi illo vti valeant per communicationem: cum per communicationem non communicetur priuilegiorum vsus, aut non vsus, sed ius vtendi priuilegijs, iuxta dicta l. 2. c. 4. Ex dictis patet, quod licet *Pius* 2. & *Sixtus* 4. *Bu.* 42. concesserint Benedictinis Valeoleti, posse absoluere sæculares in suo conuentu à casibus Episcopi, tamen in dictis priuilegijs nulla ponitur restrictio: & sic religiosi possunt absoluere à concessis in illis, etiam dum existunt extra sua monasteria.

Si arguas primo, quòd videntur dicta priuilegia reuocari in Conc. Trid. sess. 14. c. 7. vbi declaratur, posse Episcopos reseruare casus, à quibus inferiores absoluere non possunt: *ad hoc respondetur*, quod in Conc. Trid. non reuocantur regularium priuilegia, & multo minus, Clem. *dudum de sepult.* vbi Prædicatoribus & Minoribus, & consequenter alijs per communicationem, conceditur posse absoluere à casibus Episcopo extra ius reseruatis: cũ non fiat expressa mentio istorum priuilegiorum, sicut fit semper quoties in aliquo decreto intenditur alicuius priuilegij reuocatio: iuxta dicta ca. 3. dub. 6. Nec ista Episcoporum reseruatio est impertinens; tum quia est alias necessaria de lege ordinaria & efficaciam habens secluso priuilegio, tum etiam, quia vim habet respectu non habentium priuilegium, scilicet clericorũ. *Si arguas secundo*, quòd consultus Papa cum Cong. Card. an religiosi per sua priuilegia, possint absoluere à casibus Episcopi, resp. *Greg.* 13. Romæ die 5. Sept. anni 1577. quod non. Item, Episcopo Caiet. consulenti Congr.

Card.

Card an per bullas ordinarias, in quibus conceditur posse absolui à casibus Papæ, comprehendantur etiam casus reseruati Episcopis & Prælatis religionum; respond. quod non, nisi de eis fiat expressa mentio, *ad hoc respondetur Greg XIII.* die 10. Maij anni 1583. declarasse, non esse mentis suæ, quod per dictam reuocationem sit derogata facultas religiosorum Societ. Iesu, eamq; quatenus opus est confirmat Ita refert collector priuilegiorum Societatis absolut. §. 1. Ex quo sequitur religiosos istos, & alios cum istis communicantes, posse virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopi, iuxta dicta c. 4. conc. 3. maxime in 2. corollario.

DVBIVM VIII.

An religiosi in Sacramento pœnit possint cum fidelibus dispensare in votis & iuramentis. 11

1. Conclus. Religiosi ad confessiones expositi ab ordinario, possunt dispensare in votis Episcopo reseruatis, quia *Eug IV. bul.* 25. & *Iul. II. bul.* 23. hoc concesserunt priori, seu præsidēti & quatuor monachis ab istis deputatis, vel ad nutū deputandis conuētus Benedictini Valeoletani: & licet istæ cōcessiones petant talium dispensationē fieri debere in istorum conuentu, tamen *Mart. V.* idem eisdem sine tali restrictione concessit. Ita habetur in com. Soc. ti. de pœn. §. 10. imo licet religiosi non possint dispensare in votis Papæ reseruatis, scilicet in votis simplicibus absolutæ & perpetuæ castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ & Cōpostellanæ, quādo sunt absoluta, bene tamen quādo ista vota sūt pœnalia, aut cōditionata, quia vt sic non sunt Papæ reseruata.

2. Concl. Licet qui etiam ex priuilegio potest dispensare in votis possit illa à fortiori commutare, cum sit minus commutare quam dispensare, tamen vltra hoc possunt religiosi commutare in quoduis opus pium omnia vota præter illa quinque Papæ reseruata. Ita concessit Benedictinis. *Eug. IV. bul.* 11. & *Paul. III.* Societati *bul.* 7. & *Greg. XIII.* *vt refert Manu. Rod. in qq. reg. tom.* 1. *q.* 61. *art.* 5. extendit prædictam concessionem ad vota iurata eiusdem materiæ, dum tamen non fiat commutatio in præiudicium tertiæ personæ, non tamen fit in præiudicium tertiæ personæ, quando iuramentum factum Deo, de dando calicem vni Ecclesiæ, commutatur aut

appli-

applicatur alteri Ecclesiæ: vt cum communi sententia tenet Nauar.& ista concessio *Greg.*est peculiaris: quia licet qui potest dispensare & commutare vota, idem possit circa iuramenta votiua, cum idem sit & simul reseruentur & concedantur, *vt ait Sot.8.de iust.q.1.art.9.* non tamen potest ex hoc dispensare aut commutare vota iurata, ob duplex vinculum, voti scilicet, & iuramenti. *Ita Enriq.l.7.de indulg.c.30. lit. Y & Man.Rod.loco cit.Secundo,Sixtus IV.* vt dicitur cap.7. dub.1.conc.2.inter alia concessit Minimis, posse omnia vota commutare & relaxare, sicut potest diœcesanus.

3. Conclusio. Qui potest dispensare & commutare vota, melius faciet vtendo in hoc vtraque potestate; vt sic defectus in assignando sufficientem materiam pro commutatione, suppleatur per dispensationem: & causa sufficiens maior pro dispensatione quam pro commutatione, suppleatur per commutationem.

4.Conclusio.Probabilis est sententia Nauar.in Manu.c.27. n 272. quod cui conceditur dispensare & commutare vota, non ex hoc possit dispensare, & commutare iuramenta votiua: cum sint distincta vincula, & quando Papa hoc concedere intendit, exprimit illud, tamen opposita sententia Soto, loco cit.vt dixi,est etiã valde probabilis:quod pro certo tenẽdum est de religiosis:cum ex cõcessione *Greg.* vt dixi,possũt dispensare & cõmutare vota iurata,cũ limitatione prædicta.

DVBIVM IX.

12 ***An religiosi ad confessiones expositi, possint cum coniugibus incestuosis, aut voto castitatis astrictis, dispensare in petitione debiti.***

1. Conclusio. Isti religiosi ex commissione suorum Prouincialium, possunt in foro tantum conscientiæ dispensare cum coniugibus qui carnaliter peccauerunt cum consanguineis alterius suis coniugis, vt possint petere debitum à suo coniuge. *Ita Pius V.* inter viua orac.imo & *Iul. II. Bul.* 23. iam concesserat Priori seu Præsidenti monasterij Benedictini Valeoletani, & tribus, aut quatuor monachis eiusdẽ conuentus per Priorem, seu Præsidentem deputandis, & ad nutum reuocandis, vt possint in suo monasterio cum prædictis dispensare: & ista concessio vt in eadem bulla habetur, est iam ex-

extensa ad alia monasteria dicti ordinis: & consequenter alijs ordinibus communicata iuxta dicta cap. 4.

2. Concl. Dicti religiosi ab ordinario expositi, ex commissione suorum Prouincialium, possunt in foro tantū conscientiæ, dispensare cum eo qui ante matrimonium vouit castitatem, vt possit à suo coniuge petere debitum. Ita cōcessit *Pius V.* inter viua ora. sed aduertant confessores, dispensatum, si soluto matrimonio superuixerit, non posse aliud matrimonium contrahere, & sic de facto peccando illud contrahat, non posse petere debitum à nouo coniuge sine noua dispensatione.

3. Concl. Prædictorum dispensatio, non potest fieri sine causa legitima, & erit pro tunc causa legitima, si coniuges non se possunt continere. *Ita Manu. Rod in sum. 1. p. c. 238.*

5. Conclus. Religiosi ab ordinario expositi, designati à suo generali, aut de istius licentia ab alio superiore dicto generali subordinato, possunt aperire literas sacræ pœnitentiariæ obsignatas & directas in foro conscientiæ Doctoribus in Theologia, vel iure canonico, & absoluere & dispensare iuxta earum tenorem. Ita concessit Societati Iesu *Greg. XIII. Bul. 33.*

CAPVT VII.

De priuilegijs regularium circa censuras Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Priuilegia regularium circa absolutionem à censuris? n. 1.
Priuilegia circa interdictum & cessationem à diuinis? n. 2.
An sint iam reuocata? n. 3.
An suspendantur per bullam cruciatæ? n. 4.

DVBIVM I.

An religiosi expositi possint absoluere à censuris. 1

1. Concl. Religiosi ab ordinario expositi possunt quoties opus sit absoluere ab omnibus censuris, etiam Papæ extra Bullam Cœnæ reseruatis. Patet ex dictis cap. 6. dub. 6. & 7. consequenter possunt absoluere manifestos percussores clericorum, & nominatim excommunicatos & alijs sententijs

latis

latis ab homine ligatos: non obstante quod *Leo X. in bul.* 45. de qua supra c. 3. dub. 5. decreuerat non posse religiosos absoluere sæculares à sententijs ab homine latis, reuocando contraria priuilegia: tum quia iuxta dicta ibi, priuilegia in illa bulla contenta, iam sunt iterum per alios Pontifices, maxime per *Paulum V.* confirmata & reualidata: tum etiam, quia alij Pontifices post *Leonem*, vt patet ex c. 6. dub. 6. & 7 absolutè concesserunt religiosis posse absoluere à censuris, non excipiendo censuras ab homine latas, sed tantum reseruatas Papæ in bulla Cœnæ: & sic præter istas, alias à Papa, & alijs inferioribus latas tollere possunt, iuxta dicta l. 1. c. 6. dub. 15. *Item, Sixt. IV.* concessit Minimis posse absoluere ab omni excommunicatione, suspensione, interdicto, ac irregularitate, tā à iure, quam ab homine reseruatis, quoties opus sit, ac omnia vota commutare & relaxare, sicut potest diœcesanus: & quia posset dubitari an ista concedantur religiosis pro sæcularibus: ideo *Iul. II.* in confirmatione ordinis Minimorum, ait quod dicti Minimi quarumlibet personarum Ecclesiasticarum & sæcularium vbilibet possint audire confessiones, & ipsis auditis personas ipsas iuxta tenorem priuilegij *Sixti IV.* Minimis dudum concessi ac confirmati absoluere & pœnitentiam salutarem illis iniungere possint. *Ita refert Man. Rod. in q reg. tom. 1. q 61. art. 3.*

2. Conclusio. Prædictæ absolutiones, sicut & absolutiones factæ per bullam Cruciatæ, valent etiam pro foro externo præmissa satisfactione: & sine illa pro foro conscientiæ tantum. *Ita Med. in sum l. 2. c. 12. Nau. l. 5. cons. 26. tit. de sent. excomm. Man Rod. q. 61. art 6. contra Guti. & Cou. ab eo relatos.* Et confir. ex declaratione *Pij V* in quodam Iubileo ab eo concesso 15. Kalend. Nouemb anni 1568. vbi sic ait: *declarantes insuper tam præsentes quam alias quascumq; concessiones similium & dissimilium indulgentiarum, à nobis & prædecessoribus nostris emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas literas Christi fidelibus ipsis nisi ad eorum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum dumtaxat, non tamen in foro contentioso, nisi satisfecerint, vllatenus suffragari*: vbi duo insinuantur.

Primo, quod satisfacta parte, possunt absolui etiam à censuris ab homine latis etiam in foro contentioso.

Secundo, quod possunt in foro conscientiæ absolui sine satisfactione: maxime cum cautione de satisfaciendo, cum

com-

cōmode fieri possit, sicut cum subscriptione pœnitentis, fideiussore, pignore, vel saltem præstito iuramento, si alia non sint possibilia.

CIRCA INTERDICTVM.

DVBIVM II.

An religiosi habeant aliquot priuilegia circa interdictum, & cessationem à diuinis, & an sint reuocata.

1. Conclus. Religiosi in hoc habent multa priuilegia. *Primò*, in conuentibus separatis à populo, possunt religiosi in tēpore interdicti generalis diuina celebrare alta voce, campanis pulsatis, ianuis apertis, exclusis tamen interdictis, scilicet specialiter, & excōmunicatis, scilicet non toleratis Ita concessit Cisterc. *Vrban.IV.* Bul.3. & iuxta hoc *Iul.II.Bul.9.* pro Minoribus cōcessit, quod si in aliquo oppido promulgetur interdictū extendendo illud ad tria milliaria, sic cōprehēdat aliquod Monasteriū religiosorum: non teneātur religiosi illud seruare, nisi alias Monasteriū existat intra terminū ex more præscriptū, vt iuxta ius cōmune teneantur religiosi illud seruare.

Secundò, Ecclesiæ religiosorum non possunt interdici specialiter, nisi religiosi dederint causam interdicto; vel nisi ille ad cuius instantiam interdicuntur, prouideat religiosis de victu. Ita concessit Minoribus *Leo X. Bul.*29.

Tertiò, Religiosi in tempore interdicti, alias nō Apostolici, possunt canere benedictionem mensę, & gratias post refectionem, & facere processiones per claustra, canēdo hymnos, litanias & alia quæ sunt in vsu. Ita in cōpen. tit. interdictū. 1. §. 20

Quartò, in interdicto & cessatione, possunt religiosi bini, & plures extra Ecclesiam officiū diuinum recitare. Ita ibi. §. 18.

Quintò, in interdicto etiam Apostolico, possunt religiosi celebrare publice & solemniter, festa Sanctorum ordinis etiam si talia festa in octauis habeant solam memoriam. Et etiamsi ista festa sint translata, cum quibus etiam indulgentiæ pro illis diebus transferuntur: & intelliguntur ista, nisi alias Ecclesiæ religiosorum sint specialiter interdictæ, aut ipsi religiosi sint nominatim interdicti, vel dederint causam interdicto. Ita concessit Prædicatoribus *Leo X. Bul.* 34. Et idem concessit pro cessatione *Iul.II Bul.* 15. idem concessit *Leo. X. Bul.* 38. & 39. cū dicta limitatione, & exclusis nominatim in-

ter-

terdictis, & excommunicatis non toleratis, pro festo Conceptionis, Natiuit. ac Visitat. B. Virginis, & pro Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, & pro festis & octauis Patronorum suarum Ecclesiarum & Sanctorum quorum corpora in eorum Ecclesijs sunt condita, & à primis vesperis Dominicæ in Ramis, vsque ad Dominicam in Albis, & pro Missis nouis religiosorum à primis vesperis vsque ad finitam Missam, & pro tempore quo religiosus, vel religiosa profitetur, aut velum accipit, potest interdictum suspendi. *Item*, interdictum latum ab ordinario, potest suspendi in domibus religiosorum ad sepeliendum ibi religiosos, cum solemnitate & campanis. Ita concessit Minoribus Iul II. bul. 7. imo & per bullã concessam Benedictinis, *vt habetur in compen. mendi. tit. interdictum* 1. §. 24. *& tit. interdictum* 2. §. 10. potest suspendi omne interdictum etiam Apostolicum & cessatio à diuinis, ad sepeliendos religiosos, etiam nouitios, conuersos & famulos solemniter cum officio & Missa, exclusis specialiter interdictis & excommunicatis non toleratis. Quin etiam in festis in quibus religiosi suspendunt interdictum, possunt omnes fideles ibi cum dicta solemnitate sepeliri, ac alia fieri, ac si non esset interdictum, exclusis iam dictis. Ita concessit *Leo X.* loco citato §. 7. & 11. & sic iuxta istam concessionem, possunt tunc in Ecclesijs religiosorum omnia Sacramenta ministrari; vt ibi exprimitur. Ita Cord. in quadam resolutione ab eo circa hoc facta. Vbi nota, quod quoties in domibus religiosorum suspenditur interdictum, aut cessatio, possunt clerici, & alij ibi solemniter omnia quæ religiosi, exercere. *Ita loc. cit.* §. 1. 2. *&* 3. *& Silu. ver. interdictum* 5. *q* 5. §. 7.

Sexto, famuli, procuratores negotiorum religiosorum & operarij non ligantur interdicto aut excommunicatione lata in personas, aut terras vbi religiosi habitant, & possunt audire diuina in interdicto, nisi sint excommunicati, aut specialiter interdicti, vel ei causam dederint. Ita *Alex. IV Bul.* 7. imo ex concessione *Eug IV. Bul* 9. pro Benedictinis, omnes habitantes intra septa monasterij in interdicto, possunt non tantũ audire diuina, sed & Sacramenta recipere. *Item* in interdicto & cessatione, fratres omnes, etiã conuersi, nouitij, donati, moniales, seruitores, famuli & famulæ monasteriorum, possunt omnia Sacramenta recipere: dũ tamen Eucharistiam recipiãt corã valentibus ex iure, aut priuilegio audire officia diuina. *Ita in compend. mendi. tit. interdictũ* §. 4 *& t. interdictum* 2. §. 11.

11. *Item* tertiarij, beatæ, serui, familiares, domestici, sindici, œconomi, procuratores, aduocati, officiales ordinarij monasteriorum, religiosorum & monialium in interdicto generali, aut speciali interesse possunt diuinis, & in domibus religiosorum sine pompa sepeliri, & ibi omnia Sacramenta recipere cùm cautela cap. *Alma mater*, dùm tamen prædicti, nec sint excommunicati, nec dederint causam interdicto: & iuxta ius commune & religiosorum priuilegia, familiares & domestici vocantur qui in domibus religiosorum commorantur, & illorum bonis aluntur, licet aliquando ob aliqua negotia absint à monasterijs: & sic ancillæ, & seruitrices monialium, & aliæ mulieres intra illarum monasteria existentes, licet sint portionistæ, gaudent dicto priuilegio, *vt habetur loco cit. tit. interdictum 3.* & idem etiam est de operarijs ob stipendium pro diebus operis, & de famulis operarijs, & mercenarijs residentibus in grangijs, aut alijs locis religiosorum, qui dicto gaudent priuilegio, quando veniunt ad domos religiosorum. *Item* Prælati regulares possunt eligere sex personas successiuè, quæ in interdicto speciali & cessatione; alias non latis à Papa vel authoritate Apostolica, possint gaudere prædictis: Ita concessit *Nicol. V. Bul. 4.* Et per aliam concessionem cuiusdam legati à latere, possunt eligere ad prædicta quindecim personas, dùm tamen non sint excommunicatæ non toleratæ, vel specialiter interdictæ, nec dederint causam interdicto. *Ita in compend. Cisterc. c interdictum 1. §. 23. & 24.*

Septimo, ex concess. Iul. II. loco cit. §. 14. possunt religiosi facere in interdicto speciali, omnia quæ facere possunt in interdicto generali: & ista est magna concessio: quia iuxta ius commune, quando suspenditur interdictum non suspenditur pro personis & Ecclesijs specialiter interdictis: & iuxta istam concessionem, quæ fiunt in interdicto generali in Ecclesijs religiosorum, licite etiam fiunt in eisdem Ecclesijs, etiam specialiter interdictis, licet non coram personis specialiter interdictis. Et *Leo X.* inter viua orac. concedit religiosis, vt eodem modo se gerant, etiam quoad familiares, & alios de quibus supra, in cessatione, ac interdicto.

12. Concl. Dicta priuilegia habent modo suam vim, nec sunt reuocata, etiam in Conc. Trid. *Ita Medin. in sum. lib. 1. §. 13. Lud. Lop. 2. p. c. 21. & alij quos refert & sequitur Man. Rod. in expositione Cruciatæ, §. 5. contra Nauar. in Manu. c. 27. n. vlt.* & patet conc. ex dictis cap. 3. dub. 6. *Si obijcias*, quòd

quòd in Conc. Trid. sess. 25. c. 12. præcipitur religiosis seruare interdicta ordinariorum: & confirmatur, quia licet *Pius V. Bul.* 7. declaret Conc. Trident. non intelligi in festis religiosorum & octauis, in quibus religiosi non obstante interdicto, possunt diuina solemniter celebrare: tamen postea *Gregor. XIII. Bul.* 38. reuocauit bullam *Pij V.* & vult non habere vim in contrarijs Conc. Trid. & licèt postea idem *Greg. Bul.* 1. pro Minoribus confirmet, & de nouo concedat omne id quod non contrariatur Concil. Trid. & alias sit in vsu: tamen priuilegium non seruandi interdictum in dictis festis videtur contra Concil. Trid. Ad hoc respondetur, Concilium tantum præcipere, quod religiosi seruent interdicta ordinariorum, sicut de facto seruant: sed non reuocat dicta priuilegia, in quibus conceditur religiosis posse aliquando suspendere interdictũ, & aliqua ministeria in interdicto exercere. Mens ergo Concilij est reuocare aliquarum religionum priuilegia, in quibus concedebatur eis, nulla interdicta seruare, sicut fuit concessũ religiosis Sancti Ioannis hospitalis Hierusalem per *Anastasiũ IV. Alex. III. & IV. Vrb. 3. Clem. III. & IV.* & idẽ erat concessũ Minimis per Leo. X. hæc & similia priuilegia reuocantur à Conc. Trid. loc. cit. *Ex quo sequitur* dicta priuilegia non esse reuocata cum non sint contra Conc. nec declaratio *Pij* citata, est quoad hæc per *Greg.* reuocata cum nec sit contra Concil. Trident.

D V B I V M III.

4 *An per bullam Cruciatæ suspendantur dicta priuilegia.*

1. Concl. Bulla Cruciatæ non suspendit priuilegia in iure communi inserta, nec consuetudinem habentem vim legis: quia vt ait Bart. in extrauag. *ad reprimendam, verbo non obstantibus:* ad hoc quod ista reuocentur, debet fieri expressa illorum mentio, sicut sæpe fit in Conc. Trid. & in bulla Cœnæ vbi priuilegia, & consuetudines immemoriales solent reuocari. *Secundò*, priuilegia inserta in iure communi pertinent iam ad ius commune: ex quo colligunt Doctores, initiatos prima tonsura posse in interdicto interesse diuinis: cum hoc sibi in iure concedatur, *secundum Naua. in manu. c. 27. n. 173.* & potestas Prælatorum regularium ad concedendas literas fraternitatis, in quibus admittunt sæculares ad suffragia ordinis non suspenditur per bullam; & sæculares,

etiam

etiam sine bulla possunt illis frui, cum facultas ista sit de iure communi, *secundum Nauar. de indulg. notabili 31. nu. 21. & 22. ergo; &c.*

2. Concl. Religiosi etiam sine bulla gaudent dictis priuilegijs: cum in bulla expresse excipiantur priuilegia concessa Superioribus mendicantium quoad sibi subditos, licèt suspendantur quoad sæculares, & sic famuli & alij sæculares nominati dub. 2. imo & donati non habentes animum perseuerandi, non possunt in regnis vbi Bulla Cruciatæ prædicatur interesse diuinis sine tali bulla, nisi forte quis eorum sit necessarius pro adiuuando in Missa: tunc enim iste iuxta ius commune potest assistere.

3. Concl. Religiosi etiam sine bulla rectè suspendunt interdictum iuxta sua indulta, & sæculares tunc etiam sine bulla, si alias non sint excommunicati, aut specialiter interdicti, aut dederint illi causam, licitè assistunt diuinis: quia priuilegium suspendendi tunc interdictum, etiam pro sæcularibus, non suspenditur per bullam iuxta dicta c. 3. dub. 7. Item, *Leo X* inter viua orac. n 19. concedit Minoribus, quod per bullam Cruciatæ, aut aliam gratiam generaliter reuocantem omnia priuilegia etiam mendicantium, non intelligantur reuocata, aut suspensa indulta, priuilegia, aut gratiæ concessæ quoad personas Minorum, & quoad suspendendum interdictum in festis Sanctorum sui ordinis, nisi de istis fiat expressa mentio, de quo vide cap. 3. dub. 4.

An vero dicta priuilegia concessa pro tempore cessationis, valida sint etiamsi cessatio sit rigorosa, vtpote quando in Ecclesia non celebrantur diuina, nisi baptismus pro paruulis & Sacramentum Pœnitentiæ pro adultis. In hoc aliqui negant, sed licet hoc ita verum sit, respectu particularium personarum, vt in suis domibus, vel in altari portatili in Ecclesia audiant Missam: secus tamen est de priuilegijs, in quibus ista religiosis pro tempore cessationis conceduntur: quia religiosorum priuilegia sunt ample interpretanda, iuxta dicta c. 2. dub. 2. & ita habet vsus.

CAPVT VIII.

De priuilegijs circa Sacramentum Ordinis & Officium diuinum.

SVMMARIVM.

Priuilegia religiosorum circa Sacramentum Ordinis ? n.1.
Priuilegia circa Officium diuinum? n.2.

DVBIVM I.

An priuilegia aliqua habeant religiosi circa Sacramentum Ordinis, & quæ sint ista.

1. Concl Religiosi circa Sacramentum ordinis habent priuilegia. *Primo*, etsi nouitij alias non habentes beneficiũ Ecclesiasticum sufficiens ad victum, iuxta Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de refor. & *Pium V. bul.* 26. ad sacros ordines promoueri non possint, nec aliter promoti in altari ministrare valeant; tamen *Greg. XIII. bul.* 25. hoc reuocat pro religiosis Societatis: & præcipit ordinarijs vt istos religiosos cum licentia suorum superiorum ordinent, etiam extra tēpora in tribus festis continuis, & non seruatis interstitijs, & absq; vlla ordinum functione, nec eos inquirant de cantu, de officijs & ceremonijs Ecclesiasticis, vel de proprij ordinarij licentia, & Parochi approbatione in vita & moribus. Et *Greg. XIV bul.* 2. concessit istis religiosis emissis votis simplicibus ad sacros ordines promoueri posse, quibus priuilegijs gaudent omnes religiosi, iuxta dicta c. 4 conc. 3. in fine.

Secundo. Religiosi possunt extra tempora ordines recipere, iuxta declarationem Card. de qua cap. 3. dub. 6. cum in hoc habeant multa priuilegia, maximè priuilegium *Greg. XIII.* modo citatum pro Societate Iesu.

Tertio. Etsi in Conc. Trid. sess. 14. c. 2. statuatur quod quilibet à suo Episcopo ordinetur, aut si ab alio, cum dimissorijs proprij Episcopi, quod *Greg. XIII.* voluit intelligi etiam de religiosis: imo & Congreg. Card. de mandato *Sixti V.* & auditis procuratoribus circa hoc, idem ac *Greg. XII.* declarauit, tamen post hæc *Sixtus V.* ex sententia Congregationis

di-

dixit, regulares Prælatos suis posse concedere dimissorias ad Episcopum diœcesanum: & isto absente, aut ordines non conferente, vel sede vacante, de quo fiat mentio in dimissorijs ad quemlibet alium, modo ab isto quoad doctrinam examinetur. *Ita refert Manu. Rod. in compend. & Prosper. Farina. decis.* 240. Postea autem *Clem.* 8. hoc ipsum absolute, & sine dictis limitationibus *Sixt V.* concessit Cistercienfibus, *de quo Manu. Rodr. in qu. regul. tom.* 1. *qu.* 18. *art.* 6. & hoc ipsum prius concesserant *Vrban.* 2. *bul* 1. Benedictinis, & Minoribus *Alexand. V. bul.* 10. & Prædicatoribus *Sixtus* 4. *bulla* 33.

Quartò, Ex concessione *Eug.* 4. *bul.* 9. pro Benedictinis, quilibet Episcopus absq; diœcesani licentia, potest in monasterijs monachos ordinare: sed ista moderantur in bul. 45. *Leo.* X. de qua supra cap. 3. dub. 5. vbi quoad ordines habetur: Nullatenus in Ecclesijs, domibus, aut alijs locis religiosorum ab alio, quam ab diœcesano Episcopo, nisi isto, vel eius Vicario super hoc cum debita instantia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à diœcesi absente, ad dictos ordines promoueri debeant, scilicet, religiosi; sed vide supra loco citato an ista moderatio habeat modo suam vim.

Quinto, Abbas Benedictinus potest suos subditos, etiam sæculares, ad Minores ordines promouere. Ita concessit *Greg.* 9. *bul.* 23. & *Iul.* 2. *bul.* 25. & hoc ipsum conceditur Abbatibus, cap. *quoniam, dist.* 10. nec hoc reuocatur in Concil. Trid. sess. 23. cap. 10 pro sibi subditis regularibus, sed pro alijs. *Item, Innoc.* 8. *bul.* 5. concessit Abbati Cisterc. Cabilonensis diœc. & alijs quatuor Abbatibus aliorum conuentuum, & istorum successoribus, posse suis subditis conferre subdiaconatum & diaconatum ac alios ordines Minores.

Sexto, In monasterijs religiosorum ipsis inuitis, non possunt ordines celebrari, vel alia Pontificalia, exerceri, vel Synodi, aut processiones, Missæ, &c. celebrari, nec aliæ causæ agi. Ita concessit Cisterc. & *Eug.* 4. *bul.* 18. & *in bul.* 9. pro Benedictinis, idem mandatur Episcopis & ordinarijs. Ita etiam concessit August. *Sixt.* 4. *bul.* 34.

DVBIVM II.

2 *An religiosi habeant priuilegia circa officium diuinum.*

1. Conclusio. Religiosi possunt mentaliter legendo intra se per librum recitare horas, & alia quæ in officio diuino & Missa præcipiuntur dici secrete sub silentio. Ita concessit Minoribus *Leo.X.* inter viua ora.n.12.

2. Concl. Religiosi non valentes bene recitare in choro, ob defectum visus, vel auditus, si quid horarum sic omittant, satisfaciunt dicẽdo in fine horarum *Pater noster*, vel *Aue Maria.* Ita concessit Minoribus Innoc. VIII. inter viua ora. & *Leo.X.* inter viua ora. concessit plenariam indulgentiam, & remissionem omnium defectuum humana fragilitate, & non ex malitia cõmissorum in diuinis horis, dicendo hanc orationẽ, scilicet, *Sacrosanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri Iesu Christi humanitati, & beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, seu integritati, & omnium Sanctorum vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura, nobiscum remissio peccatorum, per infinita sæculorum sæcula. Amen. Et Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt Æterni Patris Filium. Et beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum.* Et deinde *Pater noster* & *Aue Maria* pro fœlici statu suæ Sanctitatis & Ecclesiæ. Et explicat idem *Leo* inter viua ora. nu. 69. sat esse, dicere ista in fine plurium horarum vno contextu dicendarum. Et vt notat Nau. *cap. 19. de oratione nu. 89.* ista priuilegia non intelliguntur de omittentibus aliquam partem notabilem, sed de omittentibus aliqua parua cum culpa veniali. Et ita etiam intelligitur aliud priuilegium Minoribus concessum à *Leo X. de quo Manu. Rod. in qq. regul. tom. 1. q. 41. art. 2.* quod scilicet satisfaciant præcepto recitandi horas, quando non integre pronuntiant, ob negligentiam, imperitiam, malam pronuntiationẽ naturalem, ob defectum linguæ, aut aliter horas imperfectè dicendo, vel cum animi distractione, sensuum vagatione: dum tamen hoc non fiat ex malitia, & quod recitantes cum istis non teneantur iterum recitare, ab istis imperfectè dicta, vel non integre audita, ob distantiam loci, ob strepitum, vel aliam causam.

3. Conclus. Religiosi dum prædicant, vel confessiones audiunt,

diunt, scilicet in aduentu, vel quadragesima, possunt officium feriale anticipare, & festa illis diebus seruare, quibus illos plus laborare necesse est: & non in fraudem officij diuini, sed vt liberius studio & consolationi spirituali fidelium vacent: Ita concessit Minoribus *Leo. X.* inter viua orac. n. 44.

4. Concl. Religiosi extra sua loca existentes, possunt se cum alijs regularibus & clericis conformare in diuino officio. Ita concessit Minoribus *Innoc. IV. bul.* 11.

CAPVT IX.

De priuilegijs circa temporalia.

SVMMARIVM.

Quomodo religiosi possint recipere nouas domos, & eas in alium locum transferre? n. 1.
An possint vnum monasterium alteri vnire? n. 2.
An sint exempti à legibus tributorum? n. 3.
An sint exempti à decimis soluendis? n. 4.
An sint exempti à solutione canonica & quarta funeralis? n. 5.

DVBIVM I.

An regulares possint noua loca & domos recipere, ac sua monasteria in alium locum transferre. 1

1. Concl. Religiosi mendicantes, domos, vel loca recipientes, vel recepta mutantes, alienantes, vel differentes, sine licentia Sedis Apostolicæ, excommunicantur in Clem. *cupientes, de pœnit. & rem* & in c. 1. *de excessibus prælat.* sed per priuilegia Minorum & Augustinianorũ, vt habetur in const. Prædicatorum, d. 2. cap. 1. possunt de nouo loca recipere, cum licentia tamen Episcopi: vt decernitur in Conc. Trid. sess. 25. c. 3. & ex decreto *Clem. VIII. bul.* 18. nõ possunt Episcopi dare istã licentiam, nisi vocatis & auditis prioribus vel procuratoribus conuentuum eiusdem oppidi, & alijs interesse habentibus, cognito quod sine istorũ conuentuum damno possint illi cõmodè sustentari: & si super hoc ad Sedem Apostolicã fit appellatio, erectio nouorũ conuentuum suspendatur, quo vs-

que à Sede Apostolica in eadem causa sit pronuntiatum, aliter factum sit irritum.

2. Concl. Prælati regularium possunt transferre monasteria fundata in locis sterilibus, & aquosis, aut dominorum temporalium eorum bona occupantium ad alia loca, cum suis reditibus, fructibus & prouentibus. Ita concessit Benedictinis Valeoletanis *Pius* 2. *bul.* 6. & Minoribus *Sixt.* 4. *bul.* 14. & Prædicatoribus *bul.* 33. *& Alex. IV. bul.* 7. & isti concesserunt posse secum bona deferre, & vendere ædificia, & solum, præter Ecclesias.

3. Concl. Nullus ordo etiam mendicantium, aut alia persona prope domos Carmelitarum, infra spatium centum quadraginta cannarum, per aerem mensurandarum, Ecclesiam, vel loca construat, aut de nouo recipiat. Ita *Sixtus IV. bul.* 37. & Augustinianis idem conceditur, respectu ordinum in paupertate fundatorum, per *Bonif.* 8. *bul.* 6. imo & Prædicatoribus conceditur per *Clem.* 4. *bul.* 7. quod nullus ordo in paupertate fundatus, qui ex suis legibus extra sua monasteria nullas debet habere possessiones, possit prope Ecclesias Prædicatorum ad trecentas cannas octo palmorum, per aerem mensurandas, monasterium Ecclesiam, vel oratorium construere, vel ex alio loco transferre: excipitur à prædictis ordo Minorum per *Iul. II. bul.* 10.

D V B I V M I I.

An religiosi possint vnum monasterium alteri reunire.

1. Conclus. Generales ordinum ac capitula generalia possunt monasteria & Prioratus ordinis, etiam monialium, vnire pauperibus monasterijs, sine licentia diœcesani, aut alterius, non obstantibus statutis Apostolicis, vel monasteriorum, etiã iuratis. Ita concessit Cisterc. *Ioan.* 23. *bul.* 1. *& Pius* 2. *bul.* 6. concessit Priori Benedictino Valeoletano, posse duo, vel tria monasteria, vbi ob exiguos reditus, tres aut quatuor monachi sustentari non possunt, cum consensu Superiorum talium conuentuum in vnum monasterium vnire, vbi duodecim saltem monachi constituantur: imo *Innoc.* 8. *bul.* 3. concessit Prædicatoribus, quod conuentus non valens sustentare octo religiosos, possit alteri incorporari per Vicarium congregationis cum diffinitoribus: dum tamen sine scandalo fiat & in

Ec-

Ecclesia loci incorporati non cesset cultus diuinus.

2. Conclus. Bona monasteriorum destructorum monialium Minoribus subiectarum, licet non sint sui ordinis, sunt applicanda Minoribus vicinioribus. Ita concessit *Sixtus 4. bul.*14. & idem concessit bul, 33. Prædicatoribus respectu monialium sibi subiectarum.

DVBIVM III.

An religiosi sint exempti à legibus tributorum. 3

1. Concl. Religiosi vtriusq; sexus, non tantum ex iure cõmuni sicut alij clerici, in cap. *quanquam, de censibus*, sed etiã per multa priuilegia sunt exempti à legibus tributorum.

*Primo, Alex.*4. statuit, quod imponentes Minoribus angarias, aut alias impositiones & exactiones, vel similia, sunt ipso facto excõmunicati. Et si contumaces ab hoc non desistant, non possũt absolui nisi à Papa. Ita in monum. ord. conc. 656.

*Secundo, Eug.*4 *bul.*29. facit amplissimam exemptionem pro monialibus S. Claræ: & in compen. Societ. ver. exemptio. §. 8. refertur alia amplissima exemptio pro Camaldulensibus.

Tertio, Pius V. bul. 7. eximit monasteria & collegia mendicantium à contributione pro seminarijs, quæ ab Episcopo exigitur, iuxta Conc. Trid. sess. 23. c. 18.

DVBIVM IV.

An religiosi sint excepti à decimis soluendis. 4

1. Conclus. Religiosi non tenentur decimas soluere de laboribus, quos suis manibus aut sumptibus colunt, nec de nutrimentis suorum animalium, vt concessit Benedictinis Benedict. XII. bul. 1.

2. Conclusio. Religiosi non tenentur decimas soluere, de suis bonis mobilibus, & immob. possessionibus, & prædijs præsentibus & futuris, etiam ab alijs conductis, dum tamen illa suis manibus, vel sumptibus excolantur, aut pro sustentatione excoli faciant. Nec tenentur decimare de pratis, herbis, pascuis, nutrimentis animalium, ac pastorum eorundem. Ita concessit fratribus de Guadalupe *Greg.* 11. *Mart. V. et Pau.* 3 anno 1535. *vt habetur in comp. D. Hieron. tit. deci-*

marum exemptio 12.15.& 16.*Item, Sixt.V. bul.*18. eximit religiosos S.Ioan.Hierosolymitani, vasallos, colonos, seruitores,&c.& ipsorum animalia, prædia, domos, molendina, & quæuis bona, à solutione decimarum, iurium, etiam synodalium, censuum & canonicarum portionum, seu charitatiui subsidij, aut iucundi aduentus, seu quartæ & aliorum onerum: & præcipitur ordinarijs, ne in hoc eos molestent.

3. Conclusio. Religiosi iuxta cap. *nuper, de decimis* tenebantur decimare de possessionibus acquisitis post Conc. latè, si alias de istis possessionibus decimæ soluebantur: sed iam ab ista decimarum solutione liberantur per *Paul. III bul* 8 vbi concedit Societati, vt de eorũ domibus, prędijs, hortis, ac alijs locis quæ pro eisdem emendis ipsis pro tempore largiri, vel donari contigerit, & de alijs bonis ab eis possessis & obtentis, non soluant decimã, etiam Papalem, seu canonicam portionem, nec ad prętationẽ procurationum Legatorum dictæ Sedis, vel exactionẽ collectarum, vel prouisionum quarumcumque, nec ad id per literas Apostolicas, possunt compelli, nisi istæ literæ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de Societate fecerint mentionem: & si per sedem Apostolicam ex pijs legatis dispositis vel relictis aliqua pars alteri piæ, vel nõ piæ causæ sit concessa vel concedatur, legata Societati, vel relicta, vel in fauorem eius disposita sub his concessionibus non comprehendantur, nisi de ipsa Societate & de hoc indulto, & de Pontificis voluntate fiat mentio in eisdem, & non per clausulas generales idem importantes. Sed quomodo ista verba intelligantur de concedendis ab isto met Papa hoc tenore ista concedente; Vide cap. 3 dub 4. Item posteà *Pius IV. bul.* 5. confirmauit exemptionem à quibusuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus, subsidijs, etiam charitatiuis & alijs ordinarijs oneribus, etiam pro expeditione contra infideles defensioneq; patriæ, ac alijs quomodolibet, etiam ab Imperatorum & inferiorum principum impositis: & licet in ipsa impositione caueatur, quod nulla omnino exemptio cuiq; aduersus illa suffragetur: & idem postea etiam confirmauit *Greg. XIII. bul.* 21. expressè derogando dicto c. *nuper de decimis*.

4. Conclusio. Religiosi non tenentur decimare, etiam de terris & possessionibus, alijs ad colendum traditis: imo ipsi possunt percipere decimas quas coloni tenentur alijs soluere, etiam si alijs in possessione, vel quasi, eas à colonis exacturi fue-

fuerint Ita concessit Cisterc. *Bonif.* 8. *Bul.* 10. *&* *Ioa.* 22. Carthusiensibus. vt habetur in compen. Cister. ver decima. §. 4. & idem *Bonif* 8. præcipit Prælatis Ecclesiæ, vt cum censuris inhibeant suis subditis, ne à fratribus hospitalis S. Ioa. decimas exigere præsumant de noualibus, vel alijs terris quas suis sumptibus, vel per suos amendatarios, vel cultores ad tempus; & non in perpetuum excoli faciunt, vel de animalium nutrimentis; vel aliorum à suis terris nascentium, vel de hortis, virgultis, & piscatoribus non obstante longua præscriptione, seu potius violenta supra dictis exactione eisdem fratribus irrogata: *Ita in comp. mendi. t i. decima* §. 7 *&* *Manu. Rod. in qq. reg. to. 2. q.* 44. *art.* 4. Item, *Cle.* 7. *Bul.* 10. concedit ordini Militæ S. Iacobi amplum priuilegium circa noc.

Ex dictis sequitur primò, dicta priuilegia finistrè interpretari ab aliquibus iudicibus Ecclesiasticis, dicendo quod quando religiosi proprijs manibus vel sumptibus dictas terras excolunt integram decimam recipere possunt: si tamen illas excolunt, per colonos, ex communi aceruo prius extrahatur reditus monasterio soluendus, & de residuo decima pars parocho soluatur, nisi alias per quadraginta annos religiosi integram decimam à colonis percepissent. *Sed ad hoc dico*, quod bona regularium per suum reale priuilegium eximuntur à decimis prædialibus, & non tenentur soluere decimam personalem, vel quartam, aut aliam partem: *vt probat Mandosius ad instar glo.* 15 *nu.* 4. Et cum sit priuilegium reale, vt constat ex littera priuilegiorum, terra cum eodem priuilegio transit ad colonos, quod adhuc clarius patet ex priuilegijs Societatis *Iesu*, & peritissimi iuristæ fatentur, concedere plenum ius exceptionis etiam colonis conducentibus religiosorum agros: & ita iudicatum est in multis tribunalibus in fauorem Societatis & colonorum, sicut Salmanticæ anno 1588. Beticæ, & Murtiæ adductis executoribus Pontificis mandatum est executioni, & contra confirmatum sententiam rei iudicatæ: *vt refert Enri. l 7. de indulg. c. 7. n. 7. art.* 1. & sic coloni debent soluere decimas monasterio. *Secundò sequitur*, quod vbi soluitur decima personalis, non tenentur seruitores monasteriorum eam soluere: alias monasteria illam decimam soluerent: cum seruitores carius operas suas locarent, si eam soluerent.

5. Concl. Moniales eodem modo ac religiosi sunt exemptæ à decimarum & primitiarum solutione. Ita concessit

mo-

monialibus S. Claræ *Bonif.* 8. *Bul.* 3. vbi eximuntur, à solutione decimarum, à contributione in procurationibus ordinariorum, legatorum, & nuntiorum Papæ, à collectis, talliis, pedagiis, à teloniis & aliis exactionibus, regibus, aut aliis soluendis, & idem eisdem concedit *Leo.* 10. *Bul.* 23. habentque moniales sua priuilegia communicationis, iuxta dicta supra c. 4.

DVBIVM V.

§ *An religiosi sint exempti à solutione canonicæ portionis, & quarta funeralis.*

Not. quod canonica portio dicitur, quæ à canonibus est approbata, & iure decretorũ debita; & est duplex: alia quæ debetur Episcopo ab omnibus Ecclesijs suæ diœcesis, vt habetur c. *de his* 10. *q.* 1. vbi dicitur, quod de terris, vineis, mancipiis, & peculiis Ecclesiæ à fidelibus oblatis tertia pars Episcopo fideliter deferatur; & intelligitur *secundum Panor. quem refert & sequitur Armi. ver. canonica portio, & secundum communem sententiam*, de Ecclesiis Episcopo immediate subiectis, & non de exemptis; quia ista portio debetur Episcopo ratione sollicitudinis, quam de suis tantum Ecclesiis habere debet; vt dicitur in c. *conquerente, de officio ordinarij.* Alia canonica portio debetur Ecclesiæ parochiali, de omnibus à suo parochiano relictis vel ratione funeris obuenientibus illi loco, vbi quis eligit sepulturam relicta sua parochia; vt habetur in Clem. *dudum, de sepult.* Et licet olim ista portio esset varia pro more patriæ, nam alibi medietas, alibi tertia pars soluebatur, tamen ibi taxatur quarta pars, & sic communiter appellatur quarta funeralis.

1. Concl. Stando in iure communi, & secluso priuilegio, vel consuetudine, religiosi omnes, etiam Prædicatores & Minores tenentur soluere dictam quartam funeralem, & non amplius. Ita in Clem. cit. vbi habetur, quod vltra dictam quartã, nil aliud valeant parochi exigere, nec religiosi amplius illis impendere teneantur, nec ad id ab aliquo cogantur, & reuocantur illic consuetudines & priuilegia illuc vsque concessa, & conuentiones, statuta & pacta in quantum alicui ex præmissis contrariantur.

2. Conclusio. Religiosi iam iuxta sua priuilegia, non tenentur soluere Episcopo, vel parocho dictam portionem, nec

de

de funeralibus, oblationibus, sepulturis, legatis, vltimis voluntatibus, nec de alijs pro victu, ornamentis, aut alijs quomodo. libet largitis: nec ipsi, nec qui eis illa soluunt, possunt ad illud coarctari; non obstante decreto Clem. *dudum de sepult.* & alijs statutis. Ita concessit post dictam clementinam *Eug.* 4. *Bul.* 12. pro Benedictinis & *Sixt.* 4. *Bul.* 14. pro Minoribus, & Bul. 37. pro Carmelitis. Vbi etiam conceditur, quod si à Papa mandetur dari alicui causæ piæ aut non piæ de pijs legatis, non intelligitur de legatis relictis religiosis, nisi de eis fiat expressa mentio; item in Bul. 26. *Clem.* 8. Carmelitæ discalceati post contradictorium iudicium, & ventilata causa, à solutione quartæ funeralis liberantur.

Si obijcias, quod in Conc. Trid. sess. 15. c. 13. de reformatione habetur, quod dicta quarta funeralis soluatur, vbi solita est persolui ante annos quadraginta, hoc est *de quarenta annos aca*, non obstante quouis priuilegio, *Ad hoc respondetur*, Cõcilium loqui de monasterijs ante annos quadraginta fundatis quæ dictam portionem soluebant: & sic si aliqua monasteria sint fundata à quadraginta annis & citra, hoc est, *de quarenta annis aca*, non tenentur soluere dictam quartam. Ita declarauit *Pius V. Bul.* 7. Et *si instes*, quod ista bulla est reuocata à *Greg.* 13 *Bul.* 38 & reducta ad terminos Conc. Trid. *Ad hoc respondetur, Primo*, quod in bulla illa *Pij V.* & conceduntur quædã priuilegia, ex quibus sola ista reuocantur à *Greg.* quæ sunt contraria Conc. Trid. modo explicato dub. 6. c. 3. & insuper declarãtur aliqua decreta Conc. Trid. & istæ declarationes non etiã reuocantur ibidẽ à *Greg.* 13. cum non sint contra Cõcilium, sed potius eius declarationes, & alias ad Papã spectat declarare ius. *Secundo respondetur*, quod eadẽ omnino declaratio *Pij V.* data etiã est postea à Congr. Card. quæ nec à *Greg.* 13. nec ab alio est reuocata, cuius declarationis tenor refertur à Rod. in qq. reg. to. 1. q 39. a. 2. & talis est. *Congr. Con. censuit non cõprehendi in dictis verbis Concilij monasteria ædificata à quadraginta annis & citra, vel quæ in dies ædificãtur, supposito quod ista monasteria sint illius religionis cui à Sede Apostolica sit indultũ vt quartã funeralem non debeant soluere Episcopo*: & vt refert Veracruz in suo compẽdio, orta lite circa hoc inter religiosos & Episcopũ de Guatimala, Archiepiscopus Mexicanus tulit sententiã pro religiosis: & hoc ipsum patet ex Bulla cit. *Clem* 8. pro discalceatis Carmelitis: & sunt alia innumera priuilegia religiosis ante & post Clem.

dudum,

dudum de sepult. concessa, quæ consulto omitto, cum nil aliud præter iam dicta contineant.

3. Concl. Religiosi quartam funeralem soluentes, iuxta tenorem prædictum Conc. Trid. adhuc non tenentur illam soluere de omnibus eis relictis, vt de Missis, de candelis quæ dãtur in manibus religiosorum: vt habetur in Bu. 14. *Sixt.* 4. pro Minoribus, sed de his tantum quæ cum corpore defuncti deferri solent. Ita declarauit *Pius V* loc. cit. & ita habet vsus, *vt notat Card. in Clem. dudum, de sepult. §. verum. Cou. c. vlt. de testa. n. 6. & 7. & Mon. de iuf. trac. 2. disp. 215.*

4. Concl. Quidquid à fidelibus in monasterijs Religiosorum offertur, Monachis ibi seruientibus debet proficere, nec super hoc ab Episcopo, vel alijs Presbiteris possunt religiosi molestari. Ita habetur definitum expressis terminis in c. 1. *de statu mon. & c. nimis iniqua de excessi pral.* Et constat etiam ex dictis concl. 2. de quo etiam Silu. & Arm. *ver. oblationes.* Imo, si Prælati celebrent in Monasterijs Religiosorum, non possunt sibi vsurpare eis ibi oblata, sed tenentur ea monasterio dimittere. Ita concessit Cisterc. *Bonif.* 8. *Bu.* 9. Ex quo patet non posse parochos sibi postulare candelas aut alia oblata in Ecclesijs religiosorum, à mulieribus puerperis suos filios Domino præsentantibus, vt aliqui clerici perperam, & contra dicta decreta & priuilegia sibi vsurpari contendunt.

CAPVT X.

De Iudice Conseruatore.

SVMMARIVM.

Quis possit esse Iudex Conseruator religiosorum, & an teneatur acceptare. n. 1.
An talis conseruator possit delegare suas vices. n. 2.
Ad quam distantiam loci se extendat eius authoritas. n. 3.
Contra quos & quibus pœnis possit procedere. n. 4.
An possit procedere contra debitores ex causa ciuili. n. 5.
An Religiosi pro debitis ciuilibus conueniri possint coram Iudice Conseruatore, vel Ordinario n. 6.
Conseruator excedens suam potestatem & qui illum inducit ad hoc, quam pœnam incurrat. n. 7.

Not.

NOt. Religiosos per sua priuilegia posse creare iudices conseruatores, qui eos à suis molestatoribus defendant. etiam per censuras. Ita concessit Prædicatoribus *Sixt.4.Bul.* 33.& sunt alia multa priuilegia pro alijs religiosis circa hoc, vt ex dicendis in hoc constabit.

DVBIVM I.

Quæ personæ possint à religiosis creari in Iudices conseruatores, & an ad hoc munus creati à religiosis teneantur acceptare. 1

1. Conclusio. Stando in iure communi cap. *fin. de officio de leg.* Iudex conseruator, debet esse Episcopus, vel Abbas, vel constitutus in dignitate Ecclesiastica, in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata. Et *Leo* 10 *Bul.*45. edita in Conc. Latera. de qua supra c.3.dub.5. statuit, quod conseruatores religiosorum sint in dignitate Ecclesiæ constituti, & reuocantur contraria priuilegia. Ex quo tamen sequitur Priores & similes Prælatos regularium, imo & Vicarios conuentuum, non habentium Priores, posse esse Iudices conseruatores, cum sint in dignitate Ecclesiastica constituti. *Ita Sil. ver de leg. nu.* 3. *& man. Rod. in qq reg. to.* 1 *q* 65. *art.* 3.

2. Concl. Conseruatores religiosorum vltra prædictos de iure communi, possunt esse canonici Cathedralium Ecclesiarum & Vicarij Episcoporum in spiritualibus, & eorum officiales generales vbilibet constituti. Ita concessit Societati post dictam reuocationem *Leo* 10 *Greg.* 13. *Bulla* 18.

3. Conclusio. Omnes prædicti (præter Religiosos) requisiti à regularibus, tenentur sub excommunicatione acceptare iudicaturam, nisi alias sint legitime impediti. Ita concessit Minoribus *Iul.*2. *Bul.* 9. Dixi præter religiosos: nam isti ex priuilegio non tenentur acceptare iudicaturas, & commissiones à Sede Apostolica, vel eius Legatis iniunctas. Ita concessit Prædicatoribus *Honor.* 3. *Bul.*6. & Minoribus *Gregor.* 9. *Bul.*2. *& Innoc.*4. *Bul* 12. *& Alexand.*4 *Bul.*9. *& Eug.*4. *Bu.*7. *pro Celestinis, & Bu.* 9 *pro Benedictinis, & Six.*4. *Bu.* 37 pro Carmelitis.

4. Conclu. Semel nominato aliquo conseruatore & acceptante & inchoante, non potest alius pro eadem causa no-

nominati, ſtando in iure communi cap. *cum plures* niſi nominatus infirmitate, aut alia iuſta cauſa impediatur, vel ſi nolit, aut malitioſè in eo procedat, ex priuilegio tamen Societati conceſſo à *Greg.* 13. *Bul.* 18. quilibet conſeruatorum poteſt proſequi articulum per alium inchoatum, licet qui inchoauit nullo ſit canonico impedimento præpeditus.

5. Concluſio. Stando in iure communi cap. *fina. de offic. de leg.* iudices delegati morte concedentis extinguuntur: niſi quoad negotia incepta. Secus tamen eſt de conſeruatoribus regularium: quia iſti eliguntur à religioſis virtute ſuorum priuilegiorum, quæ non ſunt gratiæ perſonales, ſed reales certo generi perſonarum conceſſæ, & conſequenter perpetuæ, ſicut & priuilegia conceſſa ciuitati, vel loco, *iuxta l. forma* §. *quamquam ff. de cenſi*, & idem eſt de priuilegio conceſſo ciuibus, vel religioſis *iuxta l.* 2. *ff. de rebus dub.* & ita habet vſus *ſecundum iuriſtas relatos à Manu. Rod. q.* 65. *art.* 6.

DVBIVM II.

An iudex Conſeruator poſſit delegare vices ſuas.

1. Concluſio. Stando in iure communi cap. *fin. de officio delegat.* iudex iſte non poteſt delegare vices ſuas, exceptis citationibus & ſententiarum denuntiationibus, niſi aliter eis ſpecialiter committatur: & tunc non aliter niſi infra ciuitatem, aut diœceſim in qua fuerint deputati.

2. Concluſio. Conſeruator religioſorum poteſt ex priuilegio committere vices ſuas: conceſſit enim Minoribus *Sixt.* 4. *Bul.* 14. & Prædicatoribus Bul. 33. & Aug. Bul. 34. & Carmelitis Bul. 37. vt eorum conſeruatores conſeruent eos per ſe & per alios contra iniuriantes: & idem conceſſit Societati Ieſu *Greg.* 13. *Bul.* 18. debent tamen iſti committere vices ſuas illis, quia alia iuxta dicta dub. 1. poſſunt eſſe iudices conſeruatores, conformiter ad id quod habetur in cap. *fin. ci. ita Man. Rodri. cum Ioann. Andr. loco citato articul.* 10.

DVBIVM III.

Ad quantam loci distantiam se extendat Conseruatorum iudicum auctoritas. 3

1. Conclusio. Stando in iure communi cap. *fin. de officio deleg.* non potest iudex conseruator procedere contra aliquem extra ciuitatem, aut diœcesim, vbi est deputatus, aut aliquem trahere vltra vnam dietam à fine talis diœcesis, computandam: & vna dieta *secundum Doctores in cap. nonnulli, de rescrip. & Silu. ver. beneficium* 2. § 1. *& Mandos. in lance, reg.* 3. *q.* 2. *n.* 2. continet viginti milliaria, hoc est, septem leucas, aut *iuxta l.* 8. *tit.* 3. *lib.* 2 *fori, & leg. in preg.* continet decem leucas.

2. Concl. Conseruator religiosorum potest procedere vltra duas dietas, non obstante dicto c. fin. de vna dieta, & Bul. 45. *Leo* 10. de qua c. 5. dub. 5 de duabus dietis: dum tamen vltra duas dietas non trahant aliquem ad iudicum. Ita concessit Cisterciensibus *Greg.* 13. *Bul.* 3. post *Leo* 10. & istæ dietæ computantur à fine diœcesis, vbi citandi morantur, *vt habetur in noua recop. l* 20 *tit.* 7. *l.* 1 *iuxta decretum Bonif.* 8. *in c fin.*

3. Concl. Quando conseruator regulariũ non valet tutè accedere, ad loca vbi morantur qui sunt citãdi, monendi, vel inhibendi, possunt ista efficere per edicta publica, affingendo illa in locis publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ab ipsorũ citatorũ, monitorum, & inhibitorũ notitiam peruenire valeant. Ita concessit Societati Iesu *Greg.* 12. *Bul.* 18. citat.

DVBIVM IV.

Contra quos & quibus pœnis possit iudex Conseruator procedere. 4

1. Conclusio. Conseruator religiosorum potest procedere contra alios religiosos, & Ecclesiasticos, contra collegia, vniuersitates, & communitates habentes etiam facultatem eligendi conseruatorem, non obstantibus quibusuis inhibitionibus sibi factis, etiam prætextu quantumlibet licentiarum, aut priuilegiorum concessorum & concedendorum. Ita concessit. *Greg.* 13. *Bul.* 18.

2. Con-

2. Conclusio. Conseruator iste potest appellatione postposita, procedere per censuras Ecclesiasticas quoties opus sit, & vsque ad inuocationem brachij sæcularis. Patet ex priuilegijs cit. nec potest ab ordinario impediri, sub priuatione exercitij, officij & iurisdictionis ipso facto incurrenda, & aliter attentatum est irritum, Ita concessit Cisterc. *Mart. 5.* vt habetur in istorum compen. ti. Bullæ conseruatoriæ, §. 1. *Vbi not.* quod si conseruator nolit facere fidem ordinario de suis literis, non potest cum nolentem exequi eius sententiam excommunicare: quia delegatus non habet iurisdictionem supra ordinariũ, nisi ordinarius sit ei rebellis, non tamen dicitur rebellis, dum petit fidem de sua commissione, cum sic petendo faciat quod sibi competit de iure: secus sit si ordinarius malitiosè asserat, se dubitare de commissione conseruatoris, maxime allegando falsitatẽ rescripti, tunc enim delegatus exequatur per se quod possit, vt patet ex c. *ex literis, de officio deleg.* & puniat ordinarium si constet malitiosè se opponere, & potest eum damnare in triginta libras, iuxta l. 2. C. de legibus.

DVBIVM V.

5 *An conseruator Regularium possit procedere contra debitores ex causa ciuili.*

1. Conclusio. Cum Papa sit supremus administrator bonorum regularium & Ecclesiasticorum, potest per se & per alios procedere contra illorum retentores, etiam laicos, vt sic illa recuperet, nec sic turbat regiam iurisdictionem, cum ista bona non sint laicalia: & hoc ita facere etiam creando ad hoc iudices conseruatores expedit, maxime tum quia Iudices sæculares solent esse negligentes in administrando iustitiam Ecclesiasticis, tum maxime ne Ecclesiastici ad tribunalia sæcularia trahantur, vbi causæ cum strepitu & figura iudicij tractantur, quæ omnia dedecent viros Ecclesiasticos.

2. Conclu. Conseruator religiosorum, potest procedere contra debitores ex causa ciuili, etiam laicos. *Patet primò,* quia in cap *fin. de officio deleg.* conceditur istis conseruatoribus posse cognoscere de manifestis iniurijs & violentijs, vbi Iniuria non tantum sumitur pro contumelia, vel conuitio, (*quidquid dicat Gutierez in pract. crim. lib. 3. quæst. 9.*
sed

sed pro omni isto quod fit contra ius & infert damnum monasterio.

Secundo, Pius V. Bul. 28. concedit religiosis Melitensibus, conseruatores iudices contra inferentes personis sui instituti, ac eorum seruitoribus & familiaribus iniurias, siue grauamina, vel damna in personas, res & bona: licet hoc, quod hic dicitur de familiaribus & seruitoribus, limitetur in Conc. Trid. sess. 24. c. 11. de ref. vt solis prosit seruientibus aliàs intra septa domus commorantibus, ac sub regularium obedientia viuentibus; & his qui legitime, & secundum regulam professionem fecerunt, de qua ordinario constet, & reuocantur ibi priuilegia, etiam religiosorũ in cõtrarium *Tertio, Greg.* 13. *Bul.* 18. concessit Societati Iesu, quod possint in criminalibus, ciuilibus, & mixtis, & in fauorẽ suorum priuilegiorũ, siue sint actores, siue rei, creare iudices conseruatores cõtra quascumq; cõmunitates, collegia, &c. Alia etiã extãt religiosorũ priuilegia circa hoc, de quib. Vide Man. Rod in qq. reg. to. 1. q. 65. ar. 12.

Si obijcias primo, quòd in l. 1. *tit.* 5. *l.* 1. *noua recopilat.* præcipitur istis conseruatoribus, quod cognoscant tantum de iniurijs & offensis manifestis, contra monasteria, Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, secundum quod iura Papæ disponunt, etiam si vberior potestas & iurisdictio eis concedatur, sub pœna amissionis temporalium & naturalitatis istorum regnorum: ergo in Hispania conseruator religiosorum, non potest compellere debitores, saltem sæculares, ad soluendum monasterijs debita ciuilia.

Ad hoc respondetur, quod ista lex non est contra supradicta: nam in eo quod ait, secundum quod iura Papæ disponunt, iam se subijcit legibus Pontificum, qui successu temporis alia ampliora in fauorem religiosorum ordinant: & quando ibi dicitur, non obstante quod vberior potestas eis concedatur, non est sermo de vberiore potestate à Papa, sed ab alijs inferioribus concessa, qui iuxta ius commune non possunt concedere conseruatorias.

Si obijcias secundo, quòd in c. 1 *de officio del. in* 6. præcipitur iudicibus conseruatoribus, ne cognoscant de exigentibus iudicialem indaginem hoc est, causæ cognitionem, seu examinationem quando dubia sunt: ergo si debitum negatur à debitore alias legitimas exceptiones allegando, non poterit conueniri coram iudice conseruatore: cum sic debitum reddatur dubium, & requiratur indago: *Ad hoc respon-*

detur, quod post hæc est iam concessa iurisdictio Conseruatoribus religiosorum in requirentibus iudicialem indaginem per *Benedictum* 13. Ordinis Prædicatorum in fauorem Minorum: & per Eug. 4. in fauorem conuentus de Guadalupe: *vt habetur in eorum compen. ti Bulla conseruatoria, §. vlt. de quo Rod. loc. cit. art.* 2. & tandem per *Greg.* 13. *Bul.* 18. conceditur conseruatoribus Societatis *Iesu*, quod procedant in requirentibus iudicialem indaginem summarie; simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij, in alijs autem prout eorum qualitas exegerit.

DVBIVM VI.

6 *An religiosi pro debitis ciuilibus conueniri possint coram Iudice Conseruatore, vel ordinario.*

1. Conclusio. Religiosi in claustro degentes, non possunt pro debitis ciuilibus conueniri coram ordinario Ecclesiastico. Hæc est contra Gutie. *in pract. cri. li.* 1. *q.* 10. sed patet, quia isti religiosi sunt exempti à iurisdictione Ecclesiastica ordinarij, iuxta l. 1. cap. 6. dub. 5.

Si obijcias, quòd in Conc. Trid. ses. 7. c. 14. dicitur, quòd in causis mercedum & miserabilium personarum clerici sæculares & regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etsi certum iudicem in partibus habeant, in alijs autem si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinarijs, tanquam ad hoc à Sede Apostolica delegatis conueniri, & ad soluendum cogi possunt, non obstantibus, &c. *Ad hoc respondetur*, Concilium loqui de regularibus extra Monasteriũ degentibus, vt patet ibi, & sunt illi qui ex priuilegio, vel speciali licentia, habent domicilium extra sua monasteria: ille tamen, qui iuxta sua regularia instituta seruit Monasterio Monialium, vel alicui beneficio, & maxime qui ob prędicationes, confessiones, eleemosynas, vel ob aliam similem causam extra monasteriũ moratur, non comprehenditur in isto decreto: cum non degat proprie extra Monasterium, sed ad tempus & non permanenter. *Ita Naua. in c. non dicatis, nu.* 96. Prædictis tamen regularibus extra monasterium degentibus, conceduntur in licentia degendi extra monasterium Iudices delegati, pro omnibus causis eorum, & coram istis debent conueniri pro debitis ciuilibus, sicut deberent conueniri coram Prælatis

sui

sui ordinis, si extra Monasteriũ degerent: & si isti alicubi tales Iudices non habent, debent conueniri coram ordinarijs, & ab eis cogi ad debita soluendum, vt dicitur in Conc. Trid. cit.

2. Conclusio. Religiosi non possunt conueniri pro debitis ciuilibus coram Iudice conseruatore, quidquid aliqui improbabiliter dicant.

Patet primò; ex priuilegio concesso Carthusiensibus à *Nic.* 5. & relato à Rod. in quæstionibus reg. tom. 1. quæst. 65. art. 3. vbi statuitur, quod isti religiosi, & consequenter alij per communicationem non possint ad prædicta compelli per suos iudices conseruatores.

Secundò, quia religiosi non sunt astricti ad conseruatores perpetuos sicut olim, sed sunt ad nutum amouibiles, & pro singulis causis creant illos.

Tertiò, quia Iudex iste conceditur à Sede Apostõ. religiosis pro conseruatione & defensione à molestantibus ipsos. Debent ergo religiosi à creditoribus, etiam sæcularibus conueniri coram suis Prælatis, cum isti sint illorum iudices ordinarij, & sic sæculares solent recurrere ad prouinciales, vel generales, vel ad generalia, & prouincialia capitula pro exigendis sibi debitis à religiosis, vel monasterijs.

Ex dictis constat, ordinarios iniuste aliquando cogere religiosos, ad creandos Iudices conseruatores pro istis debitis: cum religiosi sint alias exẽpti à iurisdictione ordinariorum, vt patet ex l. 1. ca. 6. dub. 5. nec ordinarij habent à Papa commissionem ad sic in isto casu cogendos religiosos: imo contrarium eis præcipitur à *Nic.* 5. in priuilegio cit. nec ista causa pertinet ad Iudices conseruatores: quæ omnia aduertens Dionysius de Melgar, Vicarius generalis in ciuitate Toleti, postquã Priorem Sancti *Dominici* de Hiepes censuris cõpulerat, vt designaret iudicẽ conseruatorẽ super quadam lite cum patrono eiusdem Conuentus, ostensis sibi dicto priu. *Nic.* 5. & alijs priuilegijs exemptionis loc. cit. relatis, à dicta coactione dictus Vicarius cessauit, & causa deuoluta est ad Reuerendissimũ Magistrum Fratrem Iosephum Gonzalez à sacris confessionibus Serenissimi Principis Hispaniarũ Philippi *Dominici* Victoris, qui tunc erat Prior Prouincialis eiusdẽ Ordinis.

Si obijcias quandam declarationem Congreg. Cardi. die 19. Iunij anni 1573. vbi sic habetur. *Regulares non possunt conueniri à suis creditoribus coram Episcopo, bene tamen coram suis conseruatoribus in casibus permissis in Conc. Trid.*

sess. 14. c. 5. Ita refert Prosper Farina. super Conc. Tri. lo. ci.

Ad hoc respondetur, hoc non obstare, quia in isto loco concilij expresse eximuntur à statutis in illo loca regularia & illorum personæ, & tantum vult in suo robore manere, quæ statuta sunt de religiosis, sess. 7. c. 14. circa causas mercedum & miserabilium personarum iuxta dicta supra.

DVBIVM VII.

7 *An conseruator excedens suam potestatem, & qui illum inducit ad hoc, incurrant aliquam pœnam.*

1. Conclusio. Conseruator iste scienter excedens suam potestatem, suspensus manet per annum ab officio, & consequenter à beneficio. *Ita in c. fin. de officio deleg. cum glos. & in c. præter hoc, d. 52. & c. si qui. d. 81. & in lib. 1. noua recop. priuatur temporalitate & naturalitate istorum regnorū*; & ille etiam dicitur scienter illud facere qui laborat ignorantia affectata, vtpote quando illud scire tenebatur & potuit scire & noluit, sed dissimulauit, licet in foro externo, vt scientia valeat debet probari: quia iuxta regulam 48. iuris, *præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur*: imo & ignorantia affectata est probanda, vt valeat, *vt habetur in lege gener. C. de tabul. lib. 10.*

2. Conclusio. Pars quæ procurat, quod conseruator iudex excedat suam potestatem, excommunicata manet ipso facto, nec potest absolui, quo vsque integraliter satisfaciat de expensis, ei quē indebitè fatigauit. *Ita in cap. fin. de officio deleg.*

Et notat Naua. *in manuc. cap. 27. num.* 125. quod non incurritur ista excommunicatio ab illo qui non est pars in iudicio; etsi procurasset talem excessum, si iudex aliàs non excessit: quia lex quæ excommunicat operantem aliquid, regulariter non comprehendit consentientem, etiamsi mandet, consulat, foueat, aut auxilietur antequàm fiat, nisi ex eius tenore, aut ex tenore aliarum legum id expressè aut tacitè colligatur, *vt ait cap. ver. excommunicat. rap.* 47. *notab. 5. & Nauar. in manu. c. 25. n. 51.*

Hæc ad laudem & gloriam Iesu Christi Domini nostri Beatissimæ Matris eius, ac Beati Dominici Patris nostri, nec non & Angelici Doctoris Diu. Thomæ Aquinatis dicta sufficiant.

IN-

INDEX NOTABILIVM.

A.

B.

Electio

Electio iure naturæ valida valet in conscientia etiam reiectis solemnitatibus iuris, l.1.c.4.dub. 9.

Episcopus monachus tenetur ad tria vota essentialia, & ad cæremonias ordinis suæ officio non repugnantes, & ad portandum vestem monasticam, nec potest testari, c.2.dub. 4. & iam consecratus licet Episcopatum dimittat, nō potest in suo ordine officium tenere, c.6.d.7. & acceptando Episcopatum sine licentia ordinis, aut mandato Papæ, priuatus est suffragijs & beneficijs ordinis, ibi. Et ante consecrationem resignabit quæ habet præter quaternos, c.7.d.3.

Eucharistia quibus & quando possit à religiosis ministrari. l.2.c.6.d.4. & c.5.d. 4.

F.

FAmuli religiosorum sunt exempti ab ordinario, l.2.c.5 dub.4. Et gaudent in articulo mortis priuilegijs & indulgentijs religiosorum, c.6.d.1.

G.

GRatia facta morte concedentis non spirat, secus est de gratia facienda, c.3.d.1.

Gratiæ concessæ religiosis Dominicanis, sine suorum superiorum licentia annullantur, l.2.c.6.d.2.

H.

HOræ dici possunt à religiosis mentaliter legendo per librum, l.2.c.8.d. 2. In horarum recitatione quomodo dispensant Prælati regulares l.1.c.6.d.21. Religiosi habent priuilegia ad supplendum defectus horarum, & ad alia, l. 2 c.8.d.2.

I.

IEiunia regularium quomodo dispensantur à Prælatis, l. 1.c.6.d.21. Religiosus ieiunare non valens ob debilitatē ad id non tenetur, ibi Religiosus potest seruato ieiunio anticipare, aut retardare prandium, aut collationem, & potest itinerando transferre ieiunia in alios dies.ibi.

Illegitimus non admittitur in religione vbi eius pater viuit professus, l.1.c.8 d. 1. Et dispensatur ad ordines per professionem, & ad dignitates. A quo dispensetur. Vide c.6. d.18. & alia circa hoc tibi. Interdictum quando suspenditur à religiosis, & quòd eorum Ecclesiæ non possunt specialiter interdici, & quæ possunt canere in interdicto, & quod monasteria à populo separata, non tenentur seruare interdictum & alia plura, c.7.d.2.

Irregularitas religioso iustè occidentis & illicitè, & occi-

Obla-

O

OBlatum etiam Pralatis celebrantibus in Ecclesijs religiosorum, istis debet prouenire, l.2.c.3. dub.5.

Ordinantur religiosi à quouis Episcopo cum sola licentia sui Pralati, & quomodo in suis domibus, & extra tempora, & non seruatis interstitijs, l.2.c.8.d.1.

P

PAupertas non minuitur habendo bona in communi; imo & religioso viuente succedit in bonis parentum eius & licitè acquirit alia de quibus l.1.c.4.dub.1.& 2. Si religiosus potest habere peculium, si redditus annuos, si pecunias, etiam extra depositum, si potest illas in vsus illicitos expendere, & quomodo potest aliqua recipere, dum est extra vel intra conuentum, c.3.dub.1.2.& 3.

Non licet religioso sine licentia emere, vendere, mutare, aut donare, bene tamen commodare, imo si abest Pralatus, & adest necessitas, aut vtilitas, habet interpretatiuam licentiam expendendi pecunias. dub.4.& 5. Donatio liberalis vetatur religiosis etiam inter se & est irrita, ibid.

Pradicare potest religiosus idoneus prima tonsura cū sola licētia sui superioris: nec potest ab ordinar. impediri. c.7.d.2.

Priuilegij scriptura, aut bullatio est necessaria pro foro externo, l.2.c.1.d.2.

Priuilegium persona cessat per non vsum decem annorū: priuilegium Ecclesia per non vsum 40. annorum, priuilegia regularium per non vsum centum annorum, & quid requiritur ad cessationem per non vsum, c.3.dub.1.

Priuilegiorum confirmatio varijs tenoribus quomodo intelligitur, c.5.d.4.

Priuilegiū quomodo cessat per actum contrariū, c.3.d.2.

Priuilegia regularium non cessant per vnam, aut plures contrauentiones ibi. nec per generalem reuocationem priuilegiorum, sed per generalem reuocationem priuilegiorum regularium, l.1.c.3 d.5.& c.6.d.1. & l.2.c.3.d.3.

Priuilegia reuocata à Leo X. iā valēt. dub.5. secus de reuocatis in Cōc. Trid. dub.6. In priuilegijs cōmunicāt omnes religiones, etiā cū Societ. Iesu, & quomodo intelligitur hoc, & quod nō cōmunicatur vsus, sed ius vtendi priuilegio, c.4.

Priuilegia vnius monasterij cōmunicantur alijs eiusdem ordinis, ibid. ad processiones non tenentur venire conuentus distantes à ciuitate per dimidium milliare, l.2.c.3.d.5.

Finis huius Indicis.



Computus annorum

AB ADAMVSQVE AD CHRISTVM

EX SACRA SCRIPTVRA

COLLECTVS PER R. P. F. IOANNEM DE LA CRVZ THEOLOGVM SACRI Ordinis FF. Prædicatorum,

(Prima ætas mundi continet 1656, annos)

In quo anno creationis singuli nati sunt.		Anni vitæ singulorum.
1.	ADAM	930.
130.	Seth genitus ab Adam 130. ætatis suæ.	912.
235.	Enos genitus à Seth 105. ætatis suæ.	605.
325.	Cainam genitus ab Enos 90. ætatis suæ.	910.
395.	Malaleel genitus à Cainam 70. ætatis suæ.	895.
460.	Iareb genitus à Malaleel 65. ætatis suæ.	962.
622.	Henoch genitus à Iareb 162. ætatis suæ.	365.
687.	Mathusalam genitus ab Henoc 65. ætat. suæ.	969.
874.	Lamech genitus à Mathusalam 187. ætat. suæ.	777.
1056.	Noë genitus à Lamech 182 ætatis suæ.	950.
1559.	Sem genitus à Noë 503. ætatis suæ.	600.

Hæc prima ætas durauit ab exordio mundi vsque ad diluuium inclusiue per 1656. annos, vt colligitur ex Genes. 5. in qua ætate ob robustiorem naturam, vbertatem fructuum, & terræ feracitatem, numquam aquis Oceani salsissimis sterilizatam; circiter millenos annos homines vixerunt. Nec audiendi sunt asserentes, illos annos ex tribus, vel qua-

quatuor, vel sex mensibus constare: qui in cap. 8. Genes. fit mentio septimi & decimi mensis & 27. dierum mensis secundi; imò post nouum mensem expletum numerantur alij 40. dies ante emissionem corui, & propterea numerantur tria septenna dierum pro tribus emissionibus columbæ, qui omnes faciunt 61. dies pro duobus mensibus, & post istos dies, & vt credo post alios necessarios ad duodecimum mensem componendum, subditur: *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense; prima die mensis, imminuta sunt aquæ super terram: & aperiens Noe tectum arcæ aspexit & vidit quod exsiccata esset superficies terræ*. Ante enim hunc diem aquæ erant super omnem terram, vt constat ex eodē cap. 8. Genesis.

Istorum prædictorum Patrum ætates patent Genesis 5. prçterquam quòd in fine dicitur quod Noe quingentorum annorum genuit Sem, Cham & Iapheth; & sensus est, quod tunc cœpit generare: non enim in eodem anno omnes generauit: sed Sem genuit 503. anno, & patet Gen. 11. vbi Sem centum annorum, biennio post diluuium, genuit Arphaxad; sed tunc Noe attigit 603. annum; siquidem diluuium cessauit anno 601. vitæ Noe, quibus addendo duos annos, faciunt 603. annos. Quare ab istis 603. annis remouendo centum vitæ Sem antequam generaret Arphaxad, remanent 503. anni vitæ Noe quando genuit Sem.

Et si obijcias quòd Sem nominatur prius quam Cham & Iapheth: R. quod non prius nominatur, quia sit maior natu, sed quia dignior alijs: ex ordinatione enim patris adeptus est primogenituram, sicut Iacob & Ioseph; ratione cuius erat etiam Sacerdos. Nam vsq; ad Aaron sacerdotium erat annexum primogenituræ. Et iste Sem secundum Hebræos, quos refert & sequitur D. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, fuit Melchisedech, qui adhuc viuus (vt patet ex supputatione 500. annorum quos vixit post diluuium) occurrit Abrahæ Genes. 14. reuertenti à cæde regum, cum pane & vino, quæ sicut Sacerdos obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ; & oblato sacrificio benedixit Abrahæ vt inferiori, & consequenter benedixit Sacerdoti legali, qui erat tunc in lumbis Abrahæ secundum seminalem rationem. Et ipse Abraham & consequenter Leuiticus Sacerdos, vt exponitur ad Hebræos 7. decimas soluit Melchisedech vt meliori, & consequenter Christo cui Melchisedech assimilatur. Sicut enim Melchisedech (vt Paulus ait) erat *Sacerdos & Rex Salem*, id est, pacis

& iu-

& iustitiæ: sic Christus erat Sacerdos & rex pacificus, & sicut Melchisedech (ait Paulus) erat *sine patre & sine matre, & sine genealogia, nec initium dierum, nec finem vitæ habēs*, hoc est, quod in sacra scriptura, vt ait Sanctus Thom. 3. p. q. 22. art. 6. ad 3. sub illius nomine Melchisedech, non texitur genealogia, sed subito introducitur in Genesi occurrens Abrahæ, nec ante nec post, sub tali nomine de eo fit mentio. Ita Christus in terris sine patre & in cœlis sine matre, nec habuit initium sui esse nec habebit finem, cum sit Deus æternus & sicut Melchisedech obtulit Deo panem & vinum in sacrificium; ita Christus in cœna seipsum sub speciebus panis & vini obtulit.

(Secunda ætas Mundi continet 352. annos.)

In quo anno creationis singuli nati sunt.		Anni vitæ singulorum.
1056.	NOE	950
1559.	Sem genitus à Noe 503. ætatis suæ.	600
1659.	Arphaxad genitus à Sem 100. ætatis suæ.	338
1694.	Sale seu Cainam genitus ab Arphaxad. 35. æt. suę.	433
1724.	Heber genitus à Sale 30 ætatis suæ.	464
1754.	Phaleg genitus ab Heber 34. ætatis suæ.	239
1784.	Reu genitus à Phaleg 30 ætatis suæ.	239
1814.	Sarug genitus à Reu 32. ætatis suæ.	230
1844.	Nachor genitus à Sarug 30. ætatis suæ.	148
1878.	Thare genitus à Nachor 29. ætatis suæ.	205
2009.	Abraham genitus à Thare 130. ætatis suæ.	175

Hæc secunda ætas durauit à diluuio exclusiuè vsque ad natalē Abrahæ exclusiuè per 352. annos, & licet D. Aug. 16. de ciuit. c. 10. secutus translationem 70. Interpretum, & alios Græcos codices inter Arphaxad & Sale ponat Cainam assignando ei 130 annos antequam generaret Sale, nostra Editio vulgata, quæ iuxta decretum Conc. Trident. sess. 4. pro authentica habenda est Genes. 11. & 1. Paralip. 1. & D. Hieron. & omnes translationes ex Hebræo nihil tale ponunt.

Et si obijcias, quòd in vulgata editione Lucæ 3. ponitur, dum dicitur; *qui fuit Sale, qui fuit Caina, qui fuit Arphaxad*,

xad. Respondeo, quod *Sale & Cainam* sunt duo nomina eiusdem hominis: & hic sensus est, quod ille qui fuit Sale, fuit etiam Cainam. Ita Samotheus lib.1.cap.6. Genebrard. in Chronic. & Maffeus l.2. Chronic.

Prædictorum Patrum ætates constant Genes. 11. præterquam quod ponimus quod Thare anno ætatis suæ 130. genuit Abraham & videtur colligi ex Genesis 11.& 12 vbi narratur profecto Abrahæ in Canaam cum patre Thare de Vr Chaldæorum ex reuelatione facta Abrahæ, ibidem antequam moraretur in Charam seu Aram, vt ait D. Stephanus Acto.7. ibi enim narratur quod habitantibus illis in Charam in itinere ad terram Chanaam ad quam pergebant, mortuus est Thare 205. annorum, post cuius obitum volens Abraham reuerti in terram suam, & ad domum patris sui, siue ad cognationem suam, rursus ait ei Dominus: *Exi de terra tua*, in qua scilicet habitas (non corporaliter; cum adhuc esset in Charam) sed per affectum, & propositum in illam redeundi, vt explicat D. Aug. 16. de ciuit.c.15. Exijt igitur, sicut præcepit ei Deus; & subditur: *75. annorum erat Abraham cum egrederetur de Haram*. Itaque quando pater Thare erat 205. annorum, Abraham habebat 75. annos; ergo Thare genuit Abraham quando habebat 130. annos.

Nec obstat illud Genes. 11. *Vixit Thare 70. annis, & genuit Abraham, Nachor & Aran.* Sensus enim est quod tunc cœpit eos generare, non enim illos omnes eodem anno septuagesimo vitæ suæ generauit, sicut dixi supra de filijs Noë. Et licet ob dignitatem, Abraham prius nominetur, non tamen fuit maior natu. Et hoc probatur, & præcedens doctrina magis roboratur; quia Abraham duxit vxorem Sara, quæ secundum D. Hieron. eadem est cum Iescha filia fratris sui Aran, qui vt dicitur Genes. 11. ante Thare patrem suum, id est adhuc viuente Thare, aut in eius præsentia; obijt suffocatus à Chaldæis, quia noluit adorare ignem. Si ergo Sara erat filia Aran, esset Iunior illo plusquam decem annis, non enim illam genuisset in anno decimo ætatis suæ; maximè tunc quando tardè coniugio copulabantur, at vero Abraham tantum habebat decem annos plusquam Sara vt patet Genes. 17. vbi dicit Abraham de se; *putasne centenario nascetur filius; (scilicet Isaac) & Sara nonagenaria pariet?* ergo Aran erat maior natu. Ex his quoque patet quomodo Sara, vt notat D. Tho. 2.2.qu.110.art.3.ad 3. non sit soror Abra-

hæ, sed consobrina, filia scilicet fratris sui Aran.

Nec obstat, quod ipse Abraham vocat eam sororem filiam patris sui, Genes. 20. nam præterquam quod auunculus & consobrinus, sæpe in sacra scriptura appellantur fratres, vt patet Genes. 13 & 14. vbi Abraham vocat Loth fratrem suum, cum alias sit eius consobrinus filius Aran fratris sui; & Genes. 29. Laban vocat Iacob fratrem suum, cum alias sit consobrinus filius sororis suæ Rebeccæ; est etiam alia ratio, nam mortuo Aran filij eius Loth & Sara mansere in domo aui sui Thare sicut filij adoptiui: & ob hoc dicuntur fratres Abrahæ. Sic etiam Gen. 48. Ephraim & Manasse filij Ioseph adoptantur ab auo suo Iacob, & succedunt ei in hæreditate sicut alij filij eiusdem Iacob.

(*Tertia ætas Mundi continet 505. annos.*)

In quo anno creationis singuli nati sunt.		Anni vitæ singulorum.
2009.	ABRAHAM.	175. Gen. 25.
2109.	Isaac genitus ab Abraham 100. ætat. suæ.	180. Gen. 21. Gen. 35.
2169.	Iacob genitus ab Isaac 40. ætatis suæ.	147. Gen. 25. Gen. 47.

Linea Regia.	Linea Sacerdotalis.
Iudas filius Iacob.	Leui filius Iacob.
Phares filius Iudæ.	Caath filius Leui.
Esron filius Phares.	Amram filius Caath.
Aram & Caleph filij Esron.	Aaron filius Amram.
	Eleazar filius Aaron.

Hæc tertia ætas durauit à natali Abrahæ vsque ad exitum Israël de Ægypto per 505. annos, qui sic supputantur. Nam Abrahæ cum esset 75. annorum, vt patet Genes. 12. statim ingresso terram Chanaam promittitur à Deo Isaac: sed ab hac promissione vsque ad exitum Israel de Ægypto, & datam legem in monte Sina transierunt 430. anni, qui

qui cum prædictis 75. vitæ Abrahæ faciunt 505. annos ; ergo.

Minor patet ad Galatas 3. vbi Paulus referens prædictas promissiones ait. *Abrahe dicta* (id est factæ) *sunt promissiones, &c, hoc autem dico* (ait Paulus) *testamentum*, id est has promissiones voco testamentum, *confirmatum à Deo* (quia scilicet per modum testamenti sunt firmata iuramento diuino) & subditur: *quæ post 430. annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem*: id est lex quæ post 430. annos data est eis in monte Sina, non irritabat illas promissiones; alias, vt ibi ait Paulus, *si ex lege hereditas* (scil. datur) *iam non ex promissione*.

Et si obijcias illud quod dictum est Abrahæ Genes. 15. *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & affligent eos 400. annis &c. generatione autem quarta reuertentur huc*. Si ergo istis 400. annis addantur alij 290. transacti à natali Abrahæ vsque ad ingressum in Ægyptum, durasset hæc ætas per 690. annos.

Resp. quod Israelitæ non vixerunt in Ægypto per 400. annos. Nam Caath cum patre suo Leui Genes. 46. intrauit in Ægyptum & vixit Caath 133. annis, vt patet Exodi 6. & filius Amram vixit 137. annis, vt ibi patet: & Exodi 7. patet Moysem filium Amram octogenarium eduxisse Israel de Ægypto, qui omnes anni adhuc vniti faciunt 350. & adhuc ex istis tollendi sunt anni quos habebat Caath quando ingressus est Ægyptum, & anni quos habebat Amram antequam generaret Moysen. Itaque à prædictis 408. annis tollendi sunt anni vitæ Isaac antequam generaret Iacob, qui fuere 60. vt dicitur Genes 25. & anni vitæ Iacob ante descensum in Ægyptum, qui fuere 130. vt dicitur Genes. 47. & sic remanent 210. anni; quibus addendi sunt quinque, vt locus iste consonet cum alio loco ad Galat. 3. & Exod. 12. vbi istis 400. adduntur 30. videl. 25. qui præcesserunt natiuitatem Isaac à tempore promissionis factæ Abrahæ, & isti quinque qui ex eo quod erant parua res, sacra Scriptura in loco prædicto Genes. 15. non curauit de eis. Hæc explicatio & supputatio consonat cum textu dicti loci Genes. 15. ibi enim dicitur. *Peregrinum erit semen tuum* (id est Isaac & eius posteri qui erant semen Abrahæ) *in terra non sua*: non enim ait in terra Ægypti, sed absolutè ait, *in terra non sua*, per quam etiam intelligitur terra Chanaam in qua

tunc

tunc erat, quæ adhuc non erat tradita; sed promissa, vt dicitur Acto. 7. & ipse Isaac & Iacob sæpe vocant se peregrinos, vt patet Genes. 23. 26. 28. & 47. & licet Exod. 12. dicatur habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto 430. annis: ideo est quia ex istis annis per plures peregrinati sunt in Ægypto, & fuit peregrinatio ista magis continua, & non interrupta per 215. annos: alijs autem 215. annis peregrinati sunt modo in terra Chanaam, modo Geraris vt patet Genes. 10. & 26. & postea Iacob apud Laban peregrinatus est, vt dicitur Genes. 24 Quod autem dicitur, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et affligent eos* 400. *annis*, construendum est per Hyperbaton, vt ait glossa ex August. Ita vt illa dictio 400 *annis* cadat super illud *peregrinum etc.* Alias enim plusquam 70. annis fuerant in Ægypto sine afflictione, toto scilicet tempore vitæ Ioseph, & donec *surrexit Rex nouus qui ignorabat Ioseph* vt dicitur Exod. 1. & quod dicitur, *generatione quarta reuertentur huc*, intelligitur à die qua ingressi sunt Ægyptum. Quæ generationes per lineam regiam supputantur sic. Nam Iudas ingressus est Ægyptum cum Iacob, & Iudas genuit Phares, Phares genuit Efron, Efron genuit Aram & Caleph, vt patet 1. Paralip. 2. & iste Caleph, in quo completur quarta generatio, ingressus est terram promissionis, vt patet num. 14. Sept. Interpretes legunt sic; generatione quinta reuertentur huc. Et hoc etiam verificatur si fiat supputatio per lineam sacerdotalem. Nam Leui qui cum patre Iacob ingressus est Ægyptum, genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron & Moysem, Aaron genuit Eleazar, vt dicitur 1. Paralip. 6. & iste Eleazar, in quo completur quinta generatio, ingressus est terram promissionis.

(*Quarta ætas mundi continet 436. annos.*)

Anni creationis.			Anni Regni singulorum.
	Duces & Iudices Israel.		
2514.	Moyses de Tribu Leui.		40.
	Iosue de Tribu Ioseph.		
255.	Othoniel de Tribu Iudæ.	Iudic. 3.	40.
2594.	Aod. de Tribu Beniamin.		80.
	Sangar.	Iud. 3.	
2674.	Debora simul cum Barac.	Iud. 4.	40.
2714.	Gedeon de Tribu Manasse.	Iud. 8.	40.
2754.	Abimelech filius spurius Gedeonis.	Iud. 9.	3.
2757.	Thola de Tribu Issachar.	Iud. 10.	23.
2780.	Iair Galadites.	Iud. 10.	22.
	Hic Israel fuit sine Iudice per 18. annos. Iud. 10.		
2820.	Iephte.	Iud. 12.	6.
2826.	Abesan.	Iud. 12.	7.
2833.	Ahialon.	Iud. 12.	10.
2843.	Abdon.	Iud. 12.	8.
2851.	Sanson de Tribu Dan.		20.
2871.	Heli de Tribu Leui.	1. Reg 4.	40.
2911.	Samuel & Saul.	Actor. 13.	40.

Hæc quarta ætas durauit à tempore quo Moyses octogenarius eduxit Israel de Ægypto, vsque ad regnum Dauid per 436. annos completos, vt patet ex 3. Reg. 6. vbi dicitur quod quadringentesimo & octogesimo anno exitus de Ægypto in anno quarto mense secundo Regni Salomonis, cœpit ædificare domum Domini, à quibus annis si tollas istos quatuor regni Salomonis, & alios 40. regni Dauid 2. Reg. 4. remanent dicti 436. anni.

Item

Item istorum annorum supputatio patet ex annis quibus Iudices gubernarunt Israel, *vbi nota* 1. quod istis Iudicibus quibus in sacra scriptura non taxantur anni suæ Iudicaturæ, adscribuntur anni Iudicis sibi vicini, vt sic dicta supputatio 2. Reg. 4. integra maneat. Et sic anni Iosue sub annis Othoniel, & vnus annus Sangar, sub annis Aod, & anni Samuel sub annis Saul comprehenduntur.

Nota 2. quod tempus medians inter duos Iudices adscribitur iudici succedenti, vt notant August. Isido. Beda & alij expositores libri Iudicum. Excipiuntur tamen illi decem & octo anni qui sine Iudice antecesserunt Iephte, qui non numerantur inter sex annos istius, vt clare patet.

Et si obijcias quod in hoc tempore medio, vt sæpe dicitur in libro Iudicum, Hebræi idolis immolabant, & à regibus vicinis infestabantur, & postea in annis Iudicum quietabantur: v.g. Iud. 3. electo Othoniele, quieuit terra 40. annis, quibus ipse præfuit, & in octo annis antecedentibus non quieuerat: ergo illi octo anni seorsim computantur.

Respondetur quod illi octo anni respectu 40. cum sint parua res, pro nihilo reputantur, & sic absolutè dicitur, quod quieuit Israel 40. annis.

(Quinta ætas mundi continet 454. annos.)

Anni creationis.		Anni regni singulorum.

Reges totius Israel.

2951.	Dauid filius Isai.	2. Reg. 15. 40.
2991.	Salomon filius Dauid.	3. Reg. 11. 40.

Mortuo Salomone, ob eius peccata, diuisum est regnum in tribum Iuda & Beniamin ex vna parte, quibus præfuit Roboam filius Salomonis; & in alias decem Tribus, quibus præfuit Hieroboam, vt habetur 3. Reg. 12. & ambas lineas apponemus incipiendo à regibus Iuda & Beniamin.

(Reges Iuda .)

Anni creationis .			Anni regni singulorum .
3030.	Roboam filius Salomonis.	3.Reg.14.	17
3047.	Abias filius Roboam.	3.Reg.15.	3
3049.	Asa filius Abiæ.	3.Reg.15.	41
3089.	Iosaphat filius Asa.	3.Reg.22.	25
3110.	Ioram filius Iosaphat.	4.Reg.8.	8
3117.	Ochozias filius Ioram.	4.Reg.8.	1
3117.	Athalia mater Ochosiæ.	4.Reg.11.	7
3123.	Ioas filius Ochosiæ.	4.Reg.12.	40
3162.	Amasias filius Ioas,	4 Reg.14.	29
3190.	Ozias siue Azarias filius Amasiæ.	4.Reg.15.	52
3241.	Ioathan filius Oziæ.	4.Reg.15.	16
3256.	Achaz filius Ioathan.	4.Reg.16.	16
3271.	Ezechias filius Achaz.	4 Reg.18.	29
3299.	Manasses filius Ezechiæ.	4.Reg.21.	55
3353.	Amon filius Manasses.	4.Reg.21.	2
3354.	Iosias filius Amon.	3.Reg 22.	31
3384.	Ioachan filius Iosiæ.	4.Reg.13.3.mēses.	
3384.	Eliachim seu Ioachim filius etiam Iosiæ Ioachim seu Iechonias Pater.	4 Reg.23.	11.
3394.	Salathiel & filius Ioachim.	4. Reg.4.3.mēses.	
3394.	Sedechias filius Iosiæ.	4.Reg.24.	11

Hæc quinta ætas durauit à principio regni Dauid vsque ad captiuitatem Babylonicam per 454.annos, vt patet ex supputatione annorum, quibus singuli reges gubernarunt. Vbi

Aduerte primo quod vltimus annus vnius Regis est primus sequentis, & patet, nam 3. Reg. 15. dicitur, quod anno 18. Hieroboam Regis Israel regnauit Abias super Iudam tribus annis; & postea de Asa successore Abiæ dicitur, quod regnauit in anno 20. Hieroboam; itaque annis vigesimus Hieroboam numeratur pro tertio & vltimo anno Abiæ, & pro primo Asa, & sic de alijs. Ex quo colligitur, quod in summa annorum omnium Regum Iuda vel Israel non est bis, sed semel tantum numerandus iste annus medius. Excipitur tamen

men ab hac regula Dauid, qui cum regnauerit 40. annis & sex mensibus, vt constat 2. Reg. 5. pro illo debent numerari 40. anni integri, & alij sex menses illius debent connumerati inter 40. annos Salomonis, excipitur etiam Roboam primus Rex super Iudam & Beniamin, cuius 17. anni sunt integri. Nam de eius successore Abia dicitur 3. Reg. 15. quod incœpit regnare decimo octauo anno Hieroboam Regis Israel, cum tamen Roboam & Hieroboam in eodem anno regnare incęperint, vt patet 3 Reg. 14. & 15.

Aduerte secundo, quod aliquando tam in Israel quam in Iuda regnabant duo reges simul, quando enim pater procedebat ad bellum, vel erat impotens ad gubernandum, designabat filium vt secum corregnaret. Sic enim in Iuda Ioram corregnauit cum patre Iosaphat tribus annis. Et patet hoc quia iste Ioram vt dicitur 4. Reg. 8. incępit regnare in anno quinto alterius Ioram Regis Israel, sed tunc erat annus vigesimus secundus regni Iosaphat, post quod regnauit Iosaphat alios tres annos, cum regnauerit viginti quinque annis: Ergo. Minor patet; nam Ioram Rex Israel cępit regnare anno octauo Iosaphat vt dicitur 4. Reg. 3. Ex his patet quod Ioram rex Iuda post mortem patris in anno vigesimo quinto regni sui, regnauit in solidum per quinque annos tantum, vsque ad vltimum annum alterius Ioram Regis Israel, & successit ei suus filius Ochosias per vnum annum in duodecimo & vltimo anno Ioram Regis Israel, vt patet 4. Regum 8. in illo enim eodem duodecimo anno, isti duo Ochosias & Ioram Rex Israel occisi sunt à Iehu 4. Regum 9. & sic istorum successores, vtpote Athalia super Iudam & idem Iehu super Israel inceperunt regnare in eodem anno ab orbe condito 3117.

Aduerte Tertio, quod anni 52 Oziæ numerantur à vigesimo nono anno regni patris sui Amaziæ, in quo obijt profugus in Lachis. Tunc enim licet Ozias esset 4. tantum annorum, ratione cuius regnum gubernabatur per tutores 12. annis, vsque ad 16. annum ætatis Oziæ, illi tamen 12. anni numerantur inter 50. annos regni eiusdem Oziæ, vt sic vera consurgat supputatio regni aliorum regum.

Nec obstat quod 4. Reg. 15. dicitur: Ozias incępit anno 27. Hieroboam Regis Israel, qui Hieroboam incęperat regnare anno 15. Amaziæ patris Oziæ, vt dicitur 4. Reg. 14. ex quo tempore vsque ad 27. annum regni Hieroboam me-

diant 14. anni regni Amaziæ vsque ad 29. & vltimum annum regni eius, & isti 12. anni tutorum. Ad hoc enim dico quod sensus est, quod in illo 27. anno Hieroboam, cœpit Ozias regnare per se solum & sine tutoribus, cum quo etiam stat, quod antea incœperat regnare cum tutoribus.

(Reges Israel durauerunt per 247. annos.)

Anni creationis.			Anni regni singulorum.
3030.	Hieroboam seruus Salomonis.	3. Reg. 4.	22
3030.	Nadab filius Hieroboam.	3. Reg. 15.	2
3051.	Baasa de tribu Isacar.	3. Reg. 15.	24
3074.	Elia filius Baasa.	3. Reg. 16.	2
3075.	Zambri seruus Ela.	3. Reg. 16. sep. dies	
3075.	Amri dux & seruus Ela.	3. Reg. 16.	12
3086.	Achab filius Amri.	3. Reg. 16.	22
3105.	Ochozias filius Achab.	3. Reg. 16.	2
3106.	Ioram filius etiam Achab.	4. Reg. 1.	12
3117.	Iehu seruus Achab.	4. Reg. 10.	28

Hic fuit interregnum anni vnius.

3145.	Ioacham filius Iehu.	4. Reg. 13.	17
3161.	Ioas filius Ioacham.	4. Reg. 13.	16
3176.	Hieroboam filius Ioab.	4. Reg. 14.	41

Hic fuit interregnum duodecim annorum.

3227.	Zacharias filius Hieroboam.	4. Reg. 15. sex men.	
3227.	Sellum filius Iabes coniurator.	4. Re. 15. vnius men.	
3228.	Manahem filius Gadi.	4. Reg. 15.	10

Hic

Hic fuit interregnum trium annorum.

3240.	Phaccia filius Manahen.	4.Reg.15.	2
3241.	Phare dux Phaccia & filius Romeliæ.	4.Reg.15.	20

Hic fuit interregnum 8. annorum.

3268.	Osee coniurator.	4.Reg.17.	9

Regnum Israel à Hieroboam vsque ad Oseam inclusiuè durauit per 247 annos, vt patet ex supputatione annorum quibus isti reges regnarunt, in quibus etiam, sicut in Regibus Iuda, annus vltimus vnius Regis est primus sequentis. Item in Israel sicut & in Iuda, aliquando regnabant duo reges simul, sic enim Nadab coregnauit per vnum annum cum patre suo Hieroboam. Quia incepit regnare in anno secundo Asa regis Iuda 3. Reg. 15. & tamen pater eius Hieroboam obijt anno tertio Asa, quia Asa incepit regnare anno vigesimo Hieroboam qui regnauit viginti duobus annis. Et Annus Nadab in quo cum patre regnauit numeratur inter duos annos qui ei adscribuntur cum eius successor Baassa inceperit regnare in anno 3. Asa. Item Ochozias suis diebus annis coregnauit cum Achab Quia vt dicitur 3. Reg. vltimo, cœpit regnare anno 17 Iosaphat regis Iuda; in cuius anno 19. obijt Achab cum regnarit per 22. annos: & alias Iosaphat inceperit regnare anno 4. Achab, vt dicitur 3. Reg. 22. Imo mortuo Ochozia eius frater Ioram regnauit simul cum patre suo Achab per vnum annum, cum inceperit regnare anno 18. regni Iosaphat. Item Ioas coregnauit cum patre suo Ioachan tribus annis. Quia incœpit regnare, 4. Reg. 13. in annos 37. Ioas Regis Iuda & pater eius obijt anno 39. eiusdem Ioas, cum inceperit regnare anno 23. eiusdem per 17. annos 4. Reg. 13. isti tamen tres anni non numerantur inter 16. annos eiusdem, quia post istos statim incepit regnare Hieroboam. Et alias hoc consonat supputationi regum Iuda, quorum Amasias cæpit regnare anno 2. istius Ioas, vt dicitur 4. Reg. 14.

Nota secundo, quod inter Reges Israel aliquando mediant aliqui anni, qui non computantur inter annos ipso-

tum Regum. Cum enim filij non semper succederent patribus in regia dignitate, sæpe populus erat sine lege. Et licet aliqui statim regnum occuparent, ex eo quod hoc fiebat per tyrannidem, populus non quietabatur, & sic anni Regis tyranni non incipiebant numerari quousque populus pacificabatur. Sic inter Iehu & Ioacham ponimus vnum annum interregni: quia Ioacham incępit regnare anno viginti tres Ioas Regis Iuda vt dicitur 4. Reg. 13. & pater eius Iehu obijt anno viginti duo incępto eiusdem cum incęperit regnare per viginti octo annos cum Athalia sex & cum Ioas successores viginti duo. Item inter Hieroboam & Zachariam mediant 12. anni interregni, quia Hieroboam incępit regnare anno 15. Amasiæ regis Iuda per 41. annos vsque ad istius 29. & vltimum annum; & in tempore Oziæ filij Amasiæ & tutorum eius regnauit alios 27. cum quibus impleuit 41. annum regni sui; sed eius successor Zacharias vt dicitur 4. Reg. 15. incępit regnare anno triginta octo Oziæ regis Iuda, ergo mediant inter Hieroboam & Zachariam duodecim anni, qui non ascribuntur Zachariæ, sed soli sex menses cum quibus tamen impleuit 38. annos Oziæ: cum in anno 39. Oziæ incęperit regnare in Israel Sellum successor Zachariæ per vnum mensem. Item inter Manahen & Phaceiam mediant tres anni, quia Manahen 4. Reg. 15. incępit regnare anno 39. Oziæ regis Iuda per 10. annos & sic obijt anno quadraginta octo eiusdem Oziæ: & tum Phaceia, vt ibi dicitur, incępit regnare anno 50. regni Oziæ. Item inter Phacee & Osee mediant octo anni, quia Phacee 4 Reg. 15. incępit regnare anno 52. & vltimo Oziæ, & in anno 1. regni Ioatham filij Oziæ per 20. annos; & sic regnauit in tempore Ioatham per istius 16. annos; & obijt anno 5. regni Achab filij Ioatham, sed Osee 4. Reg. 17. incępit regnare anno 12. regni Achab. Quia licet Osee occiderit Phacee anno 5. regni Achab regis Iuda, qui annus 4. Reg. 15. vocatur vigesimus Ioatham, si vsque tunc scilicet regnaret, & licet dicatur ibi, quod tunc Osee incępit regnare non tamen pacifice regnauit vsq; ad 12 regni Achab, & sic illi anni non numerantur inter nouem annos eiusdem, & hæc supputatio consonat sacræ scripturæ 4 Reg. 18. vbi dicitur, quod in anno 6. Ezechiæ regis Iuda & 9 Osee; & sic anno ab orbe condito 3278. Salmanasar Rex Babylonis transtulit 10. tribus Israel in Assyrios & Medos. Inter quos Tobias ductus est in Niniuen. Et Rex Babylonis misit ad inhabitandā

Sama-

Samariam, & alia loca istarum tribuum, Cutheos & alios vassallos suos, qui successu temporis à terra quam inhabitabant, vocati sunt Samaritani. Ex quibus descendit mulier illa Samaritana de qua Ioan. 4. Qui ex eo quod recipiebant 5. libros Moysi, & ex eo quod ob metum leonum eos dilacerantium colebant Deum Israel, vocabant patrem Iacob, sicut vocat eum Samaritana Ioan. 4. & quando Iudæi à regibus Syriæ & Alexandro Magno honorabantur, dicebant se esse Iudæos, quibus tamen alias non coutebantur, vt dixit mulier illa Samaritana Ioan. 4. Hæc de captiuitate 10. tribuum.

Nota vltimo, circa captiuitatem tribus Iudæ & Beniamin, quod ista facta fuit in duabus vicibus, vt constat ex 4 Reg. 24. primo in tempore Iechoniæ Regis Iuda, quando Nabuchodonosor tulit secum istum Iechoniam, matrem & filios eius ac nobiles regni inter quos Ezechielem & Danielem, & hæc captiuitas vocatur transmigratio Math. 1. quia sponte Iudæi isti se obtulerunt Regi Babylonis. Secunda captiuitas fuit in tempore Sedechiæ, quem Nabuchodonosor constituerat regem pro Iechonia cum certo tributo, qui rebellans contra Nabuchodonosor vocato in suum auxilium rege Ægypti, venit Nabuchodonosor & effugato rege Ægypti obsedit Ierusalem per 10. & 8. menses & tandem cepit Sedechiam in 11. anno regni eius, & euulsis oculis duxit in Babylonem, vt impleretur quod dicitur de isto Sedechia Hier. 52. quod esset ducendus in Babylonem; & illud Ezech. 12. quod non esset visurus Babylonem. Putabat enim Sedechias istas prophetias esse contrarias; & sic noluit credere Hieremiæ suadenti cap. 28. & 29. vt sponte se traderet Nabuchodonosor, quia iam Deus ob eius scelera decreuerat tradere eum illi. Post hoc Nabuchodonosor misit Nabuzardam principem militiæ suæ in Ierusalem, qui succendit templum & domos Ierusalem & muros destruxit & reliquum vulgus ex prima captiuitate relictum cum vasibus Templi duxit in Babylonem, exceptis paucis agricolis pro cultura agrorum, & sic impletur illud Hierem. 25. *Dereliquit Leo* id est Deus, *vmbraculum suum*, id est Ierusalem quam suis rugitibus & præsentia sicut Leo tuebatur; *facta est terra in desolationem à facie iræ columbæ*. i. à facie Regis Babylonis, qui dicitur columba ex eo quod in suis

vexillis

vexillis columbam portabat depictam, vt ait D. Thom. ibi. Credebant enim Babylonij, quod sua regina Semiramis fuit in columbam conuersa & sic in vexillis columbam depictam portabant, hoc etiam erat ostensum Ezechieli cap. 1. existenti iuxta fluuium Chobar ante vltimam captiuitatem in visione quatuor animalium figurantium quatuor Monarchias destructuras Israel. In leone enim figurabatur Monarchia Assyriana; quæ sicut leo erat fortior & prima inter alias, cuius reges Hier. 5. vocantur Leones, quorum Salmanasar captiuauit decem tribus, & tandem Nabuchodonosor, vt diximus, captiuauit Tribum Iuda & Beniamin & desolatus est Ierusalem. In homine figurabatur Monarchia Persiana quæ humaniùs & mitiùs se gessit cum Iudæis, vt patet in Cyro & Assuero Longimano, qui post reunitam Monarchiam Persianam cum Assyriana, alias ante diuisam in tempore Sardanapali, dederunt licentiam Iudæis reædificandi Templum & Ierusalem. In tauro figurabatur Monarchia Græca, quæ incepit in Alexandro magno, cuius multi Reges, vt patet in Antiocho illustri, sicut Tauri impetu furibundo percusserunt Iudæos. Vnde Alexander Dan. 8 vocatur cornu, ex quo per mortem fracto orta sunt quatuor cornua, qui sunt quatuor Reges ei succedentes, vtpote Philippus Arideus in Macedonia, Ptolomæus Lagus in Ægypto, Antigonus in Asia, Seleucus in Syria & Babylonia. Ecce quomodo Reges istius Monarchiæ cornu vocantur ob eorum crudelitates, de quibus in libris Machabæorum satis constat. In aquila figurabatur Monarchia Romana, quæ vt aquila rapacissima, non iustitia, sed potentia omnes gentes subiugauit & Iudæos omnino deuastauit, vt patet in Tito & Vespasiano. Item desolatio Iudæorum erat figurata, Zachar. 6. in visione quatuor quadrigarum. In quadriga enim ruforum equorum figurabatur prima Monarchia effusiua sanguinis Iudæorum. In figura equorum nigrorum figurabatur secunda Monarchia, cuius reges maximè Assuerus, ad instantiam Aman causarunt luctum Iudæis, quando præcepit eos occidere. In quadriga equorum alborum figurabatur tertia Monarchia, cuius Rex Alexander lætificauit Iudæos, eos honorando & reuelando à tributo septimi anni, in quo secundum legem non seminabant quando veniens manu armata contra Ierusalem, Pontifice Onia in Pontificali habitu & omni ciui-

tate

tate magna cum solemnitate eum recipiente benignè se gessit circa eos, Angelo sibi apparente & præcipiente ne sanctam ciuitatem & templum violaret. In quadriga equorum varij coloris figurabatur varietas quartæ Monarchiæ Romanorum quorum alqui Imperatores fuerunt pij cum Iudæis & mites, alij verò impij & crudeles.

(Sexta ætas Mundi continet 589. annos.)

Anni creationis.		Anni Iudicaturæ.

DVCES ISRAEL.

3404.	Salathiel filius Iechoniæ in captiuitate Babyloniæ.	70
3474.	Zorobabel seu Barachias filius Salathielis.	58
3532.	Resa seu Mosola filius Zorobabelis.	66
3598.	Ioanna Benresa filius Resa.	53
3651.	Iudas Hircanus filius Ioanna.	14

Hic incipit Monarchia Græcorum in Alexandro Magno.

3665.	Iosephus filius primus Iudæ.	7
3672.	Abner Semei filius Ioseph.	11
3683.	Eli Marathias filius Semei.	12
3695.	Assar Maath filius Matathiæ.	9
3704.	Nagath Arphaxad filius eius.	10
3714.	Agai Hesti filius Nagath.	8
3722.	Maseth Nathum filius Hesli.	7
3729.	Amos Scirach filius Nahum.	14
3743.	Matathias Siloa filius Amos.	10
3753.	Iosephus Arses Matathiæ.	60
3813.	Ianneus Hircanus filius Iosephi.	16

Hic

Hic opprimente Antiocho Israel, vt patet 1. Machab. 1. insurgit Matathias cum Machabæis filijs suis & mortuo Ianeo Hircano, qui erat de tribu Iuda, vt patet Luc. 3. transijt ducatus cum summo sacerdotio ad Iudam Machabæum filium Matathiæ & eius successores, qui erant de tribu Leui vt patet 1. Machab. 2. vbi Matathias pater Iudæ dicitur sacerdos ex filijs Ioarim, seu Ioarib; qui Ioarib erat vnus illorum viginti quatuor sacerdotum, quos elegit Dauid 1. Paral. 24. Sic etiam Zacharias dicitur sacerdos de vice Abiæ.

3829.	Iudas Machabæus filius Matathiæ.	5
3834.	Ionathas frater Iudæ.	19
3853.	Simon frater etiam Iudæ.	8
3861.	Ioannes Hircanus filius Simonis.	26
3887.	Aristobolus filius Hircani.	1
3888.	Ianeus Alexander filius Aristobuli.	27
3915.	Alexandra vxor Alexandri,	9
3924.	Hircanus filius Alexandri.	34

Iste Hircanus statim mortuo patre, etiam regnante matre, fuit summus sacerdos, & iste fuit vltimus, qui habuit sceptrum & ducatum. Nam post illum suscepit principatum Herodes Ascalonita, qui non erat de gente Iudæorum & accepit regnum Iudæorum anno creationis 3958. per 37. annos in cuius 35. & consequenter ab orbe condito 3992. anno Iesus Christus filius Dei viui, pro salute hominum, ex virgine nasci dignatus est.

Hæc sexta & vltima ætas durauit à primo anno, quo populus Iudæorum captiuus ductus est in Babylonem vsque ad Christi natalem per 589. annos, vt patet ex supputatione annorum, quibus duces istius ætatis gubernarunt. Quæ omnia non constant ex sacra scriptura, cum eius historiæ in hac ætate non continuentur, sed ex Philone l. 2. breuiarij; cuius authoritas communiter in hac parte præ omnibus eligitur, & hæc supputatio consonat supputationi Olympiadum Eusebij in Chronico, qui ait Christum esse natum anno 3. Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, & quod in anno secundo Darij in quo impleti sunt anni 70. captiuitatis Babylonicæ incepit Olympias sexagesima quin-

to. Ita quod ab anno secundo Darij vsque ad Christum transierunt centum triginta Olympiades, dempto vno anno. Ergo cum quælibet Olympias constet ex 4. annis, prædictæ centum triginta Olympiades vno anno dempto summabunt 519. annos; quibus si addantur septuaginta anni captiuitatis Babylonicæ, facient 589. annos.

Hæc enim supputatio consonat supputationi septuaginta hebdomadarum Dan cap. 9. vbi Daniel in anno primo regni Darij, qui etiam erat primus annus regni Cyri consobrini sui, vt dicitur 1. Esdr 1. ambo enim cum essent reges Persarum venerũt contra Babylonem & occiso Balthasar rege Babyloniæ in eadem nocte, qua ipse prophanarat vasa sacra delata à patre suo ex Ierusalẽ, vt dicitur Daniel. 5. reunierunt Monarchiã alias in tempore Sardanapali diuisam in Assyrios & Persas; & in isto Cyro incepit Monarchia Persiana, finita iam Assyriana In anno igitur primo istorum, qui simul per duos annos vsque ad mortẽ eiusdem Darij in Babylonia regnarunt, intelligens Daniel esse completos 70. annos captiuitatis prænuntiatos Hiere. 25. orauit ad Deũ, vt promissa impleret circa libertatẽ populi tẽporalem, & apparuit Gabriel Angelus ostẽdens ei finem captiuitatis etiam spiritualis per Christum fiendum: ait enim: *Septuaginta hebdomades abbreuiata* (id est definitæ) *sunt super populum tuum, vt finẽ accipiat peccatum, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio et prophetia et vngatur sanctus sanctorum* (id est Christus qui solus inter homines vocatur sanctus sanctorum) & *vnctus oleo lætitia pra participibus suis* vt dicitur Psal. 44. & determinat Angelus Tempus à quo incipiunt numerari istæ hebdomadæ, ait enim. *Animaduerte: ab exitu sermonis* (id est à licentia data Iudæis) *vt iterum ædificaretur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdomades 7. et hebdomades sexaginta dua erunt*, id est hebdomades sexaginta nouem erunt vsque ad tempus in quo Christus baptizatus sicut dux verbo & exẽplo gubernabit gentes, & postea ait quod *in medio hebdomadis* sequentis (id est septuagesimæ) *deficiet hostia et sacrificium* (ob præsentiam scilicet sacrificij Christi in Cruce) hæc autem licentia de reædificanda Ierusalem concessa est Nehemiæ 2. Esdr. 2. à Dario Assuero Longimano marito, vt fertur, Esther anno 20. regni sui, à Cyro enim non fuit data licentia, vt ciuitas reædificaretur, sed solum Templum restitutis vasis sacris delatis à Nabuchodonosor in Babylonem, vt

vt dicitur 1.Esdr. 1. & nullus alius ante Darium legitur concessisse facultatem reædificandi Ierusalem & quando Darius concessit istam licentiam, incipiebat annus secundus olympiadis 81. vt referunt Romanæ historiæ, quibus vt ait Aug. 2. de doct. 28. standum est sæpe, quando deficit sacra scriptura, & transierant pro hac ætate centum 35. anni, vtpote 70. anni captiuitatis, & alij 65. anni ab illo primo anno Cyri. Quia tunc secundum Eusebiũ, & alios Chronistas incipiebat olympias sexagesima quinta, & illis centum triginta quinque annis addantur 480. & 6. anni cum dimidio, ex quibus constant sexaginta nouem hebdomades cum dimidia, faciunt sexcentos viginti vnum annos cum dimidio. Istæ enim hebdomades nõ sunt dierum, alias cito transirent, sed sunt hebdomades annorum. Ita quod quæuis constat ex septem annis, & de talibus hebdomadibus fit mentio Gen. 29 dum dicitur impleuisse hebdomadam pro Rachel; & Leui 25. dum dicitur: *Numerabis tibi septem hebdomades annorum.* A prædictis tamen sexcentis viginti vno annis cum dimidio, tollendo 32. annos & 3. menses vitæ Christi, remanent prædicti 589. anni pro ista sexta ætate.

Dubitatur circa prædicta de sensu illorum verborum Gen. 47. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittendum est*, id est Christus: videtur enim sæpe defecisse sceptrum de tribu Iuda ante aduentum Christi, nam licet illa verba intelligantur de sceptro semel suscepto, cum non dicatur auferri nisi iam habitum: vnde cum Tribus Iuda nõdum acceperit sceptrum saltem permanenter vsque ad Dauid, non mirum quod Iudices præcedentes Dauid in quarta mundi ætate fuerint ex varijs tribubus, tamen post Dauid videtur sæpe esse ablatum sceptrum de domo Iuda ante natalẽ Christi. Nam in 70 annis captiuitatis Babyloniæ, vt notat D. Hieron. in Isai. 11. Iudæi nullibi habuerunt iurisdictionem temporalẽ, & de Iechonia 18. rege Iuda dicitur Hier. 22. *Scribe virum istum sterilẽ* (non quia caruerit filijs cum genuerit Salathiel, sed quia vt ibi subditur) *non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* Nec obstat historia Susannæ, Daniel 13. vbi senibus eã iudicantibus dicitur quod constituti sunt Iudices illo anno. Nã licet illi senes essent Hebræi, siquidem vt amici frequentabant domum mariti Susannæ, non tamen constat illos fuisse de tribu Iuda. Itẽ in tempore Machabæorum. qui erant de tribu Leui per lineam masculinam,

linam, ipsi habuerunt sceptrum. Nec valet dicere illos fuisse de Tribu Iuda per lineam fœmininam. Istæ enim duæ tribus sæpe matrimonio iungebantur: Aaron enim, ex quo descendunt Machabæi & omnes Sacerdotes, duxit vxorẽ Elizabeth filiam Aminadab sororem Naason de Tribu Iuda: sed hoc nõ sat est, vt dicatur sceptrum durasse in Tribu Iuda, alias ob eã. dem rationem posset dici Sacerdotium etiam fuisse semper in domo Iuda. Sed his non obstantibus dicendum est, quod tam in tempore captiuitatis, quam in tempore Machabæorum, mansit sceptrum, seu ducatus in Tribu Iuda, licet non quantum ad vsum & possessionem, bene tamen quantum ad dominium & proprietatem quam nullus ab eis, ipsis inuitis poterat auferre, & Salathiel in Babylonia dicitur dux populi 4. Esdr. 5. & ipsi semper reclamarunt etiam in tempore Machabæorum, vt ait Philo. in lib. 2. breuiarij; licet Machabæi ex multis de causis ab iniustia excusentur. In tempore verò Herodis Gentilis Ascalonitæ, omnino defecit sceptrum à Tribu Iuda, siquidem vt ait Iosephus 17. Antiq. cap. 3. omnes Tribus Israel post 1 annum quo iste Herodes tyrannice regnarat, conuenerunt in vnum, & voluntariè in eum regem iurarunt & sic impleta tunc prophetia Iacob prædicta anno 35. regni Herodis nascitur Christus.

Summa annorum ab Adam vsque ad Christum 3992. anni.

Sacerdotum linea ab exordio mundi vsque ad Christum; prima, secunda & tertia ætas mundi.

Ab exordio mundi Ecclesia militans in terris plantata, vsque in finem sæculi est duratura, iuxta illud Christi dictum Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, & cum Ecclesia sit visibilis collectio fidelium sub vno capite, semper habuit Sacerdotes quibus sensibilium Sacramentorum administratio & sacrificiorum oblatio incumberet, & in tribus primis ætatibus mundi dignitas sacerdotalis maioritatui annectebatur, & sic Esaij vendendo suam primogenituram Gen. 25. commisit vitium simoniæ, vt ait D. Thom. in epist. ad Hebræos cap. 12. lec 3.

Quarta

Quarta ætatis mundi summi Sacerdotes.

Primus	Aaron de tribu Leui.
2.	Eleazar filius Aaron.
3.	Phinees filius Eleazari.
4.	Abisue filius Phinees.
5.	Bocci filius Abisue.
6.	Eli de linea Aaron per Ithamar.
7.	Phinees filius Heli.
8.	Achitob filius Phinees.
9.	Achias filius Achitob.
10.	Abiathar filius Achitob vel Abimelech.

In hac quarta ætate in primo anno exitus Israel de Ægypto, Deo præcipiente Leuit. 8. separatur Aaron de tribu Leui, & in summum sacerdotem specialiter consecratur. Cui successit eius filius Eleazar num. 20. & isti successit eius filius Phinees, sicut promiserat ei Deus Num. 25. quarto successit Abisue filius Phinees, & 5. Bocci filius Abisue, & licet isti duo vltimi texantur in genealogia Sacerdotum 1. Paralip. 6. non tamen fit mentio de illis in libro Iudicum, quia fuerunt negligentes in reuocando populo ab idololatria cui intendebant, nisi pro tempore quo surgebat iudex nouus in Israel. Imò ob istam negligentiam tulit Deus Pontificatum à successoribus Eleazari ad successores Ithamar alterius filij Aaron. Et horum primus fuit Heli qui simul fuit iudex 40. annis, sed quia fuit negligens in corrigendis sacrilegijs filiorum, minatur ei Deus 1. Reg. 2. dicens: *Ecce dies venient et præcidam brachium tuum*(i. robur sacerdotij. vt explicat glossa interlin.)quod impletum est quando Salomon 3. Reg. 2. deposuit Abiathar à sacerdotio. Nam statim subditur; *Vt impleatur sermo Domi. quem locutum est super domum Heli in Silo.* Interim Heli adhuc viuenti & non valenti præ senectute ministrare, successit filius eius Phinees, quo mortuo in bello & capta Arca à Philistæi 1. Reg. 4. successit eius filius maior Achitob. De hoc enim dicitur 1. Re. 14. *et Achias filius Achis fratris Ichabod filij Phinees qui, ortus fuerat ex Heli sacerdote.* Iste enim Ichabod fuit minor quam Achitob, siquidem natus est mortuo patre suo Phinees & mater in partu eius obijt, vt dicitur 1. Reg. 4. & sic Achitob.

Achitob fuit Sacerdos, cum sacerdotium primogenito daretur, nisi aliter Deus ordinasset. Nonus sacerdos fuit Achias filius Achitob. Iste enim in tempore Saul consuluit dominum 1. Reg. 14. & de isto dicunt aliqui, quod fuit Abimelech occisus cum alijs minoribus Sacerdotibus à Saule in Nobe, 1. Reg. 21. eo quod dedisset panem & gladium Dauidi, sed ad minus erant fratres, cum vterque vocetur filius Achitob 1. Reg. 22. Decimus Sacerdos fuit Abiathar filius Abimelech, qui ex dicta occisione fugit ad Dauid & fuit summus Sacerdos eius, licet Saul haberet in Gabaon (vbi ex Nobe transtulit Tabernaculum) alium Sacerdotem de linea Eleazari, nomine Sadoc. & mortuo Saule ambo isti Sacerdotes fuere cum Dauid 2. Reg. 4. & postea cum Salomone 3. Reg. 4. quousque Abiathar 3. Reg. 2. fuit per Salomonem ab officio depositus & in exilium missus; & sic Sacerdotium mansit cum Sadoc. & eius successoribus descendentibus ab Aaron per Eleazarum. Hæc de sacerdotibus huius quartæ ætatis.

Arca & Tabernaculum.

ARca cum Tabernaculo, ingressis Hebræis terram promissionis, collocatur primo in Galgala, Iosue 4. & inde in Silo, Iosue 18. vbi fuit circiter 330. annis vsque ad mortem Heli, 1. Reg. 4. quando capta à Philisthæis fuit apud eos septẽ mensibus in Azotho, in Geth, & in Acharon, quousque reducitur in Israel, & collocatur in Bethsames, & statim in Cariathiarim in domo Aminadab: & vt ait Diuus Hiero. in qq. Hebraic. super 1. Reg. ex illo loco translata est in Masphat, & colligitur ex 1. Reg. 7. vbi numeratis 20. annis mansionis Arcæ in Cariathiarim, ait Samuel: *Congregate vniuersum Israel in Masphat, vt orẽ pro vobis Dominum.* Et subditur; *Et conuenerunt & hauserunt aquã & effuderũt in conspectu Domini*, id est Arcæ. Deinde, ait Hiero. fuit translata in Galgala, postea in Nobe, postea in Gabaa, & inde in domũ Obededon &c. Alij communiter dicunt, quod licet à Cariathiarim sæpe ad bellũ portaretur, vt colligitur ex 1. Reg. 14. tamen illuc reducebatur, & illic mansit quousq; in anno 8. regni Dauid ducitur in Hierusalem in domum Obededon, vt habetur 1. Paral. 13. ex quo loco post tres menses portatur in domum Dauid, in

montem Sion, vbi ſtetit vſque ad vndecimum annum regni Salomonis, quando ædificato Templo ibidem collocatur. 3. Reg.6.& 7.

Tabernaculum vero à tempore quo capta eſt arca à Philiſthæis, fuit translatum à Silo in Nobe trans Iordanem, & ibi manſit quouſque Saul(occiſis ſacerdotibus illic miniſtrantibus & deſtructa Nobe, eo quod dederant gladium & panem Dauid 1.Reg.7.)illud tranſtulit in Gabaon. & ibi etiam manſit ſine arca, quouſque ædificato templo, illuc portatur & reconditur inter Theſauros Templi. Poſtea autem quando populus ducebatur captiuus in Babylonẽ, vt dicitur 2. Machab. 2. Hieremias ſumptam arcam, Tabernaculum & altare incenſi abſcondit in monte vbi Moyſes ſepultus iacet, in quadam ſpelunca à Domino ſibi oſtenſa, & huc vſque non ſunt inuenta. Vnde in templo Zorobabel & multo minus in templo Herodis, non fuit Arca Teſtamenti.

Quinta ætatis mundi ſummi Sacerdotes.

11 Sadoc filius Achitob.
12 Achimaas, filius Sadoc.
13 Azarias filius Achimaas.
14 Ioannam ſeu Ioiada filius Azariæ.

Iſte nutriuit occultè in Templo Regem Ioas vt ſeruaretur à nece quam Athalia parabat omni ſemini regio.4.Reg.11.

15 Azarias ſeu Zacharias filius Ioiadæ.

Iſte occiſus eſt à Ioas in atrio domus Domini. 2. Paralip.24.

16 Amarias filius Azariæ.
17 Achitob filius Amariæ.
18 Sadoc filius Achitob.
19 Sellum filius Sadoc.
20 Helchias filius Sellum.

Iſte in tempore Ioſiæ Regis Iuda inuenit Deuteronomium legis.4.Reg.22.

21 Aza-

21 Azarias filius Helchiæ.
22 Saraias filius Azariæ.

Isti duodecim Sacerdotes descendentes ab Aaron per Eleazarum, vt patet 1.Paralip.6. ministrarunt Domino in hac quinta ætate. Ex quibus solus primus Sadoc non ministrauit in templo Salomonis, cum obierit ante eius consummationem, & vltimus eorum Saraias fuit occisus à Nabuchodonosor quando fuit destructa ciuitas & templum, vt patet 4.Reg. 25. & isti successit filius eius Iosedech, qui fuit primus sacerdos in captiuitate Babylonis, licet ibi nullum sacerdotale ministerium exercuerit, cum hoc alias non esset licitum extra Hierusalem.

Sextæ ætatis mundi summi Sacerdotes.

23 Iosedec filius Saraiæ.
24 Iesus filius Iosedec.

Et iste cum Zorobabel reædificauit Templum 1.Esd.3.

25 Eliasib filius Iesus.
26 Iudas filius Eliasib.
27 Ioannes filius Iudæ.
28 Iado filius Ioannis.
29 Onias filius Iadi.
30 Simon iustus filius Oniæ.
31 Eleazarus frater Simonis.

Iste misit Ptolomæo Philadelpho Regi Ægypti, filio Ptomæi Lagi successoris Alexandri Magni 72. senes Hebræos, qui in 72. diebus, vt ait Ioseph 12. antiq. 2. verterunt de Heræa in Græcam linguam quinque libros Moysi tantum, vt ait idem Iosephus in Prolog. Antiq. & D. Hieron. in proœmio quæstionum Hebraicarum, licet postea, vt ait historia Ecclesiastica, reuersi illi Rabbini in Hierusalem, verterint Psalmos & Prophetas & miserint Philadelpho.

32 Manasses filius Eleazari.
33 Onias filius Simonis Iusti.

Qui ex eo quod mansit puer moriente patre, non ministrauit statim.

34 Simon filius istius Oniæ.
35 Alter Onias filius Simonis.

Iste apparuit Iudæ Machabæo 2. Mach. 15.

36 Iesus, seu Iason frater Oniæ.
37 Menelaus frater etiam Oniæ.

De istis duobus dicitur 2. Machab. 4. quod per Simoniam adepti sunt sacerdotium. Et post illos, licet alij ponant alium sacerdotem nomine Alcimum, alij tamen id negant, sed immediatè ponunt Iudam Machabæum & eius successores. Qui omnes vsque ad tempus Herodis Ascalonitis, simul etiam fuerunt Duces populi & Sacerdotes. In tempore vero Herodis vsque ad mortem Christi cum sacerdotium venale redderetur, multi sacerdotio fungebantur, de quorum nominibus nihil ad rem. Sed satis ex dictis constat quomodo à principio mundi vsque ad Christum semper fuit in Ecclesia sacerdos & hostia visibilis.

F I N I S.



INDVLGENTIÆ PLENARIÆ.

Desumptæ ex nouo Compendio Prædicatorum, diligentia R.P. F.Ioannis de la Cruz, Theologi eiusdem Ordinis compilato; quibus gaudent per communicationem omnes Religiosi vtriusque sexus, etiam Tertiarij.

1. INdulgentia plenaria conceditur religiosis in suis Ecclesijs orantibus pro pace Ecclesiæ, &c. In festo B.P.N. Dominici Bul.17. Gregorij IX. & Sixti IV. Bul.11. Idem & Indulgentias stationum Romæ eisdem pro eodem festo & pro articulo mortis concessit,& Paulus V.Bul.vltim.idem eisdem pro festo nostri Patroni Dominici concessit,& Clemens VIII. Bul. 6. idem pro eodem festo & octauis omnibus fidelibus concessit: & Pius 5. Bul. 27. idem concessit visitantibus in eodem festo Ecclesiam monialium Calarogæ, ac per commutationem alias nostri ordinis Ecclesias:& Sixtus IV.Bul.1. idem concessit orantibus vt sup. in nostris Ecclesijs in festo B. P.N.Dominici, Petri Martyris, & Catharinæ de Senis, & Clemens VIII. inter viua orac. idem concessit pro festo B. Thomæ de Aquino, Antonini & Vincentij Ferrerij, & Indulgentiæ concessæ pro festis Sanctorum Ordinis, concessæ sunt à Clemente VIII. & in Bullis canonizationis SS. Hyacinthi & Raymundi pro eorum festis; & istas lucrantur religiosi aliorum ordinum in similibus festis suorum ordinum, iuxta dicta à nobis supra lib.2.cap.4.

2. Indulgentias stationum Romæ lucrantur quotidie religiosi recitando in singulis trium altarium vnum Psalm. Pœnitent. Ita Sixtus IV.Bul.13.& Innocent.8. Bul.8. idem concessit religiosis,etiam nouitijs,recitando ad altare maius Psal. *Miserere*, & officialibus & familiaribus Conuentus ibi recitando septies *Pater noster*, & *Aue Maria*, & Iul.2. Bul.6. idem concessit religiosis recitantibus ad quinque altaria vel ad vnum, quinquies quinque Psalmos vel quinque *Pater no-*

ster, & Paul.V. Bul.vlt.idem concessit eisdem, quotidie in sua Ecclesia pro pace Ecclesiæ &c.orantibus.

3. Indulgentia Portiunculæ conceditur religiosis venientibus ad suum capitulum Prouinciale, ac fidelibus eleemosynas pro dicto capitulo largientibus & orantibus in singulis octo dierum capituli in Ecclesia vbi celebratur capitulum. Bul.6 Bonif.9.

4. Indulgentiæ Sanctæ Mariæ de Populo conceduntur religiosis ac eorum familiaribus Ecclesias religiosorum visitantibus. Bul.6. Leonis 10.

5. Indulgentia plenaria potest religiosis à suis confessoribus concedi in natali ac resurrectione Domini. Bul. Innocent.IV.

6. Indulgentia plenaria conceditur fidelibus recitantibus in nostris Ecclesijs semel *Pater noster* & *Aue Maria*, pro pace Ecclesiæ &c. In Natiuitate Virginis. Bul.2.Paul.5. In festo ac decollatione S. Ioannis Baptistę, & in festo S. Ioannis Euangelistæ. Bul.8. Clement.8. Et idem conceditur fidelibus quoties recitauerint quinquies *Pater noster* & *Aue*, ad altare crucifixi in Inuentione & Exaltatione S.Crucis. Bul.4 Pij 4. & iterum Clemens 8.Bul.6. idem eisdem concessit pro eisdem festis & pro feria 5.& 6. hebdomadæ sanctæ.

7. Indulgentia plenaria conceditur religiosis confessis & sacra communione refectis. Primo cum ordine intrant. 2. cum profitentur. 3. cum primam Missam celebrant, vel alterius religiosi primam Missam audiunt. 4. in articulo mortis dicendo *Iesu* saltem corde, si non possint ore. Bul. vlt. Pauli V.

8. Indulgentiæ concessæ religiosis corporaliter visitantibus, lucrantur à religiosis infirmis recitantibus in lecto, vel in infirmaria. Bul. 7. Iulij 2.

9. Indulgentiæ stationum Romæ, Hierusalem, Compostellæ & Portiunculæ lucrantur à religiosis vbilibet recitantibus quinquies *Pater noster* & *Aue Maria*, *cum Gloria Patri, &c.* & alterum *Pater noster* & *Aue*, *cum Gloria Patri, &c.* pro intentione Papæ concedentis. Ita concessit Leo X. inter viua orac.num.24.apud Manuelem Rod.& Bul.46.concessit monialibus S. Claræ ac omnibus religiosis vtriusque sexus per communicationem, Indulgentiam plenariam, quoties sumunt Eucharistiam.

Et nota, quod Romæ quotidie lucrantur septem Indulgen-

tiæ

tiæ plenariæ, & vna anima à purgatorio à quouis visitante liberatur, & in Hierusalem altera anima liberatur, & viginti duæ Indulgentiæ plenariæ præter alias indulgentias dierum & annorum lucrantur. Alias indulgentias passim inuenies in compendijs aliorum ordinum; quibus omnibus & alijs concessis confraternitatibus, congregationibus, pijs locis, & singulis personis secularibus & regularibus potiuntur religiosi omnes vtriusque sexus, iuxta dicta à nobis lib. 2. cap.4. & licet sæculares indigeant Bulla Cruciatæ, vbi ista prædicatur pro lucrando indulgentias sibi concessas, secus est de religiosis iuxta dicta à nobis, lib.2.cap.3.dub.7.

FINIS.



